MANUALE PRECUM

IN USUM

THEOLOGORUM

CUM APPROBATIONE REV. ARCHIEP. FRIBURGENSIS

EDITIO TERTIA

FRIBURGI BRISGOVIAE
B. HERDER
TYPOGRAPHUS EDITOR PONTIFICIUS
ARGENTORATI, BEROLINI, CAROLSRUHAE, MONACHII, VINDOBONAE
LONDINI BRITANNIAE, S. LUDOVICI AMERICAE

Imprimatur

Friburgi Brisgoviae, die 2 Novembris 1912

✠ **Thomas**, Archiepps

Omnia iura reservantur

Typis Herderianis, Friburgi Brisgoviae. 1912

Digitized by Google

Sancti Thomae Aquinatis Doctoris Angelici ad Ioannem fratrem monitio.

Quia quaesisti a me, in Christo mihi carissime Ioannes, qualiter te studere oporteat in thesauro scientiae acquirendo, tale a me tibi super hoc traditur consilium: ut per rivulos, non statim in mare eligas introire, quia per faciliora ad difficiliora oportet devenire.

Haec est ergo monitio mea et instructio tua:

Tardiloquum te esse iubeo, et tarde ad locutorium accedentem;

conscientiae puritatem amplectere;

orationi vacare non desinas;

cellam frequenter diligas, si vis in cellam vinariam introduci;

omnibus te amabilem exhibe;

nihil quaere penitus de factis aliorum;

nemini te multum familiarem ostendas, quia nimia familiaritas parit contemptum, et subtractionis a studio materiam subministrat;

de verbis et factis saecularium nullatenus te intromittas;

discursus super omnia fugias;

Sanctorum et bonorum imitari vestigia non omittas;

Digitized by Google

non respicias, a quo audias, sed quidquid boni dicatur, memoriae recommenda;

ea, quae legis et audis, fac, ut intellegas;

de dubiis te certifica;

et quidquid poteris, in armariolo mentis reponere satage, sicut cupiens vas implere;

altiora te ne quaesieris.

Ista sequens vestigia, frondes et fructus in vinea Domini Sabaoth utiles, quamdiu vitam habueris, proferes ac produces. Haec si sectatus fueris, ad id pertingere poteris, quod affectas. Vale!

Digitized by Google

INDEX.

Pag.

Sancti Thomae Aquinatis Doctoris Angelici ad Ioannem fratrem monitio v

Pars prooemialis.

Pii Papae X Exhortatio ad Clerum catholicum . . 1

Pars I.

Preces ordinariae et quotidianae.

Salutatio catholica 31
Signum Crucis 31
Doxologia 31
Oratio Dominica 32
Salutatio Angelica 32
Symbolum Apostolorum 32
Actus virtutum theologicarum 33
Angelus Domini 33
Regina coeli 35
Salve Regina („Sub tuum . . .“) 35
Rosarium B. Mariae Virginis 36
Methodus meditandi 38
Orationes ante meditationem 40
Orationes post meditationem 42
Orationes ante lectionem et studium 45
Orationes post lectionem et studium 46
Preces iaculatoriae 47

Digitized by Google

Pars II.

Preces matutinae et vespertinae.

	Pag.
I. Preces matutinae	53
1. Diebus Dominicis et festivis	53
2. Preces matutinae dicendae Feria II et V	53
3. Preces matutinae dicendae Feria III et VI	59
4. Preces matutinae dicendae Feria IV et Sabbato	64
5. Preces matutinae dicendae die Communionis generalis	69
6. Preces matutinae privatae	74
Preces matutinae B. Petri Canisii S. J.	78
II. Preces vespertinae	80
1. Diebus Dominicis et festivis	80
2. Preces vespertinae dicendae Feria II et V	80
3. Preces vespertinae dicendae Feria III et VI	94
4. Preces vespertinae dicendae Feria IV et Sabbato	101
5. Preces vespertinae dicendae ante diem Communionis generalis	109
6. Preces vespertinae privatae	112
Preces vespertinae B. Petri Canisii S. J.	116

Pars III.

Preces ad Sacrificium Missae.

Oratio ante Missam	118
Formula intentionis ante Missam	118
1. Missa votiva de SS. Sacramento	120
2. Aliae preces sub Sacrificio Missae	146
3. Aliae preces sub Sacrificio Missae	156
4. Preces, quando Missae Sacrificium dicitur pro defunctis	167

Digitized by Google

Pars IV.

Preces ad sacram Confessionem.

Pag.
1. Methodus peccata confitendi 177
2. Altera methodus peccata confitendi 192
3. Orationes variae ante et post Confessionem . 197
4. De recollectione menstrua complementum . . 211

Pars V.

Preces ad sacram Communionem.

1. Methodus pie communicandi 217
2. Alia methodus pie communicandi 225
3. Tertia methodus pie communicandi 233
4. Actus brevissimi ad sacram Communionem . . 242
5. Orationes variae ante et post s. Communionem 245

Pars VI.

Meditationes.

De Dei aeternitate 264
De Dei omniscientia 265
De Dei omnipraesentia 265
De conformitate cum voluntate divina 266
De fide 267
Deus super omnia diligendus 267
De incarnatione 268
Nomen Iesu 269
Christus pastor noster 269
De humilitate Domini 270
De mansuetudine Domini 271
Christus manens nobiscum 271
De regno Christi 272
De passione Domini 273
Iesus spinis coronatus 273
Ecce homo! 274

Digitized by Google

Pag.
Iesus crucem baiulans 274
Iesus in cruce exaltatus 275
De cruce Domini 276
De sanctissimo Sacramento 276
De Communione spirituali 277
Venite ad me omnes 277
De sanctissimo Corde Iesu 278
De imitatione Christi 279
De rosario 280
De recta intentione 280
Sanctifica te 281
De vita interiore 281
Cura minima 282
De oratione in nomine Iesu 283
De humilitate in oratione 283
De cognitione sui ipsius 284
De mortificatione 285
De castitate 286
De tentationibus 286
De vigilantia 287
De vanis gaudiis 288
De iudiciis temerariis 288
Nos viatores 289
De contritione 290
De recogitatione aeternitatis 290
De tempore 291
De peccato 291
De morte 292
De praeparatione ad mortem 293

Pars VII.

I. Hymni et Preces per annum et festa Domini . . 294
1. Tempore Adventus 294
2. In Natali Domini 296

Digitized by Google

Pag.

3 In honorem SS. Nominis Iesu 298
4. In Epiphania Domini 300
5. Tempore Quadragesimae et Passionis . . 301

In honorem sanctae Crucis 303
Via Crucis 306
Oratio ad quinque vulnera Christi . . . 313
Orationes septem de Passione Domini . . 316

6. Tempore Paschali 318
7. In Ascensione Domini 320
8. In festo Pentecostes 322
9. „ „ SS. Trinitatis 327
10. „ „ SS. Corporis Christi 328
11. In honorem SS. Cordis Iesu 335
12. In dedicatione Ecclesiae 341
13. In gratiarum actionem *(Te Deum)* . . . 342

II. Hymni et preces in honorem B. Mariae Virginis . 344

1. In festo Immaculatae Conceptionis . . . 344
2. „ „ Purificationis 346
3. „ „ Annuntiationis 348
4. „ „ Assumptionis 348
5. „ „ Nativitatis 350
6. In honorem Matris dolorosae 351

Orationes variae ad B. M. V. 353

III. Hymni et preces in honorem Sanctorum . . . 358

1. In festo S. Ottiliae Virginis 358
2. „ „ S. Stephani Protomartyris . . . 359
3. „ „ S. Ioannis Apost. et Evang. . . 360
4. „ „ S. Francisci Salesii 361
5. „ „ S. Liobae Virginis 362
6. „ „ S. Fridolini Confessoris 363
7. „ „ S. Thomae Aquinatis 364

Digitized by Google

Pag.

8. In festo S. Ioseph 366
9. „ „ S. Benedicti Abbatis 370
10. „ „ S. Fidelis a Sigmaringa Mart. . . . 371
11. „ „ S. Trudperti Martyris 372
12. „ „ S. Ioannis Nepomuceni Mart. . . . 373
13. „ „ S. Bonifatii, Germaniae Apostoli, et Sociorum Martyrum 374
14. In festo S. Antonii de Padua Conf. 375
15. „ „ S. Aloysii Confessoris 377
16. „ „ S. Ioannis Baptistae 381
17. „ „ SS. Apostolorum Petri et Pauli . . 383
18. „ „ S. Kiliani, Franc. Apost., et Soc. Mart. 388
19. „ „ S. Udalrici Monachi 389
20. „ „ S. Vincentii a Paulo 391
21. „ „ S. Bernardi Marchionis, Bad. Patroni , 392
22. „ „ S. Ignatii Confessoris 393
23. „ „ S. Alphonsi de Ligorio 394
24. „ „ S. Dominici Confessoris 396
25. „ „ S. Laurentii Martyris 397
26. „ „ S. Bernardi, Doctoris Ecclesiae . 398
27. „ „ S. Gebhardi, Episcopi Constant. . . 399
28. „ „ S. Augustini, Doctoris Ecclesiae . . 401
In honorem SS. Quattuor Doctorum 403
29. In festo S. Lamberti Episcopi Mart. 403
30. „ „ S. Landolini Martyris 404
31. „ „ S. Michaelis Archangeli 405
32. „ „ SS. Angelorum Custodum 406
33. „ „ S. Francisci Seraphici 408
34. „ „ S. Pelagii Martyris 409
35. „ „ S. Galli Abbatis 410
36. „ „ Omnium Sanctorum 411

Digitized by Google

Pag.

37. In festo S. Pirminii, Episcopi Meldensis . . 412
38. „ „ S. Caroli Borromaei, Archiepisc. . . 413
39. „ „ S. Elisabeth Viduae 415
40. „ „ S. Conradi, Episc. Constant. . . . 417
41. „ „ B. Alberti Magni 418

Pars VIII.

Suffragia.

1. Suffragia, quae ad vitam christianam spectant . 420

Professio fidei catholicae 420
Pro vera fide precatio 423
Pro vera spe oratio 425
Oratio pro caritate consequenda 426
Pro impetrando timore Dei oratio 427
Pro impetranda atque conservanda corporis et animae puritate oratio 428
Alia in eundem finem oratio 428
Exercitium pietatis 430
Oratio S. Thomae Aquinatis pro obtinendis virtutibus 432
Oratio S. Thomae Aquinatis ad vitam sapienter instituendam 433
Ad petendam victoriam de pravis inclinationibus oratio 435

2. Suffragia, quae ad statum clericalem spectant . 436

Oratio pro divina voluntate cognoscenda . . . 436
Alia oratio 437
Tertia oratio ad Christum 437
Oratio pro impetrandis idoneis Ecclesiae pastoribus 438
Oratio aspirantis ad statum clericalem . . . 439

Digitized by Google

Pag.
Oratio Clerici ad reparandam vocationem . . 441
Pro obtinenda gratia ad implendas obligationes status clericalis 442
Oratio Clerici sola tonsura initiati 445
Oratio Clerici in minoribus Ordinibus constituti 446
Oratio Subdiaconi 446
Oratio Diaconi 447
Oratio Presbyteri 448
Alia oratio Presbyteri 448
Orationes dicendae, cum induuntur sacra paramenta 449
3. Suffragia pro aliis 451
Deprecatio pro omnium necessitatibus 451
B. Petri Canisii formula precandi pro se et pro aliis 454
Oratio pro Papa et Ecclesia 456
Pro Reverendissimo Archiepiscopo 457
Pro superioribus 457
Pro sacerdotibus 458
Pro omni gradu Ecclesiae 458
Oratio S. Francisci Xaverii pro conversione infidelium 458
Pro congregatione et familia 459
Pro parentibus et consanguineis 460
Pro amicis et benefactoribus 460
Pro inimicis 460
Pro tentatis et tribulatis 461
Oratio pro infirmis 461
Pro infirmo morti proximo 362
Oratio pro quacumque necessitate 462
Pro fidelibus defunctis 463

Digitized by Google

Appendix.

De S. Ordinibus conferendis.

Pag.

I. De Clerico faciendo 465

II. De minoribus Ordinibus 469

1. De ordinatione Ostiariorum 469
2. De ordinatione Lectorum 471
3. De ordinatione Exorcistarum 473
4. De ordinatione Acolythorum 475

III. De sacris Ordinibus 478

1. De ordinatione Subdiaconi 478
2. De ordinatione Diaconi 484
3. De ordinatione Presbyteri 491

Litaniae.

1. De Spiritu Sancto 86
2. De SS. Eucharistiae Sacramento 90
3. De SS. Nomine Iesu 96
4. De sacro Corde Iesu 99
5. Omnium Sanctorum 103
6. Lauretanae de B. Maria Virgine 107
7. De S. Ioseph 369
8. De S. Aloysio 377

Digitized by Google

Pars prooemialis.

Sanctissimi Domini Nostri Pii Papae X in quinquagesimo natali sacerdotii sui Exhortatio ad Clerum catholicum.

Pius PP. X

Dilecti filii

Salutem et Apostolicam Benedictionem.

I. Exhortationis causae ac proposita.

Haerent animo penitus, suntque plena formidinis, quae gentium Apostolus ad Hebraeos scribebat (13, 17), quum illos commonens de obedientiae officio praepositis debitae, gravissime affirmabat: *Ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri.* Haec nimirum sententia si ad omnes pertinet, quotquot in Ecclesia praesunt, at maxime in Nos cadit, qui, licet impares, supremam in ea auctoritatem, Deo dante, obtinemus. Quare noctu atque interdiu sollicitudine affecti, meditari atque eniti non intermittimus quaecumque ad incolumitatem faciant et incrementa dominici gregis. Inter haec unum praecipue Nos occupat: homines sacri ordinis eos omnino esse, qui pro muneris

Digitized by Google

officio esse debent. Persuasum enim habemus, hac maxime via de religionis statu bene esse laetiusque sperandum. Idcirco, statim ut Pontificatum inivimus, quamquam, universitatem cleri contuentibus, multiplices eius laudes elucebant, tamen venerabiles fratres catholici orbis Episcopos impensissime hortandos censuimus, ut nihil constantius nihil efficacius agerent, quam ut Christum formarent in iis, qui formando in ceteris Christo rite destinantur. Sacrorum autem Antistitum quae fuerint in hac re voluntates probe novimus. Novimus qua providentia, qua navitate in excolendo ad virtutem clero assidue connituntur: de quo illis non tam laudem impertivisse, quam gratias palam habuisse libet.

At vero, quum ex huiusmodi Episcoporum curis iam plures e clero gratulamur caelestes concepisse ignes, unde gratiam Dei, ex impositione manuum presbyterii susceptam, vel resuscitarunt vel acuerunt; tum adhuc conquerendum superest, alios quosdam per diversas regiones non ita se probare, ut in ipsos tamquam in speculum, prout dignum est, plebs christiana coniiciens oculos, sumere possit quod imitetur. Ad hos porro cor Nostrum per hasce litteras patere volumus; videlicet ut cor patris, quod in conspectu aegrotantis filii anxia palpitat caritate. Hac igitur suadente, hortationibus Episcoporum hortationes addimus Nostras: quae, quamvis eo spectent potissimum ut devios torpentesve ad meliora revocent, tamen etiam ceteris admoveant velimus incitamenta. Commonstramus iter quo quisque studiosius in dies contendat ut vere sit, qualem Apostolus

Digitized by Google

nitide expressit, *homo Dei* (1 Tim 6, 11), iustaeque expectationi Ecclesiae respondeat.

Nihil plane inauditum vobis aut cuiquam novum dicemus, sed quae certe commeminisse omnes oportet: spem autem indit Deus, vocem Nostram fructum non exiguum esse habituram. Id equidem flagitamus: *Renovamini ... spiritu mentis vestrae, et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia, et sanctitate veritatis* (Eph 4, 23 24): eritque hoc a vobis in quinquagesimo sacerdotii Nostri natali pulcherrimum acceptissimumque munus. Quumque Nos, *in animo contrito et spiritu humilitatis* (Dn 3, 39), exactos in sacerdotio annos recogitabimus Deo; quidquid humani dolendum sit, videbimur quodammodo expiare, admonendo vos et cohortando *ut ambuletis digne Deo per omnia placentes* (Col 1, 10).

Qua tamen in hortatione, non vestras tantum utilitates tuebimur, sed communes etiam catholicarum gentium; quum aliae ab aliis dissociari nequaquam possint. Etenim non eiusmodi est sacerdos, qui bonus malusve uni sibi esse queat; sed eius ratio et habitus vitae sane quantum habet consequentis effectus in populum. Sacerdos reapse bonus ubi est, quale ibi donum et quantum est!

II. Praecipua sacerdotis laus, vitae sanctimonia.

Hinc porro, dilecti filii, hortationis Nostrae exordium capimus, ut vos nimirum ad eam vitae sanctimoniam, quam dignitatis gradus postulat, excitemus.

Digitized by Google

Quicumque enim sacerdotio potitur, eo non sibi tantum, sed aliis potitur: *Omnis namque Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis, quae sunt ad Deum* (Hebr 5, 1). Idipsum et Christus indicavit, qui ad significandum quo demum actio sacerdotum spectet, eos cum sale itemque cum luce comparatos voluit. Lux ergo mundi, sal terrae sacerdos est. Neminem sane fugit id praecipue fieri christiana veritate tradenda: at vero quem pariter fugiat, institutionem eiusmodi pro nihilo fere esse, si, quae sacerdos verbo tradat, exemplo suo non comprobet? Qui audiunt, contumeliose ii quidem, sed non immerito obiicient: *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant* (Tit 1, 16); doctrinamque respuent, nec sacerdotis fruentur luce. Quam ob rem ipse Christus, factus sacerdotum forma, re primum, mox verbis docuit: *Coepit Iesus facere, et docere* (Act 1, 1).

Item, sanctimoniâ posthabita, nihil admodum sacerdos sal terrae esse poterit; corruptum enim et contaminatum integritati minime aptum est conferendae: unde autem sanctitas abest, ibi corruptionem inesse oportet. Quapropter Christus, eamdem insistens similitudinem, sacerdotes tales sal infatuatum dicit, quod *ad nihilum valet ultra, nisi ut mittatur foras,* atque adeo *conculcetur ab hominibus* (Mt 5, 13).

III. Sacra ipsa munera sanctimoniam exposcunt.

Quae quidem eo apertius patent, quod sacerdotali munere haud nostro nos fungimur nomine, sed Christi

Digitized by Google

Iesu. *Sic nos,* inquit Apostolus, *existimet homo ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei* (1 Cor 4, 1)*: pro Christo ergo legatione fungimur* (2 Cor 5, 20).

Hac nempe de causa Christus ipse, non ad servorum, sed ad amicorum numerum nos adscripsit: *Iam non dicam vos servos . . . Vos autem dixi amicos: quia omnia quaecumque audivi a Patre meo, nota feci vobis. . . . Elegi vos, et posui vos ut eatis, et fructum afferatis* (Io 15, 15 16).

Est igitur nobis persona Christi gerenda: legatio vero ab ipso data sic obeunda, ut quo ille intendit, eo nos pertingamus. Quoniam vero *idem velle idem nolle, ea demum firma amicitia est;* tenemur, ut amici, hoc sentire in nobis, quod et in Christo Iesu, qui est *sanctus, innocens, impollutus* (Hebr 7, 26): ut legati ab eo, debemus doctrinis eius ac legi conciliare fidem hominum, easdem nimirum nos ipsi primum servantes: ut potestatis eius participes ad animos vinculis culparum levandos, conari nos omni studio oportet ne illis implicemur. At maxime ut ministri eius in praecellentissimo sacrificio, quod perenni virtute pro mundi vita innovatur, debemus ea animi conformatione uti, qua ille ad aram crucis seipsum obtulit hostiam immaculatam Deo. Nam si olim, in specie solummodo ac figura, tanta a sacerdotibus postulabatur sanctitas; ecquid a nobis, quum victima est Christus? *Quo non oportet igitur esse puriorem tali fruentem sacrificio? quo solari radio non splendidiorem manum carnem hanc dividentem? os quod igni spiritali repletur, linguam quae tremendo*

Digitized by Google

nimis sanguine rubescit (*S. Io. Chrysost.*, Hom. 82 in Matth. n. 5). Perapte S. Carolus Borromaeus, in orationibus ad clerum, sic instabat: „Si meminissemus, dilectissimi fratres, quanta et quam digna in manibus nostris posuerit Dominus Deus, quantam istiusmodi consideratio vim haberet ad nos impellendum ut vitam ecclesiasticis hominibus dignam duceremus! Quid non posuit in manu mea Dominus, quando proprium Filium suum unigenitum, sibi coaeternum et coaequalem, posuit? In manu mea posuit thesauros suos omnes, sacramenta et gratias; posuit animas, quibus illi nihil est carius, quas sibi ipsi praetulit in amore, quas sanguine suo redemit: in manu mea posuit caelum, quod et aperire et claudere ceteris possim. . . . Quomodo ergo adeo ingratus esse potero tantae dignationi et dilectioni, ut peccem contra ipsum? ut illius honorem offendam? ut hoc corpus, quod suum est, inquinem? ut hanc dignitatem, hanc vitam, eius obsequio consecratam, maculem?“

IV. Ecclesiae et Patrum monita recolenda.

Ad hanc ipsam vitae sanctimoniam, de qua iuvat paulo fusius dicere, magnis Ecclesia spectat perpetuisque curis. Sacra idcirco Seminaria instituta: ubi, si litteris ac doctrinis imbuendi sunt qui in spem cleri adolescunt, at simul tamen praecipueque ad pietatem omnem a teneris annis sunt conformandi. Subinde vero, dum ipsa candidatos diuturnis intervallis gradatim promovet, nusquam, ut mater sedula, hortationibus de sanctitate assequenda parcit.

Digitized by Google

Iucunda quidem ea sunt ad recolendum. Quum enim primo in sacram militiam cooptavit, voluit nos ea rite profiteri: *Dominus pars haereditatis meae, et calicis mei: tu es, qui restitues haereditatem meam mihi* (Ps 15, 5). Quibus, inquit Hieronymus, monetur *clericus* ut *qui, vel ipse pars Domini est, vel Dominum partem habet, talem se* exhibeat, *ut et ipse possideat Dominum, et possideatur a Domino* (Ep. 52, ad Nepotianum, n. 5).

Subdiaconis accensendos ipsa quam graviter est allocuta! *Iterum atque iterum considerare debetis attente quod onus hodie ultro appetitis; . . . quod si hunc ordinem susceperitis, amplius non licebit a proposito resilire, sed Deo . . . perpetuo famulari, et castitatem, illo adiuvante, servare oportebit.* Tum denique: *Si usque nunc fuistis tardi ad ecclesiam, amodo debetis esse assidui: si usque nunc somnolenti, amodo vigiles: . . . si usque nunc inhonesti, amodo casti. . . . Videte cuius ministerium vobis traditur!*

Diaconatu porro augendis sic per Antistitem a Deo precata est: *Abundet in eis totius forma virtutis, auctoritas modesta, pudor constans, innocentiae puritas et spiritualis observantia disciplinae. In moribus eorum praecepta tua fulgeant, ut suae castitatis exemplo imitationem sanctam plebs acquirat.*

Sed eo acrius movet commonitio initiandis sacerdotio facta: *Cum magno timore ad tantum gradum ascendendum est, ac providendum ut caelestis sapientia, probi mores et diuturna iustitiae observatio ad id electos commendet. . . . Sit odor vitae vestrae delectamentum Ecclesiae Christi, ut praedicatione atque*

Digitized by Google

exemplo aedificetis domum, idest familiam Dei. Maximeque omnium urget illud gravissime additum: *Imitamini quod tractatis:* quod profecto cum Pauli praecepto congruit: *ut exhibeamus omnem hominem perfectum in Christo Iesu* (Col 1, 28).

Talis igitur quum sit mens Ecclesiae de sacerdotum vita, mirum nemini esse possit, quod sancti Patres ac Doctores omnes ita de ea re consentiant, ut illos fere nimios quis arbitretur. Quos tamen si prudenter aestimemus, nihil eos nisi apprime verum rectumque docuisse iudicabimus. Eorum porro sententia haec summatim est. Tantum scilicet inter sacerdotem et quemlibet probum virum intercedere debet discriminis, quantum inter caelum et terram: ob eamque causam, virtuti sacerdotali cavendum non solum ne gravioribus criminibus sit affinis, sed ne minimis quidem. In quo virorum tam venerabilium iudicio Tridentina Synodus stetit, quum monuit clericos ut fugerent *levia etiam delicta, quae in ipsis maxima essent* (Sess. XXII, de reform., c. 1): maxima scilicet, non re ipsa, sed respectu peccantis, in quem, potiore iure quam in templorum aedificia, illud convenit: *Domum tuam decet sanctitudo* (Ps 92, 5).

V. Sanctimonia in quo ponenda.

Iam sanctitas eiusmodi, qua sacerdotem carere sit nefas, videndum est in quo sit ponenda: id enim si quis ignoret vel praepostere accipiat, magno certe in discrimine versatur. Equidem sunt qui putent, quin etiam profiteantur, sacerdotis laudem in eo collocandam omnino esse, ut sese aliorum utilitatibus

Digitized by Google

totum impendat: quamobrem, dimissâ fere illarum cura virtutum, quibus homo perficitur ipse (eas ideo vocitant *passivas*), aiunt vim omnem atque studium esse conferenda ut *activas* virtutes quis excolat exerceatque.

Haec sane doctrina mirum quantum fallaciae habet atque exitii. De ea Decessor Noster fel. rec. sic pro sua sapientia edixit (Ep. *Testem benevolentiae,* ad Archiep. Baltimor., 22 Ian. 1899): „Christianas virtutes, alias temporibus aliis accommodatas esse, is solum velit, qui Apostoli verba non meminerit: *Quos praescivit, et praedestinavit conformes fieri imaginis Filii sui* (Rom 8, 29). Magister et exemplar sanctitatis omnis Christus est; ad cuius regulam aptari omnes necesse est, quotquot avent beatorum sedibus inseri. Iamvero haud mutatur Christus progredientibus saeculis, sed idem *heri et hodie: ipse et in saecula* (Hebr 13, 8). Ad omnium igitur aetatum homines pertinet illud: *Discite a me, quia mitis sum, et humilis corde* (Mt 11, 29); nulloque non tempore Christus se nobis exhibet *factum obedientem usque ad mortem* (Phil 2, 8); valetque quavis aetate Apostoli sententia: *Qui ... sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis* (Gal 5, 24).“

Quae documenta si quidem spectant unumquemque fidelium, propius tamen ad sacerdotes attinent: ipsique prae ceteris dicta sibi habeant quae idem Decessor Noster apostolico ardore subiecit: „Quas utinam virtutes multo nunc plures sic colerent, ut homines sanctissimi praeteritorum temporum! qui

Digitized by Google

demissione animi, obedientia, abstinentia, *potentes* fuerunt *opere et sermone,* emolumento maximo, nedum religiosae rei, sed publicae ac civilis.“ Ubi animadvertere non abs re fuerit, Pontificem prudentissimum iure optimo singularem abstinentiae mentionem intulisse, quam evangelico verbo dicimus, abnegationem sui. Quippe hoc praesertim capite, dilecti filii, robur et virtus et fructus omnis sacerdotalis muneris continetur: hoc neglecto, exoritur quidquid in moribus sacerdotis possit oculos animosque fidelium offendere. Nam si turpis lucri gratia quis agat, si negotiis saeculi se involvat, si primos appetat accubitus ceterosque despiciat, si carni et sanguini acquiescat, si quaerat hominibus placere, si fidat persuasibilibus humanae sapientiae verbis; haec omnia inde fluunt, quod Christi mandatum negligit conditionemque respuit ab ipso latam: *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum* (Mt 16, 24).

VI. A sanctimonia ubertas ministerii.

Ista Nos quum adeo inculcamus, illud nihilo minus sacerdotem admonemus, non sibi demum soli vivendum sancte: ipse enimvero est operarius, quem Christus *exiit ... conducere in vineam suam* (Mt 20, 1). Eius igitur est fallaces herbas evellere, serere utiles, irrigare, tueri ne inimicus homo superseminet zizania. Cavendum propterea sacerdoti ne, inconsulto quodam intimae perfectionis studio adductus, quidquam praetereat de muneris partibus quae in aliorum bonum conducant. Cuiusmodi sunt verbum Dei nuntiare, confessiones rite excipere, adesse infirmis

Digitized by Google

praesertim morituris, ignaros fidei erudire, solari moerentes, reducere errantes, usquequaque imitari Christum: *Qui pertransiit benefaciendo et sanando omnes oppressos a diabolo* (Act 10, 38).

Inter haec vero insigne Pauli monitum sit menti defixum: *Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat: sed, qui incrementum dat, Deus* (1 Cor 3, 7). Liceat quidem euntes et flentes mittere semina; liceat ea labore multo fovere: sed ut germinent edantque optatos fructus, id nempe unius Dei est eiusque praepotentis auxilii. Hoc accedit magnopere considerandum, nihil praeterea esse homines nisi instrumenta, quibus ad animorum salutem utitur Deus; ea oportere idcirco ut apta sint quae a Deo tractentur. Qua sane ratione? Num ullâ putamus vel insita vel parta studio praestantia moveri Deum ut opem adhibeat nostram ad suae gloriae amplitudinem? Nequaquam: scriptum est enim: *Quae stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat sapientes: et infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia: et ignobilia mundi, et contemptibilia elegit Deus, et ea quae non sunt, ut ea quae sunt destrueret* (1 Cor 1, 27 28).

Unum nimirum est quod hominem cum Deo coniungat, unum quod gratum efficiat, atque non indignum eius misericordiae administrum: vitae morumque sanctimonia. Haec, quae demum est supereminens Iesu Christi scientia, sacerdoti si desit, desunt ei omnia. Nam ab ea disiunctae, ipsa exquisitae doctrinae copia (quam Nosmetipsi nitimur in clero provehere), ipsaque agendi dexteritas et sollertia, etiamsi emolumenti aliquid vel Ecclesiae

Digitized by Google

vel singulis afferre possint, non raro tamen detrimenti iisdem sunt flebilis causa. Sanctimonia vero qui ornetur et affluat, is quam multa possit, vel infimus, mirifice salutaria in populo Dei aggredi et perficere, complura ex omni aetate testimonia loquuntur: praeclare, non remotâ memoria, Ioannes Bapt. Vianney, animarum in exemplum curator, cui honores Caelitum Beatorum Nosmet decrevisse laetamur. Sanctitas una nos efficit, quales vocatio divina exposcit: homines videlicet mundo crucifixos, et quibus mundus ipse sit crucifixus: homines in novitate vitae ambulantes, qui, ut Paulus monet (2 Cor 6, 5 sqq), *in laboribus, in vigiliis, in ieiuniis, in castitate, in scientia, in longanimitate, in suavitate, in Spiritu Sancto, in caritate non ficta, in verbo veritatis* seipsos exhibeant ut ministros Dei; qui unice in caelestia tendant, et alios eodem adducere omni ope contendant.

VII. Magnum sanctimoniae subsidium, orandi studium.

Quoniam vero, ut nemo unus ignorat, vitae sanctitas eatenus fructus est voluntatis nostrae, quoad haec gratiae subsidio roboretur a Deo, abunde nobis Deus ipse providit, ne gratiae munere, si velimus, ullo tempore careamus; idque in primis assequimur studio precandi.

Sane precationem inter et sanctimoniam is necessario intercedit usus, ut altera esse sine altera nullo modo possit. Quocirca consentanea omnino veritati est ea sententia Chrysostomi: *Arbitror*

Digitized by Google

cunctis esse manifestum, quod simpliciter impossibile sit absque precationis praesidio cum virtute degere (*De precatione*, orat. 1): acuteque Augustinus conclusit: *Vere novit recte vivere, qui recte novit orare* (Hom. 4 ex 50). Quae nobis documenta Christus ipse et crebra hortatione et maxime exemplo suo firmius persuasit. Nempe orandi causâ vel in deserta secedebat, vel montes subibat solus; noctes solidas totus in eo exigebat; templum frequenter adibat; quin etiam, stipantibus turbis, ipse erectis in caelum oculis palam orabat; denique suffixus cruci, medios inter mortis dolores, cum clamore valido et lacrimis supplicavit Patri.

Hoc igitur certum ratumque habeamus, sacerdotem, ut gradum officiumque digne sustineat suum, precandi studio eximie deditum esse oportere. Saepius quidem dolendum quod ipse ex consuetudine potius id faciat quam ex animi ardore; qui statis horis oscitanter psallat vel pauculas interserat preces, nec deinde ullam de die partem memor tribuat alloquendo Deo, pie sursum adspirans. Sed enim sacerdos multo impensius ceteris paruisse debet Christi praecepto: *Oportet semper orare* (Lc 18, 1); cui inhaerens Paulus tantopere suadebat: *Orationi instate, vigilantes in ea in gratiarum actione* (Col 4, 2): *Sine intermissione orate* (1 Thess 5, 17).

Animo quippe sanctimoniae propriae aeque ac salutis alienae cupido quam multae per diem sese dant occasiones ut in Deum feratur! Angores intimi, tentationum vis ac pertinacia, virtutum inopia, remissio ac sterilitas operum, offensiones et negli-

Digitized by Google

gentiae creberrimae, timor demum ad iudicia divina: haec omnia valde incitant ut ploremus coram Domino, ac, praeter impetratam opem, bonis ad ipsum meritis facile ditescamus. Neque nostrâ tantummodo ploremus causa oportet. In ea, quae latius ubique funditur, scelerum colluvione, nobis vel maxime imploranda exorandaque est divina clementia; nobis instandum apud Christum, sub mirabili Sacramento omnis gratiae benignissime prodigum: *Parce, Domine, parce populo tuo.*

VIII. Necessaria in primis aeternorum meditatio.

Illud in hac parte caput est, ut aeternarum rerum meditationi certum aliquod spatium quotidie concedatur. Nemo est sacerdos qui possit hoc sine gravi incuriae nota et animae detrimento praetermittere. Ad Eugenium III, sibi quondam alumnum, tunc vero romanum Pontificem, Bernardus Abbas sanctissimus scribens, eum libere obnixeque admonebat, ne unquam a quotidiana divinorum meditatione vacaret, nulla admissa excusatione curarum, quas multas et maximas supremus habet apostolatus. Id autem se iure exposcere contendebat, utilitates eiusdem exercitationis ita enumerans prudentissime: *Fontem suum, id est mentem, de qua oritur, purificat consideratio. Deinde regit affectus, dirigit actus, corrigit excessus, componit mores, vitam honestat et ordinat; postremo divinarum pariter et humanarum rerum scientiam confert. Haec est quae confusa disterminat, hiantia cogit, sparsa colligit, secreta rimatur, vera vestigat, verisimilia examinat, ficta et fu-*

Digitized by Google

cata explorat. Haec est quae agenda praeordinat, acta recogitat ut nihil in mente resideat aut incorrectum aut correctione egens. Haec est quae in prosperis adversa praesentit, in adversis quasi non sentit; quorum alterum fortitudinis, alterum prudentiae est (De Consid. l. 1, c. 7). Quae quidem magnarum utilitatum summa, quas meditatio parere est nata, nos item docet atque admonet, quam sit illa, non modo in omnem partem salutaris, sed admodum necessaria.

Quamvis enim varia sacerdotii munia augusta sint et plena venerationis, usu tamen frequentiore fit ut ipsa tractantes non ea plane qua par est religione perpendant. Hinc, sensim defervescente animo, facilis gressus ad socordiam, atque adeo ad fastidium rerum sacerrimarum. Accedit, quod sacerdotem quotidiana consuetudine versari necesse sit quasi *in medio nationis pravae;* ut saepe, in pastoralis ipsa caritatis perfunctione, sit sibi pertimescendum ne lateant inferni anguis insidiae. Quid, quod tam est proclive, de mundano pulvere etiam religiosa corda sordescere? Apparet igitur quae et quanta urgeat necessitas ad aeternorum contemplationem quotidie redeundi, ut adversus illecebras mens et voluntas, renovato subinde robore, obfirmentur.

Praeterea expedit sacerdoti quadam instrui facilitate assurgendi nitendique in caelestia; qui caelestia sapere, eloqui, suadere omnino debet; qui sic debet vitam suam omnem supra humana instituere, ut, quidquid pro sacro munere agit, secundum Deum

Digitized by Google

agat, instinctu ductuque fidei. Iamvero hunc animi habitum, hanc veluti nativam cum Deo coniunctionem efficit maxime ac tuetur quotidianae meditationis praesidium; id quod prudenti cuique tam perspicuum est, ut nihil opus sit longius persequi.

IX. Meditationis neglectus quae pariat damna.

Quarum rerum confirmationem petere licet, sane tristem, ex eorum vita sacerdotum, qui divinorum meditationem vel parvi pendunt vel plane fastidiunt. Videas enim homines, in quibus *sensus Christi,* illud tam praestabile bonum, oblanguit; totos ad terrena conversos, vana consectantes, leviora effutientes, sacrosancta obeuntes remisse, gelide, fortasse indigne. Iampridem ipsi, unctionis sacerdotalis recenti charismate perfusi, diligenter parabant ad psallendum animam, ne perinde essent ac qui tentant Deum; opportuna quaerebant tempora locaque a strepitu remotiora; divina scrutari sensa studebant; laudabant, gemebant, exsultabant, spiritum effundebant cum Psalte. Nunc vero, quantum mutati ab illis sunt! . . .

Itemque vix quidquam in ipsis residet de alacri ea pietate quam spirabant erga divina mysteria. Quam dilecta erant olim tabernacula illa! gestiebat animus adesse in circuitu mensae Domini, et alios ad eam atque alios advocare pios. Ante sacrum quae mundities, quae preces desiderantis animae! tum in ipso agendo quanta erat reverentia, augustis caeremoniis decore suo integris; quam effusae ex praecordiis gratiae: feliciterque manabat in populum

Digitized by Google

bonus odor Christi! . . . — *Rememoramini,* obsecramus, dilecti filii, *rememoramini pristĭnos dies* (Hebr 10, 32): tunc nempe calebat anima, sanctae meditationis studio enutrita.

In his autem ipsis, qui *recogitare corde* (Ir 12, 11) gravantur vel negligunt, non desunt sane qui consequentem animi sui egestatem non dissimulent, excusentque, id causae obtendentes, se totos agitationi ministerii dedidisse, in multiplicem aliorum utilitatem. Verum falluntur misere. Nec enim assueti cum Deo colloqui, quum de eo ad homines dicunt vel consilia christianae vitae impertiunt, prorsus carent divino afflatu; ut evangelicum verbum videatur in ipsis fere intermortuum. Vox eorum, quantavis prudentiae vel facundiae laude clarescat, vocem minime reddit Pastoris boni, quam oves salutariter audiant: strepit enim diffluitque inanis, atque interdum damnosi fecunda exempli, non sine religionis dedecore et offensione bonorum. Nec dissimiliter fit in ceteris partibus actuosae vitae: quippe vel nullus inde solidae utilitatis proventus, vel brevis horae, consequitur, imbre deficiente caelesti, quem sane devocat uberrimum *oratio humiliantis se* (Eccli 35, 21).

Quo loco facere quidem non possumus quin eos vehementer doleamus, qui pestiferis novitatibus abrepti, contra haec sentire non vereantur, impensamque meditando et precando operam quasi perditam arbitrentur. Proh funesta caecitas! Utinam, secum ipsi probe considerantes, aliquando cognoscerent quorsum evadat neglectus iste contemptusque orandi. Ex eo nimirum germinavit superbia et contumacia;

Digitized by Google

unde nimis amari excrevere fructus, quos paternus animus et commemorare refugit et omnino resecare exoptat. Optatis annuat Deus; qui benigne devios respiciens, tantâ in eos copia *spiritum gratiae et precum* effundat, ut errorem deflentes suum, male desertas vias communi cum gaudio volentes repetant, cautiores persequantur. Item ut olim Apostolo (Phil 1, 8), ipse Deus sit Nobis testis, quo modo eos omnes cupiamus in visceribus Iesu Christi!

X. Incitamenta ad meditandum.

Illis igitur vobisque omnibus, dilecti filii, alte insideat hortatio Nostra, quae Christi Domini est: *Videte, vigilate, et orate* (Mc 13, 33). Praecipue in pie meditandi studio uniuscuiusque elaboret industria: elaboret simul animi fiducia, identidem rogantis: *Domine, doce nos orare* (Lc 11, 1). Nec parvi quidem momenti esse nobis ad meditandum debet peculiaris quaedam causa; scilicet quam magna vis consilii virtutisque inde profluat, bene utilis ad rectam animarum curam, opus omnium perdifficile.

Cum re cohaeret, et est memoratu dignum, Sancti Caroli pastorale alloquium: „Intelligite, fratres, nil aeque ecclesiasticis omnibus viris esse necessarium ac est oratio mentalis, actiones nostras omnes praecedens, concomitans et subsequens: *Psallam,* inquit propheta, *et intelligam* (Ps 100, 2). Si Sacramenta ministras, o frater, meditare quid facis; si Missam celebras, meditare quid offers; si psallis, meditare cui et quid loqueris; si animas regis, meditare quonam sanguine sint lavatae“ *(Ex orationib. ad clerum).*

Digitized by Google

Quapropter recte ac iure Ecclesia nos ea davidica sensa iterare frequentes iubet: *Beatus vir, qui in lege Domini meditatur; voluntas eius permanet die ac nocte; omnia quaecumque faciet semper prosperabuntur.* — Ad haec, unum denique instar omnium sit nobile incitamentum. Sacerdos enim, si *alter Christus* vocatur et est communicatione potestatis, nonne talis omnino et fieri et haberi debeat etiam imitatione factorum? . . . *Summum igitur studium nostrum sit in vita Iesu Christi meditari* (De imit. Chr. 1, 1).

XI. Sacrae lectionis utilitates.

Cum divinarum rerum quotidiana consideratione magni refert ut sacerdos piorum librorum lectionem, eorum in primis qui divinitus inspirati sunt, coniungat assiduus. Sic Paulus mandabat Timotheo: *Attende lectioni* (1 Tim 4, 13). Sic Hieronymus, Nepotianum de vita sacerdotali instituens, id inculcabat: *Nunquam de manibus tuis sacra lectio deponatur:* cuius rei hanc subtexebat causam: *Disce quod doceas: obtine eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem, ut possis exhortari in doctrina sana, et contradicentes revincere.* Quantum enimvero proficiunt sacerdotes qui constanti hoc praestant assuetudine; ut sapide praedicant Christum, utque mentes animosque audientium, potius quam emolliant et mulceant, ad meliora impellunt, ad superna erigunt desideria!

Sed alia quoque de causa, atque eâ in rem vestram, dilecti filii, frugifera, praeceptio valet eius-

Digitized by Google

dem Hieronymi: *Semper in manu tua sacra sit lectio* (Ep. 58, ad Paulinum, n. 6). Quis enim nesciat maximam esse in amici animum vim cuiuspiam amici qui candide moneat, consilio iuvet, carpat, excitet, ab errore avocet? *Beatus, qui invenit amicum verum* . . . (Eccli 25, 12), *qui autem invenit illum, invenit thesaurum* (ib. 6, 14). Iamvero amicos vere fideles adscribere ipsi nobis pios libros debemus. De nostris quippe officiis ac de praescriptis legitimae disciplinae graviter commonefaciunt; repressas in animo caelestes voces suscitant; desidiam propositorum castigant; dolosam obturbant tranquillitatem; minus probabiles affectiones, dissimulatas, coarguunt; pericula detegunt, saepenumero incautis patentia. Haec autem omnia sic illi tacita cum benevolentia praestant, ut se nobis non modo amicos praebeant, sed amicorum perquam optimos praebeant. Siquidem habemus, quum libeat, quasi lateri adhaerentes, intimis necessitatibus nullâ non hora promptos; quorum vox nunquam est acerba, consilium nunquam cupidum, sermo nunquam timidus aut mendax.

Librorum piorum saluberrimam efficacitatem multa quidem eaque insignia declarant exempla; at exemplum profecto eminet Augustini, cuius promerita in Ecclesiam amplissima inde auspicium duxerunt: *Tolle, lege; tolle, lege. . . . Arripui* (epistolas Pauli apostoli), *aperui et legi in silentio. . . . Quasi luce securitatis infusa cordi meo, omnis dubitationis tenebrae diffugerunt* (Confess. l. 8, c. 12). Sed contra heu! saepius accidit nostra aetate, ut

Digitized by Google

homines e clero tenebris dubitationis sensim offundantur et saeculi obliqua sectentur, eo praesertim quod piis divinisque libris longe alios omne genus atque ephemeridum turbam praeoptent, ea quidem scatentia errore blando ac lue. Vobis, dilecti filii, cavete: adultae provectaeque aetati ne fidite, neve sinite spe fraudulenta illudi, ita vos posse aptius communi bono prospicere. Certi custodiantur fines, tum quos Ecclesiae leges praestituant, tum quos prudentia cernat et caritas sui: nam venena istaec semel quis animo imbiberit, concepti exitii perraro quidem effugiet damna.

XII. Conscientiae examen ne omittatur.

Porro emolumenta, tum a sacra lectione, tum ex ipsa meditatione caelestium quaesita, futura certe sunt sacerdoti uberiora, si argumenti quidpiam accesserit, unde ipsemet dignoscat an lecta et meditata religiose studeat in usu vitae perficere. Est apposite ad rem egregium quoddam documentum Chrysostomi, sacerdoti praesertim exhibitum. Quotidie sub noctem, antequam somnus obrepat, *excita iudicium conscientiae tuae, ab ipsa rationem exige, et quae interdiu mala cepisti consilia . . . fodica e dilania, et de eis poenam sume* (Exposit. in Ps. 4, n. 8). Quam rectum id sit ac fructuosum christianae virtuti, prudentiores pietatis magistri luculenter evincunt, optimis quidem monitis et hortamentis. Praeclarum illud referre placet e disciplina Sancti Bernardi: *Integritatis tuae curiosus explorator, vitam tuam in quotidiana discussione examina-*

Digitized by Google

Attende diligenter quantum proficias, vel quantum deficias. . . . Stude cognoscere te. . . . Pone omnes transgressiones tuas ante oculos tuos. Statue te ante te, tamquam ante alium; et sic te ipsum plange (Meditationes piissimae c. 5, *De quotid. sui ipsius exam.*).

XIII. Quaedam ad rem animadvertenda, quaedam deploranda.

Etiam in hac parte probrosum vere sit, si Christi dictum eveniat: *Filii huius saeculi prudentiores filiis lucis!* (Lc 16, 8.) Videre licet quanta illi sedulitate sua negotia procurent: quam saepe data et accepta conferant; quam accurate restricteque rationes subducant; iacturas factas ut doleant, seque ipsi acrius excitent ad sarciendas. Nos vero, quibus fortasse ardet animus ad aucupandos honores, ad rem familiarem augendam, ad captandam praesidio scientiae praedicationem unice et gloriam; negotium maximum idemque perarduum, sanctimoniae videlicet adeptionem, languentes, fastidiosi tractamus. Nam vix interdum apud nos colligimus et exploramus animum; qui propterea paene silvescit, non secus ac vinea pigri, de qua scriptum: *Per agrum hominis pigri transivi, et per vineam viri stulti: et ecce totum repleverant urticae, et operuerunt superficiem eius spinae, et maceria lapidum destructa erat* (Prv 24, 30 31).

Ingravescit res, crebrescentibus circum exemplis pravis, sacerdotali ipsi virtuti haud minime infestis; ut opus sit vigilantius quotidie incedere ac vehementius obniti. Iam experiendo cognitum est, qui

Digitized by Google

frequentem in se censuram et severam de cogitatis, de dictis, de factis peragat, eum plus valere animo, simul ad odium et fugam mali, simul ad studium et ardorem boni. Neque minus experiendo compertum, quae incommoda et damna fere accidant declinanti tribunal illud, ubi sedeat iudicans iustitia, stet rea et ipsum accusans conscientia. In ipso frustra quidem desideres eam agendi circumspectionem, quae adeo in christiano homine probatur, de minoribus quoque noxis vitandis; eamque verecundiam animi, maxime sacerdotis propriam, ad omnem vel levissimam in Deum offensam expavescentis. Quin immo indiligentia atque neglectus sui nonnunquam eo deterius procedit, ut ipsum negligant poenitentiae sacramentum: quo nihil sane opportunius infirmitati humanae suppeditavit Christus insigni miseratione.

Diffitendum certe non est, acerbeque est deplorandum, non ita raro contingere, ut qui alios a peccando fulminea sacri eloquii vi deterret, nihil tale metuat sibi culpisque obcallescat; qui alios hortatur et incitat ut labes animi ne morentur debita religione detergere, id ipse tam ignave faciat atque etiam diuturno mensium spatio cunctetur; qui aliorum vulneribus oleum et vinum salutare novit infundere, saucius ipse secus viam iaceat, nec medicam fratris manum, eamque fere proximam, providus sibi requirat. Heu quae passim consecuta sunt hodieque consequuntur, prorsus indigna coram Deo et Ecclesia, perniciosa christianae multitudini, indecora sacerdotali ordini!

Digitized by Google

XIV. Apostolici pectoris querimoniae.

Haec Nos, dilecti filii, pro conscientiae officio quum reputamus, oppletur animus aegritudine, et vox cum gemitu erumpit: Vae sacerdoti, qui suum tenere locum nesciat, et nomen Dei sancti, cui esse sanctus debet, infideliter polluat! Optimorum corruptio, teterrimum: *Grandis dignitas sacerdotum, sed grandis ruina eorum, si peccant; laetemur ad ascensum, sed timeamus ad lapsum: non est tanti gaudii excelsa tenuisse, quanti moeroris de sublimioribus corruisse!* (*S. Hieron.,* In Ezech. l. 13, c. 44, v. 30.) Vae igitur sacerdoti, qui, immemor sui, precandi studium deserit; qui piarum lectionum pabulum respuit; qui ad se ipse nunquam regreditur ut accusantis conscientiae exaudiat voces! Neque crudescentia animi vulnera, neque Ecclesiae matris ploratus movebunt miserum, donec eae feriant terribiles minae: *Excaeca cor populi huius, et aures eius aggrava: et oculos eius claude: ne forte videat oculis suis, et auribus suis audiat, et corde suo intelligat, et convertatur, et sanem eum* (Is 6, 10).

Triste omen ab unoquoque vestrum, dilecti filii, avertat dives in misericordia Deus; ipse qui Nostrum intuetur cor, nulla prorsus in quemquam amaritudine affectum, sed omni pastoris et patris caritate in omnes permotum: *Quae est enim nostra spes, aut gaudium, aut corona gloriae? nonne vos ante Dominum nostrum Iesum Christum?* (1 Thess 2, 19.)

Digitized by Google

XV. Per calamitosa Ecclesiae tempora sacerdos virtute praecellat.

At videtis ipsi, quotquot ubique estis, quaenam in tempora, arcano Dei consilio, Ecclesia inciderit. Videte pariter et meditamini quam sanctum officium vos teneat, ut a qua tanto dignitatis honore donati estis, eidem contendatis adesse et succurrere laboranti. Itaque in Clero, si unquam alias, nunc opus maxime est virtute non mediocri; in exemplum integra, experrecta, operosa, paratissima demum facere pro Christo et pati fortia. Neque aliud quidquam est quod cupidiore Nos animo precemur et optemus vobis, singulis et universis.

In vobis igitur intemerato semper honore floreat castimonia, nostri ordinis lectissimum ornamentum; cuius nitore sacerdos, ut adsimilis efficitur angelis, sic in christiana plebe venerabilior praestat sanctisque fructibus fecundior.

Vigeat perpetuis auctibus reverentia et obedientia, iis sollemni ritu promissa, quos divinus Spiritus rectores constituit Ecclesiae: praecipue in obsequio huic Sedi Apostolicae iustissime debito mentes animique arctioribus quotidie fidelitatis nexibus devinciantur.

Excellatque in omnibus caritas, nullo modo quaerens quae sua sunt: ut, stimulis qui humanitus urgent invidae contentionis cupidaeve ambitionis cohibitis, vestra omnium studia ad incrementa divinae gloriae fraterna aemulatione conspirent. Vestrae beneficia caritatis *multitudo magna languentium,*

Digitized by Google

caecorum, claudorum, aridorum, quam miserrima, expectat; vel maxime expectant densi adolescentum greges, civitatis et religionis spes carissima, fallaciis undique cincti et corruptelis. Studete alacres, non modo sacra catechesi impertienda, quod rursus enixiusque commendamus, sed omni quacumque liceat ope consilii et sollertiae bene optimeque mereri de omnibus. Sublevando, tutando, medendo, pacificando, hoc demum velitis ac propemodum sitiatis lucrari vel obstringere animas Christo. Ab inimicis eius heu quam impigre, quam laboriose, quam non trepide agitur instatur, exitio animarum immenso!

Ob hanc potissime caritatis laudem Ecclesia catholica gaudet et gloriatur in clero suo, christianam pacem evangelizante, salutem atque humanitatem afferente, ad gentes usque barbaras: ubi ex magnis eius laboribus, profuso nonnunquam sanguine consecratis, Christi regnum latius in dies profertur, et fides sancta enitet novis palmis augustior.

Quod si, dilecti filii, effusae caritatis vestrae officiis simultas, convicium, calumnia, ut persaepe fit, responderit, nolite ideo tristitiae succumbere, *nolite deficere bene facientes* (2 Thess 3, 13). Ante oculos obversentur illorum agmina, numero meritisque insignia, qui per Apostolorum exempla, in contumeliis pro Christi nomine asperrimis, *ibant gaudentes, maledicti benedicebant.* Nempe filii sumus fratresque Sanctorum, quorum nomina splendent in libro vitae, quorum laudes nuntiat Ecclesia: *Non inferamus crimen gloriae nostrae!* (1 Mach 9, 10.)

Digitized by Google

XVI. Sacerdotalis gratiae adiumenta.

(Recessus annuus et menstruus.)

Instaurato et aucto in ordinibus cleri spiritu gratiae sacerdotalis, multo quidem efficacius valebunt Nostra, Deo adspirante, proposita ad cetera, quaecumque late sunt, instauranda.

Quapropter ad ea quae supra exposuimus, certa quaedam adiicere visum est, tamquam subsidia eidem gratiae custodiendae et alendae opportuna. Est primum, quod nemini sane non cognitum et probatum, sed non item omnibus re ipsa exploratum est, pius animae recessus ad Exercitia, quae vocant, spiritualia; annuus, si fieri possit, vel apud se singulatim, vel potius unâ cum aliis, unde largior esse fructus consuevit; salvis Episcoporum praescriptis. Huius instituti utilitates iam Ipsi satis laudavimus, quum nonnulla in eodem genere ad cleri romani disciplinam pertinentia ediximus (Ep. *Experiendo* ad Card. in Urbe Vicarium, 27 Dec. 1904).

Nec minus deinde proficiet animis, si consimilis recessus, ad paucas horas, menstruus, vel privatim vel communiter habeatur: quem morem libentes videmus pluribus iam locis inductum, ipsis episcopis faventibus, atque interdum praesidentibus coetui.

Aliud praeterea cordi est commendare: adstrictiorem quamdam sacerdotum, ut fratres addecet, inter se coniunctionem, quam episcopalis auctoritas firmet ac moderetur. Id sane commendabile, quod

Digitized by Google

in societatem coalescant ad mutuam opem in adversis parandam, ad nominis et munerum integritatem contra hostiles astus tuendam, ad alias istiusmodi causas. At pluris profecto interest, consociationem eos inire ad facultatem doctrinae sacrae excolendam, in primisque ad sanctum vocationis propositum impensiore cura retinendum atque animarum provehendas rationes, consiliis viribusque collatis. Testantur Ecclesiae annales, quibus temporibus sacerdotes passim in communem quamdam vitam conveniebant, quam bonis fructibus id genus societas abundarit. Tale aliquid quidni in hanc ipsam aetatem, congruenter quidem locis et muniis, revocari queat? Pristini etiam fructus, in gaudium Ecclesiae, non sint recte sperandi?

Nec vero desunt instituti similis societates, sacrorum Antistitum comprobatione auctae; eo utiliores, quo quis maturius, sub ipsa sacerdotii initia, amplectatur. Nosmetipsi unam quamdam, bene aptam experti, fovimus in episcopali munere; eamdem etiamnum aliasque singulari benevolentia prosequimur.

Ista sacerdotalis gratiae adiumenta, eaque item quae vigil Episcoporum prudentia pro rerum opportunitate suggerat, vos, dilecti filii, sic aestimate, sic adhibete, ut magis in dies magisque *digne ambuletis vocatione qua vocati estis* (Eph 4, 1), ministerium vestrum honorificantes, et perficientes in vobis Dei voluntatem, quae nempe est *sanctificatio vestra.*

Digitized by Google

XVII. Fausta pro Clero vota.

Huc enimvero feruntur praecipuae cogitationes curaeque Nostrae: propterea sublatis in caelum oculis, supplices Christi Domini voces super universum clerum frequenter iteramus: *Pater sancte ... sanctifica eos* (Io 17, 11 17). In qua pietate laetamur permultos ex omni fidelium ordine Nobiscum comprecantes habere, de communi vestro et Ecclesiae bono vehementer sollicitos: quin etiam iucundum accidit, haud paucas esse generosioris virtutis animas, non solum in sacratis septis, sed in media ipsa saeculi consuetudine, quae ob eamdem causam sese victimas Deo votivas non intermissa contentione exhibeant. Puras eximiasque eorum preces in odorem suavitatis summus Deus accipiat, neque humillimas abnuat preces Nostras. Faveat, exoramus, clemens idem et providus: atque e sanctissimo dilecti Filii sui Corde divitias gratiae, caritatis, virtutis omnis universum in clerum largiatur.

Postremo, libet gratam ex animo vicem referre vobis, dilecti filii, de votis faustitatis quae, appetente sacerdotii Nostri natali quinquagesimo, multiplici pietate obtulistis: votaque pro vobis Nostra, quo cumulatius eveniant, magnae Virgini Matri concredita volumus, Apostolorum Reginae. Haec etenim illas sacri ordinis felices primitias exemplo suo edocuit, quemadmodum perseverarent unanimes in oratione, donec induerentur superna virtute; eamdemque ipsis virtutem multo sane ampliorem sua

Digitized by Google

deprecatione impetravit, consilio auxit et communivit, ad fertilitatem laborum laetissimam.

Optamus interea, dilecti filii, ut pax Christi exultet in cordibus vestris cum gaudio Spiritus Sancti; auspice Apostolica Benedictione, quam vobis omnibus peramanti voluntate impertimus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die IV Augusti anno MCMVIII, Pontificatus Nostri ineunte sexto.

PIUS PP. X.

Digitized by Google

Pars I.

Preces ordinariae et quotidianae.

Salutatio catholica.

℣. Laudetur Iesus Christus!

℟. In saecula. Amen [1].

Signum Crucis.

In nomine Patris † et Filii † et Spiritus † Sancti. Amen [2].

Doxologia.

Gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto.

Sicut erat in principio et nunc et semper, et in saecula saeculorum. Amen [3].

---

[1] Indulgentia 50 dierum toties quoties; plenaria in articulo mortis (Clemens XIII). De indulgentiis cf. praeprimis *Franz Beringer*, Die Ablässe [13], Paderborn 1906. — In citationibus quae sequentur de indulgentiis, Ind. significabit Indulgentia, d. = dierum, t. q. = toties quoties, s. i. d. = semel in die.

[2] Ind. 50 d. t. q.; 100 d., si dicitur aspergendo sese aqua benedicta (Pius IX).

[3] Ind. 100 d. singulis vicibus omnibus mane, meridie et vespere *ter* recitantibus; plenaria semel in mense (Pius VII).

Digitized by Google

Oratio Dominica.

Pater noster, qui es in coelis, sanctificetur nomen tuum; adveniat regnum tuum; fiat voluntas tua sicut in coelo et in terra.

Panem nostrum quotidianum da nobis hodie; et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris; et ne nos inducas in tentationem, sed libera nos a malo. Amen.

Salutatio Angelica.

Ave Maria, gratia plena, Dominus tecum; benedicta tu in mulieribus et benedictus fructus ventris tui, Iesus.

Sancta Maria, Mater Dei, ora pro nobis peccatoribus nunc et in hora mortis nostrae. Amen.

Symbolum Apostolorum.

Credo in Deum, Patrem omnipotentem, Creatorem coeli et terrae. Et in Iesum Christum, Filium eius unicum, Dominum nostrum, qui conceptus est de Spiritu Sancto, natus ex Maria virgine, passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus et sepultus; descendit ad inferos, tertia die resurrexit a mortuis; ascendit ad coelos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis, inde venturus est iudicare vivos et mortuos. Credo in Spiritum Sanctum, sanctam Ecclesiam catholicam, Sanctorum communionem, remissionem peccatorum, carnis resurrectionem, vitam aeternam. Amen.

Digitized by Google

Actus virtutum theologicarum.

Actus fidei. Firmiter credo et profiteor, quidquid Christus docuit, Apostoli praedicarunt et sancta Romana Ecclesia credendum proponit, quia tu, Domine, revelasti, veritas aeterna et infallibilis, atque in hac fide et pro hac fide vivere et mori volo et statuo.

Actus spei. Spero in te et a te, mi Deus, gratiam, gloriam et omnia salutis media; potes enim dare, quia omnipotens es; vis etiam, quia infinite misericors es; dabis autem, quia sicut de promissis tuis, ita etiam de fidelitate tua aeterna persuasum mihi est.

Actus caritatis. O mi Deus, amo te, quia amasti me; sed vel ideo potissimum super omnia amo te et proximum quemvis propter te, quia tu, summum, unicum et infinitum bonum, omni amore es dignissimus.

Amantissime Pater, de omnibus peccatis meis doleo ex toto corde meo, quia te, Deum meum, infinitum bonum meum, eis tam turpiter offendi. Ignosce mihi peccatori. Amen [1].

Angelus Domini.

(Dicitur *flexis genibus;* a Vesperis vero Sabbati et per totam Dominicam *stando.*)

℣. Angelus Domini nuntiavit Mariae.

℟. Et concepit de Spiritu Sancto.

---

[1] Ind. 7 annorum et 7 quadragenarum t. q.; plenaria semel in mense et in articulo mortis (Benedictus XIV).

Digitized by Google

℣. Ave Maria, gratia plena, Dominus tecum; benedicta tu in mulieribus et benedictus fructus ventris tui, Iesus.

℟. Sancta Maria, Mater Dei, ora pro nobis peccatoribus nunc et in hora mortis nostrae. Amen.

℣. Ecce ancilla Domini.

℟. Fiat mihi secundum verbum tuum.

Ave Maria.

℣. Et Verbum caro factum est.

℟. Et habitavit in nobis.

Ave Maria.

℣. Ora pro nobis, sancta Dei Genitrix.

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus. Gratiam tuam, quaesumus Domine, mentibus nostris infunde, ut qui, Angelo nuntiante, Christi Filii tui incarnationem cognovimus, per passionem eius et crucem ad resurrectionis gloriam perducamur. Per eundem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen [1].

℣. Divinum auxilium maneat semper nobiscum.

℟. Amen.

Pater noster *(secreto).*

Tempore Paschali, i. e. a Completorio Sabbati Sancti usque ad Sabbatum post Pentecosten, loco *„Angeli“* dicitur Antiphona *„Regina coeli“ (stando).*

---

[1] Ind. 100 d. ter quotidie ad pulsum campanae — nisi legitime impeditis — recitantibus; plenaria semel in mense (Benedictus XIII).

Digitized by Google

Regina coeli.

Regina coeli laetare, alleluia,
Quia quem meruisti portare, alleluia,
Resurrexit, sicut dixit, alleluia;
Ora pro nobis Deum, alleluia.

℣. Gaude et laetare, Virgo Maria, alleluia.
℟. Quia surrexit Dominus vere, alleluia.

Oremus. Deus, qui per resurrectionem Filii tui Domini nostri Iesu Christi mundum laetificare dignatus es, praesta, quaesumus, ut per eius Genitricem Virginem Mariam perpetuae capiamus gaudia vitae. Per eundem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen [1].

℣. Divinum auxilium maneat semper nobiscum.
℟. Amen.

Salve Regina.

Mane.

Salve Regina, mater misericordiae, vita, dulcedo et spes nostra, salve. Ad te clamamus exsules filii Hevae. Ad te suspiramus gementes et flentes in hac lacrimarum valle. Eia ergo, advocata nostra, illos tuos misericordes oculos ad nos converte. Et Iesum, benedictum fructum ventris tui, nobis post hoc exsilium ostende. O clemens, o pia, o dulcis Virgo Maria!

℣. Dignare me laudare te, Virgo sacrata.
℟. Da mihi virtutem contra hostes tuos.

---

[1] Ind. sicut sub [1] pag. 34.

Digitized by Google

℣. Benedictus Deus in Sanctis suis.

℟. Amen.

Vespere.

Sub tuum praesidium confugimus, sancta Dei Genitrix, nostras deprecationes ne despicias in necessitatibus nostris, sed a periculis cunctis libera nos semper, Virgo gloriosa et benedicta.

℣. Dignare me etc. *(ut supra)* [1].

Rosarium B. Mariae Virginis [2].

In nomine Patris † etc.

Credo in Deum etc.

Pater noster etc.

Ave Maria etc. dicitur *ter* cum additamentis:

a) Qui nobis adaugeat fidem (vel: In quem credimus).

b) Qui nobis corroboret spem (vel: In quem speramus).

c) Qui nobis perficiat caritatem (vel: Quem diligimus).

Gloria Patri etc. Pater noster etc.

---

[1] Ind. 100 d. s. i. d.; 7 annorum et 7 quadragenarum diebus Dominicis; plenaria duabus Dominicis cuiuslibet mensis, omnibus festis B. Mariae V., festo Omnium Sanctorum et in articulo mortis (Pius VI).

[2] Ind. 100 d. pro singulis Pater et Ave recitantibus totum Rosarium vel Coronam (Benedictus XIII); 10 annorum et 10 quadragenarum s. i. d. eis, qui recitant in congregatione (Pius IX); plurimae Ind. pro membris Confraternitatis Ss. Rosarii. Cf. *Beringer* 646—652.

Digitized by Google

I. Coronae gaudiosae mysteria [1].

Decadis 1. Quem virgo concepisti.
„ 2. Quem visitando Elisabeth portasti.
„ 3. Quem virgo genuisti.
„ 4. Quem in templo praesentasti.
„ 5. Quem in templo invenisti.

II. Coronae dolorosae mysteria [2].

Decadis 1. Qui pro nobis sanguinem sudavit.
„ 2. Qui pro nobis flagellatus est.
„ 3. Qui pro nobis spinis coronatus est.
„ 4. Qui pro nobis crucem baiulavit.
„ 5. Qui pro nobis crucifixus est.

III. Coronae gloriosae mysteria [3].

Decadis 1. Qui resurrexit a mortuis.
„ 2. Qui in coelos ascendit.
„ 3. Qui Spiritum Sanctum misit.
„ 4. Qui te assumpsit.
„ 5. Qui te in coelis coronavit.

---

[1] Recitatur a Dominica prima Adventus usque ad festum Purificationis B. Mariae Virginis, vel in hebdomade feriis II et V.

[2] Recitatur post festum Purificationis B. Mariae V. per Quadragesimam usque ad Pascha, vel in hebdomade feriis III et VI.

[3] Recitatur tempore Paschali et post Pentecosten, vel in hebdomade die Dominica, feria IV et Sabbato.

Digitized by Google

Methodus meditandi [1].

A. Praeparatio.

Praepara animam tuam:

a) pridie puncta meditationis legendo (vel proposita attente et devote audiendo),

b) ante somnum in silentio de eisdem cogitando,

c) mane, cum evigilaveris, statim animam ad rem meditandam convertendo.

B. Initium (Praeludia).

Incipe genibus flexis:

a) excitando vivam recordationem divinae Maiestatis, per essentiam, praesentiam et potentiam tibi assistentis, adora supremum Numen et invoca Spiritus eius auxilium;

b) repraesentando vi imaginaria speciem quandam generalem rei meditandae per compositionem loci, personarum, circumstantiarum, historiae mysterii, de quo agitur, vel alicuius sententiae cum veritate meditanda conexae, ne phantasia inter meditandum tam facile evagetur, aut saltem citius ad rem reducatur;

c) petendo, ut Deus intellectum illuminet et voluntatem moveat, quatenus specialem fructum meditationis nanciscaris.

C. Corpus meditationis.

Perge exercendo:

a) *memoriam* per vividam, specialem et secundum partes distinctam considerationem rei meditandae (historiae, mysterii, parabolae, veritatis), interrogando et

---

[1] Cf. *A. Bellecii*, S. J., Medulla asceseos (ed. *Westhoff*, Monast. 1846) 3 sq.

Digitized by Google

respondendo quaestionibus: Quis? Quid? Ubi? Quomodo? Quando? Cur?

b) *intellectum.* Officium regiae huius animae facultatis est, circa materiam a memoria propositam discurrere, veritates aeternas in ea latentes serio expendere, illas praesenti animae statui diligenter applicare et conclusiones practicas strenue et prudenter inde deducere. Imprimis sollicite perpendas:

α) Quae veritas maxime sit consideranda (quid sit)?

β) Quae doctrina practica inde concludenda (quid sequatur)?

γ) Quaenam motiva ad conclusionem servandam inducant (quid moveat)? Quia aequum, iustum, utile, iucundum, facile, necessarium. Quid amico suaderes? Quid in hora mortis fecisse cupies? Quid Christus et Sancti fecerunt?

δ) Quomodo hactenus hanc doctrinam observaveris (quid factum)?

ε) Quomodo in posterum observanda (quid faciendum)? Qualia impedimenta (mundus, sensualitas, superbia, acedia) tollenda? Qualia remedia (memoria Dei, abstinentia, humilitas, zelus) adhibenda?

c) *voluntatem,* cuius est, cognitam ab intellectu veritatem amplecti, per convenientes cordis motus in eandem rapi ac strenue eius exsecutionem decernere. Concurrat ergo voluntas memoriae et intellectui:

α) Pios excitando animi affectus, fidei, adorationis, timoris, doloris de peccato, diffidentiae sui, spei, petitionis, amoris, gratiarum actionis, admirationis, sacrificii omnium et sui ipsius, plenae resignationis ad amittenda, toleranda, agenda, quaecumque Deus velit.

β) Firma formando proposita, sine quibus meditatio esset corpus sine anima, concha sine gemma.

Digitized by Google

Proposita sint numero pauca, particularia, practica et circumstantiis accommodata, bene fundata, strenua et humilia.

D. Finis.

Termina meditationem:

a) instituendo pia colloquia cum Deo, Iesu Christo, Beata Virgine, Angelis, Sanctis, praesertim patronis tuis, coram quibus gratias agas, poeniteas, petitiones effundas etc.;

b) reflectendo ad meditationem peractam, defectus in ea admissos et in posterum corrigendos fructumque cum Dei auxilio carpendum;

c) colligendo breve aliquod symbolum vel tesseram, qua velut fasciculo florum spiritualium memoriam meditationis et propositorum per diem teneas et refrices. Denique concludas aliqua oratiuncula [1].

Orationes ante meditationem.

1.

Ant. Veni, Sancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium et tui amoris in eis ignem accende.

℣. Emitte Spiritum tuum et creabuntur.

℟. Et renovabis faciem terrae.

Oremus. Deus, qui corda fidelium Sancti Spiritus illustratione docuisti, da nobis in eodem Spiritu recta sapere et de eius semper consolatione gaudere. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

---

[1] Ind. plenaria semel in mense eis, qui singulis diebus mediam vel quartam partem horae meditationi devote vacaverint (Benedictus XIV).

Digitized by Google

2.

Ant. Spiritus Sanctus descendat super nos, et virtus Altissimi custodiat nos a peccatis.

℣. Vias tuas, Domine, demonstra mihi.

℟. Et semitas tuas edoce me.

Oremus. Mentes nostras, quaesumus Domine, Paraclitus, qui a te procedit, illuminet et inducat in omnem, sicut tuus promisit Filius, veritatem; qui tecum vivit et regnat in saecula saeculorum. Amen.

3.

Ant. Adiuvet nos Dominus Deus noster, et requiescat super nos Spiritus sapientiae et intellectus, Spiritus consilii et fortitudinis, Spiritus scientiae et pietatis, Spiritus timoris Dei, ut perficiat nos in omni bono.

℣. Cor mundum crea in me, Deus.

℟. Et spiritum rectum innova in visceribus meis.

Oremus. Largire nobis, quaesumus Domine, semper spiritum cogitandi, quae recta sunt, propitius et agendi: ut qui sine te esse non possumus, secundum te vivere valeamus. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

4.

Immensa Maiestas, mi Deus et Domine! Ecce ante oculos tuos me indignum peccatorem constituo, teque hic praesentem omni, qua possum, reverentia adoro et supplex oro, ne me despicias ob multitudinem iniquitatum mearum, sed ut inveniam

Digitized by Google

gratiam ac misericordiam in oculis tuis, ut veritates divinas et leges ac virtutes tuas digne meditari valeam et audiam, quid loquaris in me, Deus, affectuque ardentissimo omnia, quae voluntatis ac beneplaciti tui sunt, cognoscam atque complectar, deinceps vero opere ipso compleam, quaecumque ad meam salutem et nominis tui honorem spectare cognovero. Amen.

Orationes post meditationem.

1.

Ant. Confirma hoc, Deus, quod operatus es in nobis, a templo sancto tuo, quod est in Ierusalem.

℣. Exaudi, Domine, vocem meam, qua clamavi ad te.

℟. Miserere mei et exaudi me.

℣. Adiutor meus esto, ne derelinquas me.

℟. Neque despicias me, Deus salutaris meus.

Oremus. Dirigat corda nostra, quaesumus Domine, tuae miserationis operatio, ut ad tuae reducti semper tramitem veritatis haec studeamus exercere, quae praecipis, ut possimus dona percipere, quae promittis. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

2.

Petitiones S. Augustini.

Domine Iesu, noverim me, noverim te,
Nec aliquid cupiam nisi te.
Oderim me, et amem te;
Omnia agam propter te.
Humiliem me, exaltem te;
Nihil cogitem nisi te.
Mortificem me et vivam in te;
Quaecumque eveniant, accipiam a te.

Digitized by Google

Persequar me, sequar te,
Semperque optem sequi te.
Fugiam me, confugiam ad te,
Ut merear defendi a te.
Timeam mihi, timeam te,
Et sim inter electos a te.
Diffidam mihi, fidam in te;
Oboedire velim propter te.
Ad nihil afficiar nisi ad te,
Et pauper sim propter te.
Aspice me, ut diligam te;
Voca me, ut videam te,
Et in aeternum fruar te.
Amen.

3.

Oratio S. Ignatii.

Suscipe, Domine, universam meam libertatem; accipe memoriam, intellectum atque voluntatem omnem. Quidquid habeo vel possideo, mihi largitus es: id tibi totum restituo ac tuae prorsus voluntati trado gubernandum. Amorem tui solum cum gratia tua mihi dones, et dives sum satis nec aliud quidquam ultra posco. Amen [1].

4.

Affectus S. Ignatii.

O Deus! ego amo te,
Nam prior tu amasti me;
En libertate privo me,
Ut sponte vinctus sequar te.

Nil suggerat memoria,
Nisi de tua gloria;
Nil intellectus sapiat,
Praeterquam ut te capiat.

Protestor, nihil velle me,
Nisi quod sciam velle te.
Quae dono tuo mea sunt,
Haec dono meo tua sunt.

A te accepi, recipe,
Quid eis velis, praecipe;
Guberna, sicut scis et vis,
Nam scio, quod amator sis.

[1] Ind. 300 d. s. i. d. (Leo XIII).

Digitized by Google

Amore solo dona me,
Ut ego quoque amem te
Et vigil et per somnia.
Haec dando dabis omnia. Amen.

5.

Actus amoris S. Francisci Xaverii.

O Deus! ego amo te,
Nec amo te, ut salves me,
Aut quia non amantes te
Aeterno punis igne.
Tu, tu, mi Iesu, totum me
Amplexus es in cruce:
Tulisti clavos, lanceam
Multamque ignominiam,
Innumeros dolores,
Sudores et angores,
Ac mortem: et haec propter me
Ac pro me peccatore.
Cur igitur non amem te,
O Iesu amantissime?
Non ut in coelo salves me,
Aut ne aeternum damnes me,
Nec praemii ullius spe:
Sed sicut tu amasti me,
Sic amo et amabo te,
Solum, quia Rex meus es,
Et solum, quia Deus es.
Amen.

6.

Anima Christi, sanctifica me.
Corpus Christi, salva me.
Sanguis Christi, inebria me.
Aqua lateris Christi, lava me.
Passio Christi, conforta me.
O bone Iesu, exaudi me.
Intra vulnera tua absconde me.
Ne permittas me separari a te.
Ab hoste maligno defende me.
In hora mortis meae voca me.
Et iube me venire ad te,
Ut cum Sanctis tuis laudem te
In saecula saeculorum.
Amen [1].

[1] Ind. 300 d. t. q.; 7 annorum s. i. d. post Missam vel Communionem; plenaria semel in mense (Pius IX).

Digitized by Google

Orationes ante lectionem et studium.

1.

℣. Deus, in adiutorium meum intende.
℟. Domine, ad adiuvandum me festina.

Oremus. Actiones nostras, quaesumus Domine, aspirando praeveni et adiuvando prosequere, ut cuncta nostra oratio et operatio a te semper incipiat et per te coepta finiatur. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

2.

Domine Iesu Christe, omnis sapientiae fons et lumen cordium, largire mihi, quaeso, mentis illustrationem, acumen ingenii et intellegentiae claritatem, ut meus in legendo et discendo labor nomini tuo glorificando et proximo adiuvando serviat mihique sit salutaris. Amen. *[Oratio B. Petri Canisii.]*

3.

Creator ineffabilis, qui de thesauris sapientiae tuae tres Angelorum hierarchias designasti et eas super coelum empyreum miro ordine collocasti, atque universi partes elegantissime disposuisti; tu, inquam, qui verus fons luminis et sapientiae diceris ac supereminens principium: infundere digneris super intellectus mei tenebras tuae radium claritatis, duplices, in quibus natus sum, a me removens tenebras, peccatum scilicet et ignorantiam. Tu, qui linguas infantium facis disertas, linguam meam erudias, atque in labiis meis gratiam tuae bene-

Digitized by Google

dictionis infunde. Da mihi intellegendi acumen, retinendi capacitatem, addiscendi modum et facultatem, interpretandi subtilitatem, loquendi gratiam copiosam; ingressum instruas, progressum dirigas, egressum compleas: tu, qui es verus Deus et homo, qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen [1]. *[Oratio S. Thomae Aq.]*

4.

Consecratio studiorum in honorem Immaculatae Conceptionis B. Mariae V.

Sub patrccinio tuo, Mater dilectissima, et invocato Immaculatae Conceptionis tuae mysterio studia mea laboresque litterarios prosequi volo, quibus me protestor hunc maxime ob finem incumbere, ut melius divino honori tuoque cultui propagando inserviam. Oro te igitur, Mater amantissima, Sedes sapientiae, ut laboribus meis benigne faveas; ego vero, quod iustum est, pie libenterque promitto, quidquid boni mihi inde successerit, id me tuae apud Deum intercessioni totum acceptum relaturum. Amen [2].

Orationes post lectionem et studium.

1.

℣. Nos cum prole pia.
℟. Benedicat Virgo Maria.

---

[1] Ind. 200 d. s. i. d. (Leo XIII).
[2] Ind. 300 d. s. i. d. (Leo XIII).

Digitized by Google

Oremus. Agimus tibi gratias, omnipotens Deus, pro universis beneficiis tuis, qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

2.

Tibi laus et gloria, Deus aeterne, quod gratia tua duce hunc absolvi laborem, quem tibi gratum et mihi salutarem esse concede.

Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam, ut semper in omnibus et super omnia in nobis et pro nobis benedicaris. Per Christum Dominum nostrum. Amen. *[Oratio B. Petri Canisii.]*

3.

Tot sint tibi laudes, Iesu, quod litteras scripsi, quot verba legi; — tot quoque sint laudes tibi, Virgo Maria.

Infunde, Domine, cordi meo lumen sapientiae tuae, et purifica cogitationes meas, ut te plene agnoscere, digne laudare, perfecte diligere, et omnia studia mea semper ad gloriam tuam referre valeam. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Preces iaculatoriae.

Ad Deum.

1. Deus meus et omnia! [1]

2. Domine mi, fac ut amem te, et ut praemium amoris mei sit amare te magis in dies [2].

---

[1] Ind. 50 d. t. q. [2] Ind. 100 d. s. i. d.

Digitized by Google

3. Fiat, laudetur atque in aeternum superexaltetur iustissima, altissima et amabilissima voluntas Dei in omnibus [1].

4. Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus exercituum; plena est terra gloria tua. Gloria Patri, gloria Filio, gloria Spiritui Sancto [2].

Ad Iesum Christum.

1. Mi Iesu, misericordia! [3]

2. Iesus, Deus meus, super omnia amo te [4].

3. Dulcissime Iesu, ne sis mihi iudex, sed salvator [5].

4. Dulcissime Iesu, da mihi fidei, spei et caritatis augmentum, cor contritum et humiliatum [6].

5. Adoramus te, Sanctissime Domine Iesu Christe, benedicimus tibi, quia per sanctam crucem tuam redemisti mundum [7].

6. Ecce crucem Domini! Fugite partes adversae; vicit leo de tribu Iuda, radix David. Alleluia [8].

---

[1] Ind. 100 d. s. i. d.; plenaria semel in anno et in articulo mortis (Pius VII).

[2] Ind. 100 d. s. i. d.; ter diebus Dominicis et per Octavam SS. Trinitatis; plenaria semel in mense (Clemens XIV).

[3] Ind. 100 d. t. q. [4] Ind. 50 d. t. q.

[5] Ind. 50 d. t. q.; plenaria semel infra Octavam S. Hieronymi Aemiliani.

[6] Ind. 100 d. s. i. d. [7] Ind. 100 d. s. i. d.

[8] Ind. 100 d. s. i. d.

Digitized by Google

7. Laudetur et superexaltetur per omne momentum sanctissimum et divinissimum Sacramentum [1].

Ad SS. Cor Iesu.

8. Laudetur sacratissimum eucharisticum Cor Iesu [2].

9. Iesu, mitis et humilis corde, fac cor meum secundum cor tuum [3].

10. Cor Iesu flagrans amore nostri, inflamma cor nostrum amore tui [4].

11. Dulce Cor Iesu, sis amor meus [5].

12. Ametur ubique sacratissimum Cor Iesu [6].

13. Cor Iesu, habeo fiduciam in te [7].

14. Laudatum, adoratum, amatum cum grato animi affectu sit eucharisticum Cor Iesu singulis temporis momentis in omnibus orbis tabernaculis usque ad consummationem saeculorum. Amen [8].

Ad Spiritum Sanctum.

1. Veni Sancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium et tui amoris in eis ignem accende [9].

---

[1] Ind. 100 d. s. i. d.; ter feria V et per Octavam Corporis Christi; plenaria semel in mense. 100 d. in elevatione missae, item in benedictione et expositione SS. Sacramenti.

[2] Ind. 300 d. t. q. [3] Ind. 300 d. t. q.

[4] Ind. 100 d. s. i. d. [5] Ind. 300 d. s. i. d.

[6] Ind. 100 d. s. i. d.

[7] Ind. 300 d. s. i. d.; plenaria semel in mense.

[8] Ind. 100 d. s. i. d. [9] Ind. 300 d. t. q.

Digitized by Google

2. Spiritus Sancte, Spiritus veritatis, veni in corda nostra; da populis claritatem lucis tuae, ut in fidei unitate tibi complaceant[1].

Ad B. Mariam Virginem.

1. Dulce cor Mariae, esto salvatio mea[2].

2. O Maria, sine peccato concepta, ora pro nobis, qui ad te confugimus[3].

3. O Maria, quae in hunc mundum sine macula ingressa es, heu, impetra mihi a Deo, ut sine culpis ab illo egredi possim[4].

4. Benedicta sit sancta, immaculata et purissima conceptio beatissimae Virginis Mariae, Matris Dei[5].

5. *O Domina mea,* o Mater mea! Memento me esse tuum. Serva me, defende me, ut rem ac possessionem tuam[6].

6. *O Domina mea,* o Mater mea! Tibi me totum offero, atque ut me tibi probem devotum, consecro tibi hodie oculos meos, aures meas, os meum, cor meum, plane me totum. Quoniam itaque tuus sum, o bona Mater, serva me, defende me, ut rem ac possessionem tuam.

Ave Maria etc.[7]

---

[1] Ind. 100 d. s. i. d.

[2] Ind. 300 d. t. q.; plenaria semel in mense.

[3] Ind. 100 d. s. i. d.

[4] Ind. 100 d. s. i. d.

[5] Ind. 300 d. t. q.

[6] Ind. 40 d. t. q. in tentationibus.

[7] Ind. 100 d. s. i. d., si mane et vespere corde contrito recitaveris; plenaria semel in mense.

Digitized by Google

7. *Memorare,* o piissima Virgo Maria, non esse auditum a saeculo, quemquam ad tua currentem praesidia, tua implorantem auxilia, tua petentem suffragia esse derelictum. Ego, tali animatus confidentia, ad te, Virgo virginum, Mater, curro, ad te venio, coram te gemens peccator assisto. Noli, Mater Verbi, verba mea despicere, sed audi propitia et exaudi. Amen [1]. *[Oratio S. Bernardi.]*

Variae.

1. Iesus, Maria, Ioseph! [2]

2. *Iesus, Maria, Ioseph!* Vobis dono cor meum et animam meam. Iesus, Maria, Ioseph! Assistite mihi in ultima agonia. Iesus, Maria, Ioseph! Exspiret in pace vobiscum anima mea [3].

3. Fac nos innocuam, *Ioseph,* decurrere vitam;
Sitque tuo semper tuta patrocinio [4].

4. *Angele* Dei, qui *custos* es mei, me tibi commissum pietate superna illumina, custodi, rege et guberna. Amen [5].

5. Retribuere dignare, Domine, omnibus *nobis bona facientibus* propter nomen tuum vitam aeternam. Amen [6].

---

[1] Ind. 300 d. t. q.; plenaria semel in mense.

[2] Ind. 7 annorum et 7 quadragenarum t. q.

[3] Ind. 300 d. t. q. [4] Ind. 300 d. s. i. d.

[5] Ind. 100 d. t. q.; plenaria semel in mense et in articulo mortis.

[6] Ind. 50 d. bis i. d.

Digitized by Google

6. Domine Deus meus, iam nunc quodcumque mortis genus prout tibi placuerit, cum omnibus suis angoribus, poenis ac doloribus de manu tua aequo ac libenti animo suscipio [1].

7. *Requiem aeternam* dona eis Domine, et lux perpetua luceat eis [2].

---

[1] Ind. plenaria in articulo mortis pro omnibus, qui confessi et sacra Communione refecti, semel hanc orationem recitaverint.

[2] Ind. 50 d. t. q. (pro defunctis).

Digitized by Google

Pars II.

Preces matutinae et vespertinae.

I. Preces matutinae.

1. Diebus Dominicis et festivis

ex parvis horis Breviarii dicatur Prima secundum rubricas.

2. Preces matutinae dicendae Feria II et V.

Pater. Ave *(secreto)*.

℣. Domine, † labia mea aperies.

℟. Et os meum annuntiabit laudem tuam.

℣. Deus, † in adiutorium meum intende.

℟. Domine, ad adiuvandum me festina.

Gloria Patri et Filio * et Spiritui Sancto.

Sicut erat in principio et nunc et semper, * et in saecula saeculorum. Amen. Alleluia[1].

Hymnus.

Iam lucis orto sidere
Deum precemur supplices,
Ut in diurnis actibus
Nos servet a nocentibus.

Linguam refraenans temperet,
Ne litis horror insonet,
Visum fovendo contegat,
Ne vanitates hauriat.

[1] Sic dicitur per annum; a Dominica in Septuagesima vero usque ad Feriam V in Coena Domini dicitur: „*Laus tibi, Domine, Rex aeternae gloriae.*“

Digitized by Google

Sint pura cordis intima,
Absistat et vecordia:
Carnis terat superbiam
Potus cibique parcitas.

Ut cum dies abscesserit,
Noctemque sors reduxerit,
Mundi per abstinentiam
Ipsi canamus gloriam.

Deo Patri sit gloria
Eiusque soli Filio,
Cum Spiritu Paraclito,
Nunc et per omne saeculum. Amen [1].

Ant. (Domini.)

---

[1] Sic terminatur hymnus per annum; a Nativitate Domini usque ad Epiphaniam, in festo Corporis Christi et per Octavam, nec non in festis B. Mariae Virg. dicitur:

Iesu, tibi sit gloria,
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre et almo Spiritu
In sempiterna saecula. Amen.

In festo Epiphaniae et per Octavam:

Iesu, tibi sit gloria,
Qui apparuisti gentibus, etc.

In festo Ascensionis D. N. I. Chr. et per Octavam:

Qui victor in coelum redis, etc.

Tempore Paschali (usque ad festum SS. Trinitatis excl.) terminatur hymnus:

Deo Patri sit gloria,
Et Filio, qui a mortuis
Surrexit, ac Paraclito
In sempiterna saecula. Amen.

Digitized by Google

Psalm. 23.

Domini est terra et plenitudo eius, * orbis terrarum et universi, qui habitant in eo.

Quia ipse super maria fundavit eum, * et super flumina praeparavit eum.

Quis ascendet in montem Domini? * aut quis stabit in loco sancto eius?

Innocens manibus et mundo corde, * qui non accepit in vano animam suam nec iuravit in dolo proximo suo.

Hic accipiet benedictionem a Domino * et misericordiam a Deo salutari suo.

Haec est generatio quaerentium eum, * quaerentium faciem Dei Iacob.

Attollite portas, principes, vestras et elevamini, portae aeternales, * et introibit Rex gloriae.

Quis est iste Rex gloriae? * Dominus fortis et potens, Dominus potens in proelio.

Attollite portas, principes, vestras et elevamini, portae aeternales, * et introibit Rex gloriae.

Quis est iste Rex gloriae? * Dominus virtutum ipse est Rex gloriae.

Gloria Patri et Filio * et Spiritui Sancto.

Sicut erat in principio et nunc et semper, * et iu saecula saeculorum. Amen.

Ant. Domini est terra et plenitudo eius, orbis terrarum et universi, qui habitant in eo.

Digitized by Google

Capitulum. Zach 8, 19.

Pacem et veritatem diligite, ait Dominus omnipotens. ℟. Deo gratias.

Resp. brev. ℣. Inclina cor meum, Deus, * In testimonia tua. ℟. Inclina... ℣. Averte oculos meos, ne videant vanitatem: in via tua vivifica me. ℟. In testimonia tua. ℣. Gloria Patri... ℟. Inclina...

℣. Ego dixi: Domine, miserere mei.

℟. Sana animam meam, quia peccavi tibi.

℣. Domine, averte faciem tuam a peccatis meis.

℟. Et omnes iniquitates meas dele.

℣. Cor mundum crea in me, Deus.

℟. Et spiritum rectum innova in visceribus meis.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

Ure igne Sancti Spiritus renes nostros et cor nostrum, Domine, ut tibi casto corpore serviamus et mundo corde placeamus. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate eiusdem Spiritus Sancti Deus per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

℣. Adiutorium † nostrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit coelum et terram.

Examen particulare *(secreto).*

Cogita de peccato seu defectu speciali, quem emendare, seu de virtute, quam prae aliis exercere proposuisti: perpende occasiones, renova propositum, implora humiliter Dei auxilium.

Digitized by Google

Quo finito incipit Diurnus et prosequuntur omnes ad formandam bonam intentionem:

Suscipe, Domine, | universam meam libertatem. | Accipe memoriam, intellectum atque voluntatem omnem. | Quidquid habeo vel possideo, | tu mihi largitus es: | id tibi totum restituo ac tuae prorsus voluntati trado gubernandum. | Amorem tui solum cum gratia tua mihi dones | et dives sum satis | nec aliud quidquam ultra posco. Amen[1].

℣. Kyrie eleison. ℟. Christe eleison.
℣. Kyrie eleison. Pater noster . . . *(secreto).*
℣. Et ne nos inducas in tentationem.
℟. Sed libera nos a malo.
℣. Dignare, Domine, die isto.
℟. Sine peccato nos custodire.
℣. Miserere nostri, Domine.
℟. Miserere nostri.
℣. Fiat misericordia tua, Domine, super nos.
℟. Quemadmodum speravimus in te.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.

Orémus.

Propitiare, Domine, supplicationibus nostris et coelesti nos protege auxilio: ut actiones nostras et praecedente gratia tua dirigas et subsequenti comitari digneris, nosque in debito servitio perseverantes sub tuo semper praesidio gaudere concedas. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

---

[1] Ind. 300 d. s. i. d.

Digitized by Google

℣. Sancta Maria, omnes Angeli Dei et omnes Sancti, adiuvate nos orationibus vestris pro nobis ad Deum.

℟. Ut secundum eum, qui vocavit nos, Sanctum, et ipsi in omni conversatione sancti simus (1 Petr 1).

Oremus.

Custodi nos, quaesumus Domine, intercedente Virgine Maria cum omnibus sanctis Angelis et electis tuis, ut et necessaria percipiamus mortalis vitae solatia et ad beatam immortalitatem pertingere valeamus. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

℣. In Deo salutare meum et gloria mea.

℟. Deus auxilii mei, et spes mea in Deo est.

Oremus.

Exaudi, quaesumus Domine, supplicum preces, et devoto tibi pectore in hoc seminario nostro famulantes, una cum Antistite nostro N. totiusque Archidioeceseos clero perpetua defensione custodi, ut nullis perturbationibus impediti, liberam servitutem tuis semper exhibeamus officiis. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Lector. ℣. Iube, domne, benedicere.

Bened. Dies et actus nostros in sua pace disponat Dominus omnipotens. ℟. Amen.

Lectio brev. (Is 55, 6.) Quaerite Dominum, dum inveniri potest; invocate eum, dum prope est. Tu autem, Domine, miserere nobis.

Digitized by Google

℟. Deo gratias.
℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit coelum et terram.
℣. Benedicite. ℟. Deus.

Bened. Dominus nos bene † dicat et ab omni malo defendat et ad vitam perducat aeternam, et fidelium animae per misericordiam Dei requiescant in pace. ℟. Amen.

Angelus Domini . . . (p. 33).

3. Preces matutinae dicendae Feria III et VI.

Pater. Ave *(secreto)*.
℣. Domine, † labia mea aperies.
℟. Et os meum annuntiabit laudem tuam.
℣. Deus, † in adiutorium meum intende.
℟. Domine, ad adiuvandum me festina.
Gloria Patri et Filio * et Spiritui Sancto.
Sicut erat in principio et nunc et semper, * et in saecula saeculorum. Amen. Alleluia.

Hymnus.

Iam lucis orto sidere
Deum precemur supplices,
Ut in diurnis actibus
Nos servet a nocentibus.

Linguam refraenans temperet,
Ne litis horror insonet,
Visum fovendo contegat,
Ne vanitates hauriat.

Sint pura cordis intima,
Absistat et vecordia:
Carnis terat superbiam
Potus cibique parcitas.

Ut cum dies abscesserit,
Noctemque sors reduxerit,
Mundi per abstinentiam
Ipsi canamus gloriam.

Digitized by Google

Deo Patri sit gloria
Eiusque soli Filio,
Cum Spiritu Paraclito,
Nunc et per omne saeculum. Amen.

Ant. Voluntarie sacrificabo.

Psalm. 53.

Deus, in nomine tuo salvum me fac, * et in virtute tua iudica me.

Deus, exaudi orationem meam: * auribus percipe verba oris mei.

Quoniam alieni insurrexerunt adversum me, et fortes quaesierunt animam meam, * et non proposuerunt Deum ante conspectum suum.

Ecce enim Deus adiuvat me, * et Dominus susceptor est animae meae.

Averte mala inimicis meis, * et in veritate tua disperde illos.

Voluntarie sacrificabo tibi, * et confitebor nomini tuo, Domine, quoniam bonum est.

Quoniam ex omni tribulatione eripuisti me, * et super inimicos meos despexit oculus meus.

Gloria Patri et Filio * et Spiritui Sancto.

Sicut erat in principio et nunc et semper, * et in saecula saeculorum. Amen.

Ant. Voluntarie sacrificabo tibi, et confitebor nomini tuo, Domine, quoniam bonum est.

Capitulum. Rom 13, 12 s.

Nox praecessit, dies autem appropinquavit: abiciamus ergo opera tenebrarum et induamur arma

Digitized by Google

lucis, sicut in die honeste ambulemus. ℟. Deo gratias.

Resp. brev. ℣. Benedicam Dominum * In omni tempore. ℟. Benedicam . . . ℣. Semper laus eius in ore meo. ℟. In omni . . . ℣. Gloria Patri . . . ℟. Benedicam . . .

℣. Dominus regit me, et nihil mihi deerit.

℟. In loco pascuae ibi me collocavit.

℣. In matutinis meditabor in te, Domine, quia tu fuisti adiutor meus.

℟. Et in velamento alarum tuarum exsultabo.

℣. Praeveni in maturitate, Domine, et clamavi.

℟. Quia in verba tua supersperavi.

Oremus.

Deus, cuius clementia non solum beneficia praestat immeritis, sed affectum quoque nobis, quo gratias referamus, inspirat, da nobis, ut pietatis tuae repleti muneribus, laudes, quas nunquam sufficienter exsolvimus, nunquam reddere desinamus. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum etc. ℟. Amen.

℣. Adiutorium † nostrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit coelum et terram.

Examen particulare *(secreto).*

Cogita de peccato seu defectu speciali, quem emendare, seu de virtute, quam prae aliis exercere proposuisti: perpende occasiones, renova propositum, implora humiliter Dei auxilium.

Digitized by Google

Quo finito incipit Diurnus et pergunt omnes:

Ecce mi amantissime Iesu, | te aspirante trado tibi omnia mea, | ut in rebus prosperis et adversis a te dirigantur et gubernentur. | Trado tibi omnes vires animae et corporis, | ut in unione sacratissimi Cordis tui Dei gloriae unice inserviant. | Et si quid adversi mihi hodie acciderit, | a benedicta manu tua illud accipiam | ad imitationem illius tui amoris, | quo passionis calicem e manu Patris recepisti. Amen.

℣. Kyrie eleison. ℟. Christe eleison.
℣. Kyrie eleison. Pater noster . . . *(secreto).*
℣. Et ne nos inducas in tentationem.
℟. Sed libera nos a malo.
℣. Domine, Deus virtutum, converte nos.
℟. Et ostende faciem tuam, et salvi erimus.
℣. Exsurge, Christe, adiuva nos.
℟. Et libera nos propter nomen tuum.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

Deus, celsitudo humilium et fortitudo rectorum, qui per unigenitum Filium tuum ita erudire mundum dignatus es, ut omnis illius actio fieret nostra instructio: excita in nobis Spiritus tui fervorem, ut quod ille verbo et exemplo salubriter docuit, nos efficaciter imitari valeamus: qui tecum vivit et regnat in unitate eiusdem Spiritus Sancti Deus per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

Digitized by Google

℣. Precibus et meritis beatae Mariae semper Virginis et omnium Angelorum Sanctorumque suorum.

℟. Deus Pater omnipotens sit nobis propitius et clemens.

Oremus.

A cunctis nos, quaesumus Domine, mentis et corporis defende periculis, et intercedente beata et gloriosa semper virgine Dei genitrice Maria et beato Ioseph, cum beatis Apostolis tuis Petro et Paulo, atque beato Carolo et omnibus Sanctis salutem nobis tribue benignus et pacem, ut, destructis adversitatibus et erroribus universis, Ecclesia tua secura tibi serviat libertate. Per eundem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

℣. Nos populus tuus et oves pascuae tuae.

℟. Confitebimur tibi, Domine, in saeculum.

Oremus.

Domine sancte, Pater fidei, spei et gratiae et profectuum remunerator, qui per omnia elementa voluntatis tuae diffundis effectum, famulos tuos in hoc nostro seminario degentes spirituali dignare illustrare affectu, ut tuis obsequiis expediti sanctis altaribus tuis ministri puri accrescant et virtutibus universis, quibus tibi servire oportet, instructi tibi complaceant. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Lector. ℣. Iube, domne, benedicere.

Bened. Dies et actus nostros in sua pace disponat Dominus omnipotens. ℟. Amen.

Digitized by Google

Lectio brev. (1 Io 5, 4.) Carissimi, omne quod natum est ex Deo, vincit mundum, et haec est victoria, quae vincit mundum, fides nostra. Tu autem, Domine, miserere nobis. ℟. Deo gratias.

℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit coelum et terram.

℣. Benedicite. ℟. Deus.

Bened. Dominus non bene † dicat et ab omni malo defendat et ad vitam perducat aeternam, et fidelium animae per misericordiam Dei requiescant in pace. ℟. Amen.

Angelus Domini . . . (p. 33).

4. Preces matutinae dicendae Feria IV et Sabbato.

Pater. Ave *(secreto).*

℣. Domine, † labia mea aperies.

℟. Et os meum annuntiabit laudem tuam.

℣. Deus, † in adiutorium meum intende.

℟. Domine, ad adiuvandum me festina.

Gloria Patri et Filio * et Spiritui Sancto.

Sicut erat in principio et nunc et semper, * et in saecula saeculorum. Amen. Alleluia.

Hymnus.

Iam lucis orto sidere
Deum precemur supplices,
Ut in diurnis actibus
Nos servet a nocentibus.

Linguam refraenans temperet,
Ne litis horror insonet,
Visum fovendo contegat,
Ne vanitates hauriat.

Digitized by Google

Sint pura cordis intima,
Absistat et vecordia:
Carnis terat superbiam
Potus cibique parcitas.

Ut cum dies abscesserit,
Noctemque sors reduxerit,
Mundi per abstinentiam
Ipsi canamus gloriam.

Deo Patri sit gloria
Eiusque soli Filio,
Cum Spiritu Paraclito,
Nunc et per omne saeculum. Amen.

Ant. (Iubilate.)

Psalm. 99.

Iubilate Deo omnis terra, * servite Domino in laetitia.

Introite in conspectu eius * in exsultatione.

Scitote, quoniam Dominus ipse est Deus: * ipse fecit nos et non ipsi nos.

Populus eius et oves pascuae eius: * introite portas eius in confessione, atria eius in hymnis: confitemini illi.

Laudate nomen eius, quoniam suavis est Dominus, in aeternum misericordia eius, * et usque in generationem et generationem veritas eius.

Gloria Patri et Filio * et Spiritui Sancto.

Sicut erat in principio et nunc et semper, * et in saecula saeculorum. Amen.

Ant. Iubilate Deo omnis terra, servite Domino in laetitia.

Capitulum. 1 Io 4, 16.

Deus caritas est, et qui manet in caritate, in Deo manet et Deus in eo. ℟. Deo gratias.

Digitized by Google

Resp. brev. ℣. In aeternum, Domine, * Permanet verbum tuum. ℟. In aeternum . . . ℣. In saeculum saeculi veritas tua. ℟. Permanet . . . ℣. Gloria Patri . . . ℟. In aeternum . . .

℣. Quid mihi, Domine, est in coelo?

℟. Et a te quid volui super terram?

℣. Defecit caro mea et cor meum.

℟. Deus cordis mei et pars mea Deus in aeternum.

℣. Mihi adhaerere Deo bonum est.

℟. Ponere in Domino Deo spem meam.

Oremus.

Deus, qui diligentibus te bona invisibilia praeparasti, infunde cordibus nostris tui amoris affectum, ut te in omnibus et super omnia diligentes, promissiones tuas, quae omne desiderium superant, consequamur. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum etc. ℟. Amen.

℣. Adiutorium † nostrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit coelum et terram.

Examen particulare *(secreto).*

Cogita de peccato seu defectu speciali, quem emendare, seu de virtute, quam prae aliis exercere proposuisti: perpende occasiones, renova propositum, implora humiliter Dei auxilium.

Quo peracto incipit Diurnus et pergunt omnes:

Pater sanctissime, | in unione vitae, passionis et mortis Christi, | meritorum beatae Mariae semper

Digitized by Google

Virginis et omnium Sanctorum, | offero Divinae Maiestati tuae | per hanc diem integram | omnes meas intentiones et cogitationes, | omnes meos affectus et desideria, | omnia mea verba et opera.

℣. Kyrie eleison. ℟. Christe eleison.

℣. Kyrie eleison. Pater noster . . . *(secreto).*

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos a malo.

℣. Et ego ad te, Domine, clamavi.

℟. Et mane oratio mea praeveniet te.

℣. Repleatur os meum laude.

℟. Ut cantem gloriam tuam, tota die magnitudinem tuam.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

Actiones nostras, quaesumus Domine, aspirando praeveni et adiuvando prosequere, ut cuncta nostra oratio et operatio a te semper incipiat et per te coepta finiatur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

℣. Sancta Maria, omnes Angeli Dei et omnes Sancti, intercedere dignemini pro nostra omniumque salute.

℟. Ut nos mereamur ab eo adiuvari et salvari, qui vivit et regnat in saecula saeculorum.

Oremus.

Concede, quaesumus omnipotens Deus, ut intercessio sanctae Dei genitricis Mariae sanctorumque

Digitized by Google

omnium Apostolorum, Martyrum, Confessorum atque Virginum et omnium electorum tuorum nos ubique laetificet, ut, dum eorum merita recolimus, patrocinia sentiamus. Per eundem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

℣. Esto nobis, Domine, turris fortitudinis.

℟. A facie inimici.

Oremus.

Infunde, quaesumus Domine Deus, famulis tuis in hoc seminario degentibus Spiritum veritatis et pacis, ut, quae tibi placita sunt, toto corde cognoscant, et quae cognoverint, unanimi voluntatum consensu sectentur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Lector. ℣. Iube, domne, benedicere.

Bened. Dies et actus nostros in sua pace disponat Dominus omnipotens. ℟. Amen.

Lectio brev. (1 Thess 5, 23.) Ipse autem Deus pacis sanctificet vos per omnia, ut integer spiritus vester et anima et corpus sine querela in adventu Domini nostri Iesu Christi servetur. Tu autem, Domine, miserere nobis. ℟. Deo gratias.

℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit coelum et terram.

℣. Benedicite. ℟. Deus.

Bened. Dominus nos bene † dicat et ab omni malo defendat et ad vitam perducat aeternam, et fidelium animae per misericordiam Dei requiescant in pace. ℟. Amen.

Angelus Domini . . . (p. 33).

Digitized by Google

5. Preces matutinae dicendae die Communionis generalis.

Pater. Ave *(secreto)*.

℣. Domine, † labia mea aperies.

℟. Et os meum annuntiabit laudem tuam.

℣. Deus, † in adiutorium meum intende.

℟. Domine, ad adiuvandum me festina.

Gloria Patri et Filio * et Spiritui Sancto.

Sicut erat in principio et nunc et semper, * et in saecula saeculorum. Amen. Alleluia.

Hymnus[1].

Iam lucis orto sidere
Deum precemur supplices,
Ut in diurnis actibus
Nos servet a nocentibus.

Linguam refraenans temperet,
Ne litis horror insonet,
Visum fovendo contegat,
Ne vanitates hauriat.

Sint pura cordis intima,
Absistat et vecordia:
Carnis terat superbiam
Potus cibique parcitas.

Ut cum dies abscesserit,
Noctemque sors reduxerit,
Mundi per abstinentiam
Ipsi canamus gloriam.

Iesu, tibi sit gloria,
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre et almo Spiritu
In sempiterna saecula. Amen.

Ant. Haurietis aquas.

---

[1] Potest etiam recitari hymnus eucharisticus ex parte VII.

Digitized by Google

Psalm. 83.

Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum! * Concupiscit et deficit anima mea in atria Domini.

Cor meum et caro mea * exsultaverunt in Deum vivum.

Etenim passer invenit sibi domum, * et turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos.

Altaria tua, Domine virtutum, * Rex meus et Deus meus.

Beati, qui habitant in domo tua, Domine: * in saecula saeculorum laudabunt te.

Beatus vir, cuius est auxilium abs te: * ascensiones in corde suo disposuit, in valle lacrimarum, in loco, quem posuit.

Etenim benedictionem dabit legislator, ibunt de virtute in virtutem: * videbitur Deus deorum in Sion.

Domine Deus virtutum, exaudi orationem meam, * auribus percipe, Deus Iacob.

Protector noster aspice Deus, * et respice in faciem Christi tui.

Quia melior est dies una in atriis tuis * super millia.

Elegi abiectus esse in domo Dei mei, * magis quam habitare in tabernaculis peccatorum.

Quia misericordiam et veritatem diligit Deus: * gratiam et gloriam dabit Dominus.

Non privabit bonis eos, qui ambulant in innocentia: * Domine virtutum, beatus homo, qui sperat in te.

Digitized by Google

Gloria Patri et Filio * et Spiritui Sancto.

Sicut erat in principio et nunc et semper, * et in saecula saeculorum. Amen.

Ant. Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris, et dicetis in illa die: Confitemini Domino et invocate nomen eius.

Capitulum. 1 Cor 11, 26.

Quotiescumque enim manducabitis panem hunc et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat. R. Deo gratias.

Resp. brev.[1] ℣. Cibavit illos ex adipe frumenti, * Alleluia, alleluia. ℟. Cibavit . . . ℣. Et de petra melle saturavit eos. ℟. Alleluia, alleluia. ℣. Gloria . . . ℟. Cibavit . . .

℣. Educas panem de terra, alleluia.

℟. Et vinum laetificet cor hominis, alleluia.

℣. Posuit fines tuos pacem, alleluia.

℟. Ex adipe frumenti satiat te, alleluia.

Oremus.

Deus, qui nobis sub Sacramento mirabili passionis tuae memoriam reliquisti, tribue quaesumus, ita nos Corporis et Sanguinis tui sacra mysteria venerari, ut redemptionis tuae fructum in nobis

---

[1] Tempore Quadragesimali sine Alleluia: ℣. Cibavit illos * Ex adipe frumenti. ℟. Cibavit . . . ℣. Et de petra melle saturavit eos. ℟. Ex adipe . . . ℣. Gloria . . . ℟. Cibavit . . .

Digitized by Google

iugiter sentiamus. Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti Deus per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

℣. Adiutorium † nostrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit coelum et terram.

Examen particulare *(secreto).*

Cogita de peccato seu defectu speciali, quem emendare, seu de virtute, quam prae aliis exercere proposuisti: perpende occasiones, renova propositum, implora humiliter Dei auxilium.

Quo finito incipit Diurnus et pergunt omnes:

Domine Iesu Christe, | in unione illius divinae intentionis, | qua ipse in terris per sanctissimum Cor tuum laudes Deo persolvisti | et nunc continenter in Eucharistiae sacramento persolvis | usque ad consummationem saeculi, | ego per hanc diem integram, | nulla nec minima parte excepta, | ad imitationem sacratissimi Cordis B. Mariae semper Virginis Immaculatae | tibi libentissime offero omnes meas intentiones et cogitationes, | omnes meos affectus et desideria, | omnia mea opera et verba [1].

℣. Kyrie eleison. ℟. Christe eleison.

℣. Kyrie eleison. Pater noster. . . . *(secreto).*

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos a malo.

℣. Dignare, Domine, die isto.

℟. Sine peccato nos custodire.

---

[1] Ind. 100 d. s. i. d.

Digitized by Google

℣. Miserere nostri, Domine.
℟. Miserere nostri.
℣. Fiat misericordia tua, Domine, super nos.
℟. Quemadmodum speravimus in te.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

Fiant in nobis, quaesumus Domine, Sacramenta, quae de tua bonitate sumus sumpturi, fons aquae salientis in vitam aeternam, et adauge gratiam, ut illorum virtute cibus noster sit facere voluntatem tuam, per eundem et cum eodem, quem pro nostra salute misisti et in crucem dedisti, Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

℣. Pretiosa in conspectu Domini.
℟. Mors Sanctorum eius.

Oratio.

Sancta Maria et omnes Sancti intercedant pro nobis ad Dominum, ut nos mereamur ab eo adiuvari et salvari, qui vivit et regnat in saecula saeculorum. ℟. Amen.

℣. Unus panis, unum corpus multi sumus.
℟. Omnes, qui de uno pane participamus.

Oremus.

De uno pane et de uno calice participantibus da, Domine, cor unum et animam unam et con-

Digitized by Google

cede, ut qui in hoc seminario in nomine sancto tuo sumus congregati, nosmet ipsos tibi, Domino Deo nostro, hostiam humilitatis et laudis in ara cordis igne fervidae caritatis iugiter immolemus. Per Christum Domiuum nostrum. ℟. Amen.

Lector. ℣. Iube, domne, benedicere.

Bened. Dies et actus nostros in sua pace disponat Dominus omnipotens. ℟. Amen.

Lectio brev. (1 Cor 11, 27.) Quicumque manducaverit panem hunc vel biberit calicem Domini indigne, reus erit Corporis et Sangninis Domini. Tu autem, Domine, miserere nobis. ℟. Deo gratias.

℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit coelum et terram.

℣. Benedicite. ℟. Deus.

Bened. Dominus nos bene † dicat et ab omni malo defendat et ad vitam perducat aeternam, et fidelium animae per misericordiam Dei requiescant in pace. ℟. Amen.

Angelus Domini . . . (p. 33).

6. Preces matutinae privatae.

1.

(Dum evigilas vel excitaris:)

Deus, Deus meus, ad te de luce vigilo. Benedicta sit sancta et individua Trinitas nunc et semper et per infinita saecula saeculorum. Amen. Gloria Patri, qui creavit me; gloria Filio, qui redemit me; gloria Spiritui Sancto, qui sanctificavit me.

Digitized by Google

(Dum surgis, forma signum crucis et dic:)

In nomine Domini nostri Iesu Christi surgo; ipse me benedicat, regat, custodiat et ad vitam perducat aeternam. Amen.

(Dum vestes induis:)

Redde mihi, *Pater aeterne,* et conserva in me vestem innocentiae, quam in Baptismate recepi, ne paradiso coelesti excludar. Amen.

Indue me, *Iesu Christe,* rex gloriae, fragrantibus virtutum tuarum vestimentis, humilitatis scilicet, patientiae, caritatis et castitatis, ut Patris coelestis obtineam benedictionem. Amen.

Orna me, *Sancte Spiritus,* toga polymita donorum tuorum, ut in oculis tuis gratiam inveniam. Amen.

Mihi autem absit gloriari, nisi in Cruce Domini nostri Iesu Christi, in quo est salus, vita et resurrectio nostra, per quem salvati et liberati sumus.

(Indutus aspergas te aqua lustrali, et omni qua potes devotione genuflexus has recita preces:)

1. O mi Deus! spes, desiderium, amor meus es; ameris, glorificeris ab omnibus, in omnibus, super omnia in aeternum! Adoro et veneror te, o sanctissima Trinitas! te glorifico, laudo, benedico ac me ante thronum maiestatis tuae humillime prosterno. Quam bonus hucusque erga me fuisti! Tibi gratias ago pro universis beneficiis tuis, ac praesertim, quod me hac nocte custodieris et conservaveris. Quot, eheu! hac nocte e cubili suo ad tuum tribunal indeque ad inferos rapti sunt!

Digitized by Google

2. O Pater aeterne, tibi me totum et animae vires et corporis sensus et omnia, quae sum et quae habeo, offero. Suscipe, mi Pater, hos novae diei primos amores eosque incendio amoris Filii tui meritisque coniunge. „Quid enim mihi est in coelo, et a te quid volui super terram? Defecit caro mea et cor meum, Deus cordis mei, et pars mea Deus in aeternum“ (Ps 72, 25 26).

3. Ecce, mi amantissime Iesu! te aspirante firmiter statuo, hodie ardenti corde viam mandatorum tuorum currere, probi christiani partes explere, consueta pietatis officia devote obire, virtutem et praesertim puritatem sectari, universa denique et singula in nomine tuo facere et pati. „Utinam dirigantur viae meae ad custodiendas iustificationes tuas“ (Ps 118, 5).

4. O mi Deus, quem amo super omnia, da mihi, servo tuo, cor docile, ut tuam voluntatem hodie in omnibus impleam; protege me, amantissime Pater, et custodi me ab omni peccato. Malo mori, quam illud peccatum . . . iterum committere. Tu, precor, in tot periculis vacillantem praesens robora, qui spopondisti: „Super aspidem et basiliscum ambulabis, et conculcabis leonem et draconem“ (Ps 90, 13).

5. O Domina mea, sancta Maria, Mater Dei ac mea, in tuam benedictam fidem ac singularem custodiam et in sinum misericordiae tuae hodie et quotidie et in hora exitus mei animam meam et corpus meum commendo. Omnem spem et consolationem meam, omnes angustias et miserias meas, vitam et finem vitae meae tibi committo, ut per tuam sanc-

Digitized by Google

tissimam intercessionem et per merita tua omnia mea dirigantur et disponantur opera, secundum tuam tuique Filii voluntatem. Amen.

Angele Dei, qui custos es mei, me tibi commissum pietate superna, hodie illumina, custodi, rege et guberna.

Adeste mihi, o beatorum spirituum agmina; praesertim vos, patroni mei N. N., piis precibus vestris ac meritis servate me a malis et adiuvate in omnibus bonis. Amen.

In nomine Patris † et Filii et Spiritus Sancti. Amen.

Memento, tuum esse hodie:

Deum glorificare, Iesum imitari, beatissimum Virginem et Sanctos venerari, Angelos invocare, animam salvare, corpus mortificare, virtutes a Deo exorare, peccata expiare, paradisum comparare, infernum evitare, aeternitatem considerare, tempus bene applicare, proximum aedificare, mundum formidare, daemones impugnare, passiones fraenare, mortem semper exspectare, ad iudicium te praeparare.

Fiducia in Deum.

In Deo solo spero, — Quod ille vult, hoc volo; — Quod non vult, non desidero, — Non ambio, non horreo; — Sic laeta fluit lux, — Sic nulla premit crux.

Si vult, ut sim beatus, — Conabor esse gratus; — Si contra vult me miserum, — Nec minus ego gratus sum; — Nam solus ille scit, — Quid bonum mihi sit.

Digitized by Google

Nil iuris in me sorti, — Illudo totus morti; — Divina providentia — Est vitae meae regula; — Si Deus stet pro me, — Quis erit contra me?

Hic labor unus meus, — Ne te offendam, Deus; — Labantur coeli sidera, — Solvatur mundi machina, — Nil haec terrebunt me, — Possideo dum te.

Ad quemlibet horae pulsum.

Ultima in mortis hora — Filium pro nobis ora, — Bonam mortem impetra, — Virgo, Mater, Domina!

2.

Preces matutinae B. Petri Canisii S. J.

(Mane cum e lecto surgendum est, dices:)

Sancti Spiritus adsit nobis gratia.

Adiutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit coelum et terram.

Per signum S. Crucis † de inimicis nostris libera nos, Domine Deus noster.

In nomine Domini nostri Iesu Christi surgo. Ille me benedicat, regat, custodiat et ad vitam perducat aeternam. Amen.

(Postquam surrexeris, ita in orando perge:)

Gratias ago clementiae tuae, omnipotens et sempiterne Deus, fons bonorum omnium, quod me indignum hac nocte conservasti, et ad praesentis diei principium incolumem perduxisti. Tuam maiestatem reverentes pro me salutent beati Spiritus et Sancti omnes, tuumque gloriosum nomen ob collata tua in me infinita beneficia celebrent. Sed et creaturae

Digitized by Google

omnes te pro nobis collaudent, ut quovis momento temporis et in saecula benedicaris. Amen.

Ad Christum Iesum Redemptorem.

Domine Iesu Christe, Fili Dei vivi, Redemptor et Salvator mortalium, credo et confiteor, quod cum homo factus esses, sanguinem tuum sacrosanctum aeterno Patri obtuleris pro me et humano genere universo. Qua de causa tibi ex toto corde gratias ago. Pater noster.

Offero tibi, Domine Iesu Christe, corpus meum et animam meam. Custodi me, precor, hodierno die ab omni peccato, et concede gratiam ad laudem tuam omnia feliciter auspicandi et absolvendi. Pater noster.

Domine Iesu Christe, commendo tibi sanctam Ecclesiam ac totius mundi populum, cum Catholicis omnibus vivis ac defunctis. Commendo praeterea meos parentes, fratres, sorores, benefactores, amicos et alios, pro quibus precari debeo. His omnibus peto tuam gratiam et perfectionem assiduam vitamque aeternam dari. Domine Iesu, miserere mei ac omnium peccatorum. Pater noster.

Ad Deiparam Virginem.

Saluto te, gloriosa Mater Dei et regina coeli, patrona mea singularis, tuaeque maternae pietati me hodierno die commendo, ut ad Filii tui gloriam et ad salutem meam proximique commodum omnia, quae facturus sum, rite instituantur atque absolvantur. In omni tribulatione et angustia nostra succurre nobis et amicis, piissima Virgo Maria.

Digitized by Google

Ad Sanctum Angelum Custodem.

Obsecro te, Angelice Spiritus, custos et tutor meus fidelis, ut in via pacis, prosperitatis et salutis te duce hodie dirigar, atque ab omni spiritu malo gravique tentatione defendar.

Peto etiam, te favente ac iuvante mihi praesidium dari, ut secundum Dei voluntatem vitia fugiam et omnes virtutes christianas exerceam, quoad tecum communi Domino in coelesti patria laetus assistam ac serviam. Amen.

Ad coelestem benedictionem obtinendam.

Ab omni mortali peccato et scandalo, ab hostibus visibilibus et invisibilibus, a subitanea mala et aeterna morte, a periculo animae et corporis nos liberet, Catholicos praeterea omnes ubique locorum in vera fide et oboedientia sancta custodiat divina Maiestas et una Deitas, Pater et Filius et Spiritus Sanctus. Amen.

℣. Nos cum prole pia.

℟. Benedicat Virgo Maria.

II. Preces vespertinae.

1. Diebus Dominicis et festivis

dicatur Completorium secundum rubricas Breviarii.

2. Preces vespertinae dicendae Feria II et V.

Pater. Ave *(secreto)*.

℣. Converte nos, Deus salutaris noster.

℟. Et averte iram tuam a nobis.

Digitized by Google

℣. Deus, † in adiutorium meum intende.
℟. Domine, ad adiuvandum me festina.

Gloria Patri et Filio * et Spiritui Sancto.

Sicut erat in principio et nunc et semper, * et in saecula saeculorum. Amen. Alleluia.

Ant. In manus tuas.

Psalm. 30.

In te, Domine, speravi, non confundar in aeternum: * in iustitia tua libera me.

Inclina ad me aurem tuam, * accelera, ut eruas me.

Esto mihi in Deum protectorem et in domum refugii, * ut salvum me facias.

Quoniam fortitudo mea et refugium meum es tu, * et propter nomen tuum deduces me et enutries me.

Educes me de laqueo hoc, quem absconderunt mihi, * quoniam tu es Protector meus.

In manus tuas commendo spiritum meum: * redemisti me, Domine Deus veritatis.

Gloria Patri et Filio * et Spiritui Sancto.

Sicut erat in principio et nunc et semper, * et in saecula saeculorum. Amen.

Ant. In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum.

Digitized by Google

Hymnus.

Te lucis ante terminum,
Rerum Creator, poscimus,
Ut pro tua clementia
Sis praesul et custodia.

Procul recedant somnia
Et noctium phantasmata,
Hostemque nostrum comprime,
Ne polluantur corpora.

Praesta, Pater piissime [1],
Patrique compar Unice
Cum Spiritu Paraclito
Regnans per omne saeculum. Amen.

Capitulum. Apc 7, 12.

Benedictio et claritas et sapientia et gratiarum actio, honor, virtus et fortitudo Deo nostro in saecula saeculorum. Amen. ℟. Deo gratias.

Resp. brev. ℣. Dixi Domino: * Deus meus es tu. ℟. Dixi . . . ℣. Exaudi, Domine, vocem deprecationis meae. ℟. Deus . . . ℣. Gloria Patri . . . ℟. Dixi . . .

℣. Vespertina oratio ascendat ad te, Domine.
℟. Et descendat super nos misericordia tua.
℣. Dignare, Domine, nocte ista.
℟. Sine peccato nos custodire.
℣. Miserere nostri, Domine.
℟. Miserere nostri.
℣. Fiat misericordia tua, Domine, super nos.
℟. Quemadmodum speravimus in te.

---

[1] Mutatur ultimus versus iuxta rubricam supra p. 54, nota 1.

Digitized by Google

℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

Exaudi, Domine, famulos tuos vespertina nomini tuo vota reddentes; et quos per singula diei momenta servasti, per noctis quietem custodire dignare. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

℣. Adiutorium † nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit coelum et terram.

Examen conscientiae quotidianum *(secreto).*

Examen particulare: Exige ab anima tua rationem, per horas singulas vestigando de peccato seu defectu particulari, a quo emendari, aut de virtute, quam acquirere cupis. — Expende, an statim a somno proposueris diligentem tui custodiam circa peccatum seu defectum emendandum aut virtutem acquirendam.

Examen generale: Expende, quot et quanta beneficia, naturalia et supernaturalia, a Domino acceperis, quidque tu Benefactori amantissimo reddideris:

1. In exercitiis piis (erga Deum):

Quomodo heri instituisti examen particulare et generale?

Quomodo persolvisti preces vespertinas?

Quomodo meditationem praeparasti vel ad puncta proposita attendisti?

An postea recollectionem mentis servare studuisti?

An decumbens materiam meditationis tibi in memoriam revocasti?

Digitized by Google

An usque ad somnum et, cum in nocte evigilares, pias cogitationes fovere aut preces recitare studuisti?

An mane statim ad campanae pulsum ex amore Dei surrexisti?

An inter induendum et lavandum preces fudisti?

An de examinis particularis et meditationis materia cogitasti?

An preces matutinas devote recitasti?

An B. Mariae V. patrocinium implorare, Angelum Custodem invocare, bonam intentionem renovare non omisisti?

An meditationem fideliter instituisti?

An Missam attente audisti et sacram Communionem devote recepisti?

An Salutationem Angelicam, Rosarium et preces ad prandium vel coenam devote persolvisti?

An Visitationem SS. Sacramenti devote instituisti?

An lectioni ad mensam bene attendisti, lectionem spiritualem non omisisti?

An aliquoties in die bonam intentionem renovare studuisti?

2. In conversatione (erga proximum):

An contra praeceptores aut superiores murmurasti, inoboedientem vel irreverentem te exhibuisti?

An contra commilitones amaras aut invidas cogitationes, vanas aut falsas suspiciones fovisti?

An verbis asperis, contumeliosis aut irrisoriis offendisti? maledicis detraxisti?

An mendacio te maculasti?

An scandalo fuisti?

3. Tui ipsius custodia:

An in cibo et potu sumendo abstinentiae aliquantisper vel saltem temperantiae studuisti?

Digitized by Google

An tempus studio addictum recto ordine rectaque intentione studendo impendisti? inter studia neminem turbasti?

An reliquo tempore recreandis viribus vere consuluisti?

An circa puritatem vigilasti, sensus et praesertim oculos custodisti, tentationibus fortiter restitisti?

An leges urbanitatis et decoris clericalis ubique, domi et foris, in mensa et conversatione observasti?

An in adversis te patientem exhibuisti?

An proposita mane concepta exsecutus es?

(Dein Hebdomadarius s. Diurnus facit confessionem:)

Confiteor Deo omnipotenti, beatae Mariae semper Virgini, beato Michaeli Archangelo, beato Ioanni Baptistae, sanctis Apostolis Petro et Paulo, omnibus Sanctis et vobis, fratres, quia peccavi nimis cogitatione, verbo et opere: mea culpa, mea culpa, mea maxima culpa. Ideo precor beatam Mariam semper Virginem, beatum Michaelem Archangelum, beatum Ioannem Baptistam, sanctos Apostolos Petrum et Paulum, omnes Sanctos et vos, fratres, orare pro me ad Dominum Deum nostrum.

(Chorus respondet:)

Misereatur tui omnipotens Deus, et dimissis peccatis tuis perducat te ad vitam aeternam. ℟. Amen.

(Deinde repetit Chorus Confessionem, et ubi dicitur: *„vobis, fratres“* et *„vos, fratres“* — dicatur: *„tibi, pater“* et *„te, pater“*.)

Digitized by Google

(Facta Confessione a Choro, Hebdomadarius s. Diurnus dicit:)

Misereatur vestri omnipotens Deus, et dimissis peccatis vestris perducat vos ad vitam aeternam. ℟. Amen.

Indulgentiam, † absolutionem et remissionem peccatorum nostrorum tribuat nobis omnipotens et misericors Dominus. ℟. Amen.

1. Pro Feria II.

Litaniae de Spiritu Sancto.

Kyrie eleison.
Christe eleison.
Kyrie eleison.
Christe, audi nos.
Christe, exaudi nos.
Pater de coelis Deus, — Miserere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus [1],
Spiritus Sancte Deus,
Sancta Trinitas, unus Deus,
Spiritus Sancte Deus, a Patre Filioque procedens,
Spiritus Sancte Deus, qui cum Patre et Filio adoraris et conglorificaris [1],
Spiritus Sancte Deus, quo totum corpus Ecclesiae sanctificatur et regitur,
Spiritus, ex quo renascimur,
Spiritus adoptionis filiorum Dei,
Spiritus veritatis, suggerens nobis omnia et docens nos omnem veritatem,
Spiritus, per quem caritas Dei diffusa est in cordibus nostris,

[1] Miserere nobis.

[1] Miserere nobis.

Digitized by Google

Spiritus, adiuvans infirmitatem nostram [1],
Spiritus, postulans pro nobis gemitibus inenarrabilibus,
Spiritus Paracletus, nobiscum manens in aeternum,
Spiritus, gratias et dona tua varie distribuens,
Spiritus sapientiae et intellectus,
Spiritus consilii et fortitudinis,
Spiritus scientiae et pietatis,
Spiritus timoris Domini,
Spiritus sanctificationis,
Spiritus virtutis, dilectionis et sobrietatis,
Spiritus gratiae et precum,
Spiritus humilitatis et castitatis,
Spiritus caritatis, benignitatis et mansuetudinis,
Spiritus pacis, modestiae et patientiae,

[1] Miserere nobis.

Spiritus compunctionis, promissionis, renovationis ac sanctificationis [1],
Propitius esto. — Parce nobis, Domine,
Propitius esto. — Exaudi nos, Domine,
Ab omni spiritu malo — Libera nos, Domine,
A tentationibus et insidiis diaboli [2]
Ab omni praesumptione et desperatione
Ab impugnatione agnitae veritatis
Ab omni invidia et dissensione
Ab omni immunditia mentis et corporis
Peccatores, — Te rogamus, audi nos,
Ut sicut spiritu vivimus, ita et spiritu ambulemus [3],
Ut spiritu facta carnis mortificemus,

[1] Miserere nobis.
[2] Libera nos, Domine.
[3] Te rogamus, audi nos.

Digitized by Google

Ut solliciti simus servare unitatem spiritus in vinculo pacis [1],

Ut spiritu ambulantes desideria carnis non perficiamus,

Ut paupertatem spiritus in nobis excitare et fovere digneris,

Ut nos mites et mansuetos reddere digneris,

Ut gratiam pii luctus nobis dare digneris,

Ut verae iustitiae esuriem sitimque nobis largiri digneris,

Ut sinceros misericordiae et caritatis affectus nobis infundere digneris,

Ut spiritum rectum innovare et cor mundum in nobis creare digneris,

Ut simus pacifici et digni vocari filii Dei,

Ut persecutiones propter iustitiam fortiter et constanter perferamus,

Ut non contristemus te Spiritum Sanctum, quo signati sumus [1],

Ut idoneos nos facias Novi Testamenti ministros,

Ut nos facias fideles mysteriorum Dei dispensatores,

Ut fecundes, quod in te seminamus verbum Dei, semen bonum,

Ut confortes nos in omni opere et sermone bono,

Ut Ecclesia sancta in te congregata hostili nullatenus incursione turbetur,

Ut pastores cum grege sibi commisso in vinculo sanctae pacis velis servare,

Ut quod coepisti in nobis opus bonum, perficias usque in diem Christi Iesu,

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, — Parce nobis, Domine.

[1] Te rogamus, audi nos.

[1] Te rogamus, audi nos.

Digitized by Google

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, — Exaudi nos, Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, — Miserere nobis.
Christe, audi nos.
Christe, exaudi nos.

Oremus.

Illo nos igne, quaesumus Domine, Spiritus Sanctus inflammet, quem Dominus noster Iesus Christus misit in terram et voluit vehementer accendi. Per eundem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Oremus pro Pontifice nostro N.

Deus, omnium fidelium pastor et rector, famulum tuum N., quem pastorem Ecclesiae tuae praeesse voluisti, propitius respice: da ei, quaesumus, verbo et exemplo, quibus praeest, proficere, ut ad vitam, una cum grege sibi credito, perveniat sempiternam. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Angelus Domini . . . (p. 33).

Pro fidelibus defunctis.

Psalm. 129 [1].

De profundis clamavi ad te, Domine, * Domine, exaudi vocem meam.

Fiant aures tuae intendentes * in vocem deprecationis meae.

Si iniquitates observaveris, Domine, * Domine, quis sustinebit?

---

[1] Ind. 100 d. recitantibus prima hora noctis; plenaria semel in anno (Clemens XII).

Digitized by Google

Quia apud te propitiatio est, * et propter legem tuam sustinui te, Domine.

Sustinuit anima mea in verbo eius, * speravit anima mea in Domino.

A custodia matutina usque ad noctem * speret Israel in Domino.

Quia apud Dominum misericordia * et copiosa apud eum redemptio.

Et ipse redimet Israel * ex omnibus iniquitatibus eius.

℣. Requiem aeternam dona eis, Domine.
℟. Et lux perpetua luceat eis.
℣. Requiescant in pace.
℟. Amen.

2. Pro Feria V.

Litaniae de SS. Eucharistiae Sacramento.

Kyrie eleison.
Christe eleison.
Kyrie eleison.
Christe, audi nos.
Christe, exaudi nos.
Pater de coelis Deus, — Miserere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus [1],
Spiritus Sancte Deus,
Sancta Trinitas, unus Deus,

[1] Miserere nobis.

Panis vivus, qui de coelo descendisti [1],
Deus absconditus et salvator,
Frumentum electorum,
Vinum germinans virgines,
Panis pinguis et deliciae regum,
Iuge sacrificium,
Oblatio munda,
Agnus absque macula,

[1] Miserere nobis.

Digitized by Google

Mensa purissima [1],
Angelorum esca,
Manna absconditum,
Memoria mirabilium Dei,
Panis supersubstantialis,
Verbum caro factum,
Habitans in nobis,
Hostia sancta,
Calix benedictionis,
Mysterium fidei,
Praecelsum et venerabile Sacramentum,
Sacrificium omnium sanctissimum,
Vere propitiatorium pro vivis et defunctis,
Coeleste antidotum, quo a peccatis praeservamur,
Stupendum super omnia miraculum,
Sacratissima Dominicae passionis commemoratio,
Donum transcendens omnem plenitudinem,
Memoriale praecipuum divini amoris,

[1] Miserere nobis.

Divinae affluentiae largitatis [1],
Sacrosanctum et augustissimum mysterium.
Pharmacum immortalitatis,
Tremendum ac vivificum Sacramentum,
Panis omnipotentia Verbi caro factus,
Incruentum sacrificium,
Cibus et conviva,
Dulcissimum convivium, cui assistunt angeli ministrantes,
Sacramentum pietatis,
Vinculum caritatis,
Offerens et oblatio,
Spiritualis dulcedo in proprio fonte degustata,
Refectio animarum sanctarum,
Viaticum in Domino morientium,
Pignus futurae gloriae,
Propitius esto. — Parce nobis, Domine.
Propitius esto. — Exaudi nos, Domine.

[1] Miserere nobis.

Digitized by Google

Ab indigna corporis et sanguinis tui susceptione — Libera nos, Domine.
A concupiscentia carnis [1]
A concupiscentia oculorum
A superbia vitae
Ab omni peccandi occasione
Per desiderium illud, quo hoc Pascha cum discipulis manducare desiderasti,
Per summam humilitatem, qua discipulorum pedes lavasti,
Per ardentissimam caritatem, qua hoc divinum Sacramentum instituisti,
Per sanguinem tuum pretiosissimum, quem nobis in altari reliquisti,
Per quinque vulnera huius tui corporis sacratissimi, quae pro nobis suscepisti,
Peccatores, — Te rogamus, audi nos.

[1] Libera nos, Domine.

Ut nobis fidem, reverentiam et devotionem huius admirabilis Sacramenti augere et conservare digneris [1],
Ut ad frequentem usum Eucharistiae per veram peccatorum confessionem nos perducere digneris,
Ut nos ab omni haeresi, perfidia ac cordis caecitate liberare digneris,
Ut sanctissimi huius Sacramenti pretiosos et coelestes fructus nobis impertiri digneris,
Ut in hora mortis nostrae hoc coelesti viatico nos confortare et munire digneris,
Fili Dei,
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, — Parce nobis, Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, — Exaudi nos, Domine.

[1] Te rogamus, audi nos.

Digitized by Google

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, — Miserere nobis.	Christe, audi nos. Christe, exaudi nos.

Ant. O sacrum convivium, in quo Christus sumitur, recolitur memoria passionis eius: mens impletur gratia, et futurae gloriae nobis pignus datur.

℣. Panem de coelo praestitisti eis.
℟. Omne delectamentum in se habentem.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

Deus, qui nobis sub Sacramento mirabili passionis tuae memoriam reliquisti: tribue, quaesumus, ita nos Corporis et Sanguinis tui sacra mysteria venerari, ut redemptionis tuae fructum in nobis iugitur sentiamus. Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti Deus per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

Oremus pro Antistite nostro N.

Da, quaesumus Domine, famulo tuo, Antistiti nostro N. spiritum consilii et fortitudinis, spiritum scientiae et pietatis, ut per dignum Pontificis institutum crescat devotio sancta fidelium, et salus gregis gaudium sit ac corona pastoris. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Angelus Domini . . . (p. 33).
De profundis . . . (p. 89).

Digitized by Google

3. Preces vespertinae dicendae Feria III et VI.

Pater. Ave *(secreto)*.

℣. Converte nos, Deus salutaris noster.

℟. Et averte iram tuam a nobis.

℣. Deus, † in adiutorium meum intende.

℟. Domine, ad adiuvandum me festina.

Gloria Patri et Filio * et Spiritui Sancto.

Sicut erat in principio et nunc et semper, * et in saecula saeculorum. Amen. Alleluia.

Ant. Si ambulavero.

Psalm. 22.

Dominus regit me, et nihil mihi deerit: * in loco pascuae ibi me collocavit.

Super aquam refectionis educavit me: * animam meam convertit.

Deduxit me super semitas iustitiae * propter nomen suum.

Nam etsi ambulavero in medio umbrae mortis, non timebo mala, * quoniam tu mecum es.

Virga tua et baculus tuus, * ipsa me consolata sunt.

Parasti in conspectu meo mensam * adversus eos, qui tribulant me.

Impinguasti in oleo caput meum: * et calix meus inebrians, quam praeclarus est!

Et misericordia tua subsequetur me * omnibus diebus vitae meae.

Et ut inhabitem in domo Domini * in longitudinem dierum.

Digitized by Google

Gloria Patri et Filio * et Spiritui Sancto.

Sicut erat in principio et nunc et semper, * et in saecula saeculorum. Amen.

Ant. Si ambulavero in medio umbrae mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es.

Hymnus.

Te lucis ante terminum,
Rerum Creator, poscimus,
Ut pro tua clementia
Sis praesul et custodia.

Procul recedant somnia
Et noctium phantasmata,
Hostemque nostrum comprime,
Ne polluantur corpora.

Praesta, Pater piissime,
Patrique compar Unice
Cum Spiritu Paraclito
Regnans per omne saeculum. Amen.

Capitulum. 2 Cor 1, 3 s.

Benedictus Deus et Pater Domini nostri Iesu Christi, Pater misericordiarum et Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra. ℟. Deo gratias.

Resp. brev. ℣. Ecce nunc benedicite Dominum, * Omnes servi Domini. ℟. Ecce . . . ℣. Qui statis in domo Domini, in atriis domus Dei nostri. ℟. Omnes . . . ℣. Gloria Patri . . . ℟. Ecce nunc . . .

℣. In noctibus extollite manus vestras in sancta.
℟. Et benedicite Dominum.

℣. Dignare, Domine, nocte ista.
℟. Sine peccato nos custodire.

Digitized by Google

℣. Miserere nostri, Domine.
℟. Miserere nostri.
℣. Fiat misericordia tua, Domine, super nos.
℟. Quemadmodum speravimus in te.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

Suscipe, quaesumus Domine, nostram gratiarum actionem, et praesta, ut quos per huius diei decursum incolumes servare dignatus es, ab omni in posterum adversitate custodias. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum etc. ℟. Amen.

℣. Adiutorium † nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit coelum et terram.

Examen conscientiae (p. 83).

Confiteor. Misereatur. Indulgentiam ... (p. 85 sq).

1. Pro Feria III.

Litaniae de SS. Nomine Iesu [1].

Kyrie eleison.
Christe eleison.
Kyrie eleison.
Iesu, audi nos.
Iesu, exaudi nos.
Pater de coelis Deus, — Miserere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus [2],
Spiritus Sancte Deus,
Sancta Trinitas, unus Deus,
Iesu, Fili Dei vivi,
Iesu, splendor Patris,

[1] Ind. 300 d. (Pius IX).
[2] Miserere nobis.

Digitized by Google

Iesu, candor lucis aeternae [1],
Iesu, rex gloriae,
Iesu, sol iustitiae,
Iesu, fili Mariae Virginis,
Iesu amabilis,
Iesu admirabilis,
Iesu, Deus fortis,
Iesu, pater futuri saeculi,
Iesu, magni consilii angele,
Iesu potentissime,
Iesu patientissime,
Iesu oboedientissime,
Iesu, mitis et humilis corde,
Iesu, amator castitatis,
Iesu, amator noster,
Iesu, Deus pacis,
Iesu, auctor vitae,
Iesu, exemplar virtutum,
Iesu, zelator animarum,
Iesu, Deus noster,
Iesu, refugium nostrum,
Iesu, pater pauperum,
Iesu, thesaurus fidelium,
Iesu, bone pastor,
Iesu, lux vera,
Iesu, sapientia aeterna,

[1] Miserere nobis.

Iesu, bonitas infinita [1],
Iesu, via et vita nostra,
Iesu, gaudium Angelorum,
Iesu, rex Patriarcharum,
Iesu, magister Apostolorum,
Iesu, doctor Evangelistarum,
Iesu, fortitudo Martyrum,
Iesu, lumen Confessorum,
Iesu, puritas Virginum,
Iesu, corona Sanctorum omnium,
Propitius esto. — Parce nobis, Iesu.
Propitius esto. — Exaudi nos, Iesu.
Ab omni malo — Libera nos, Iesu.
Ab omni peccato [2]
Ab ira tua
Ab insidiis diaboli
A spiritu fornicationis
A morte perpetua
A neglectu inspirationum tuarum

[1] Miserere nobis.
[2] Libera nos, Iesu.

Digitized by Google

Per mysterium sanctae incarnationis tuae [1]
Per nativitatem tuam
Per infantiam tuam
Per divinissimam vitam tuam
Per labores tuos
Per agoniam et passionem tuam
Per crucem et derelictionem tuam
Per languores tuos
Per mortem et sepulturam tuam
Per resurrectionem tuam
Per ascensionem tuam [1]
Per gaudia tua
Per gloriam tuam
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, — Parce nobis, Iesu.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, — Exaudi nos, Iesu.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, — Miserere nobis, Iesu.
Iesu, audi nos.
Iesu, exaudi nos.

Oremus.

Domine Iesu Christe, qui dixisti: Petite, et accipietis; quaerite, et invenietis; pulsate, et aperietur vobis: quaesumus, da nobis petentibus divinissimi tui amoris affectum, ut te toto corde, ore et opere diligamus et a tua nunquam laude cessemus.

Sancti Nominis tui, Domine, timorem pariter et amorem fac nos habere perpetuum, quia nunquam tua gubernatione destituis, quos in soliditate tuae dilectionis instituis.

Ecclesiam tuam, Domine, miseratio continuata mundet et muniat; et quia sine te non potest salva

[1] Libera nos, Iesu.

Digitized by Google

consistere, tuo semper munere gubernetur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Angelus Domini . . . (p. 33).

De profundis . . . (p. 89).

2. Pro Feria VI.

Litaniae de sacro Corde Iesu.

Kyrie eleison.
Christe eleison.
Kyrie eleison.
Christe, audi nos.
Christe, exaudi nos.
Pater de coelis Deus [1],
Fili Redemptor mundi Deus,
Spiritus Sancte Deus,
Sancta Trinitas, unus Deus,
Cor Iesu, Filii Patris aeterni,
Cor Iesu, in sinu Virginis Matris a Spiritu Sancto formatum,
Cor Iesu, Verbo Dei substantialiter unitum,
Cor Iesu, maiestatis infinitae,
Cor Iesu, templum Dei sanctum.
Cor Iesu, tabernaculum Altissimi [1],
Cor Iesu, domus Dei et porta coeli,
Cor Iesu, fornax ardens caritatis,
Cor Iesu, iustitiae et amoris receptaculum,
Cor Iesu, bonitate et amore plenum,
Cor Iesu, virtutum omnium abyssus,
Cor Iesu, omni laude dignissimum,
Cor Iesu, rex et centrum omnium cordium,
Cor Iesu, in quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae,
Cor Iesu, in quo habitat omnis plenitudo divinitatis,

[1] Miserere nobis.

Digitized by Google

Cor Iesu, in quo Pater sibi bene complacuit [1],
Cor Iesu, de cuius plenitudine omnes nos accepimus,
Cor Iesu, desiderium collium aeternorum,
Cor Iesu, patiens et multae misericordiae,
Cor Iesu, dives in omnes qui invocant te,
Cor Iesu, fons vitae et sanctitatis,
Cor Iesu, propitiatio pro peccatis nostris,
Cor Iesu, saturatum opprobriis,
Cor Iesu, attritum propter scelera nostra,
Cor Iesu, usque ad mortem oboediens factum,
Cor Iesu, lancea perforatum,
Cor Iesu, fons totius consolationis [1],
Cor Iesu, vita et resurrectio nostra,
Cor Iesu, pax et reconciliatio nostra,
Cor Iesu, victima peccatorum,
Cor Iesu, salus in te sperantium,
Cor Iesu, spes in te morientium,
Cor Iesu, deliciae Sanctorum omnium,
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, — Parce nobis, Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, — Exaudi nos, Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, — Miserere nobis.

℣. Iesu mitis et humilis corde.
℟. Fac cor nostrum secundum cor tuum.

Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus, respice in Cor dilectissimi Filii tui, et in laudes et satisfactiones,

[1] Miserere nobis.

Digitized by Google

quas in nomine peccatorum tibi persolvit, eisque misericordiam tuam petentibus tu veniam concede placatus, in nomine eiusdem Filii tui Iesu Christi: qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus, qui vivorum dominaris simul et mortuorum, omniumque misereris, quos tuos fide et opere futuros esse praenoscis, te supplices exoramus, ut pro quibus effundere preces decrevimus, quosque vel praesens saeculum adhuc in carne retinet vel futurum iam exutos corpore suscepit, intercedentibus omnibus Sanctis tuis, pietatis tuae clementia omnium delictorum suorum veniam consequantur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Angelus Domini . . . (p. 33).

De profundis . . . (p. 89).

4. Preces vespertinae dicendae Feria IV et Sabbato.

Pater. Ave *(secreto)*.

℣. Converte nos, Deus salutaris noster.

℟. Et averte iram tuam a nobis.

℣. Deus, † in adiutorium meum intende.

℟. Domine, ad adiuvandum me festina.

Gloria Patri et Filio * et Spiritui Sancto.

Sicut erat in principio et nunc et semper, * et in saecula saeculorum. Amen. Alleluia.

Ant. Salva nos.

Digitized by Google

Canticum Simeonis. Lc 2, 29—32.

Nunc dimittis servum tuum, Domine, * secundum verbum tuum in pace:

Quia viderunt oculi mei * salutare tuum,

Quod parasti * ante faciem omnium populorum:

Lumen ad revelationem Gentium * et gloriam plebis tuae Israel.

Gloria Patri et Filio * et Spiritui Sancto.

Sicut erat in principio et nunc et semper, * et in saecula saeculorum. Amen.

Ant. Salva nos, Domine, vigilantes, custodi nos dormientes, ut vigilemus cum Christo et requiescamus in pace.

Hymnus.

Te lucis ante terminum,
Rerum Creator, poscimus,
Ut pro tua clementia
Sis praesul et custodia.

Procul recedant somnia
Et noctium phantasmata,
Hostemque nostrum comprime,
Ne polluantur corpora.

Praesta, Pater piissime,
Patrique compar Unice
Cum Spiritu Paraclito
Regnans per omne saeculum. Amen.

Capitulum. Prv 3.

Fili mi, custodi legem atque consilium, et erit vita animae tuae et gratia faucibus tuis. Tunc ambulabis fiducialiter in via tua, et pes tuus non impinget. Si dormieris, non timebis; quiesces, et suavis erit somnus tuus. ℟. Deo gratias.

Digitized by Google

Resp. brev. ℣. Apud me oratio * Deo vitae meae.
℟. Apud me . . . ℣. Dicam Deo: Susceptor meus es.
℟. Deo . . . ℣. Gloria Patri . . . ℟. Apud me . . .
℣. In die mandavit Dominus misericordiam suam.
℟. Et nocte canticum eius.
℣. Dignare, Domine, nocte ista.
℟. Sine peccato nos custodire.
℣. Miserere nostri, Domine.
℟. Miserere nostri.
℣. Fiat misericordia tua, Domine, super nos.
℟. Quemadmodum speravimus in te.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

Fac nos, quaesumus Domine, tibi servire in sanctitate et iustitia omnibus diebus nostris, ut in pace consummato vitae cursu in illam requiem ingrediamur, ubi nox ultra non erit, et reportantes finem fidei nostrae salutem animarum, sempiterna tui fruitione laetemur. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum etc. ℟. Amen.
℣. Adiutorium † nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit coelum et terram.

Examen conscientiae (p. 83).

Confiteor. Misereatur. Indulgentiam . . . (p. 85 sq).

1. Pro Feria IV.

Litaniae omnium Sanctorum.

Kyrie eleison.	Kyrie eleison.
Christe eleison.	Christe, audi nos.

Digitized by Google

Christe, exaudi nos.
Pater de coelis Deus, — Miserere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus [1],
Spiritus Sancte Deus,
Sancta Trinitas, unus Deus,
Sancta Maria, — Ora pro nobis.
Sancta Dei Genitrix [2],
Sancta Virgo virginum,
Sancte Michael,
Sancte Gabriel,
Sancte Raphael,
Omnes sancti Angeli et Archangeli,
Omnes sancti beatorum Spirituum ordines,
Sancte Ioannes Baptista,
Sancte Ioseph,
Omnes sancti Patriarchae et Prophetae,
Sancte Petre,
Sancte Paule,
Sancte Andrea,
Sancte Iacobe,
Sancte Ioannes,
Sancte Thoma,
Sancte Iacobe [2],
Sancte Philippe,
Sancte Bartholomaee,
Sancte Matthaee,
Sancte Simon,
Sancte Thaddaee,
Sancte Matthia,
Sancte Barnaba,
Sancte Luca,
Sancte Marce,
Omnes sancti Apostoli et Evangelistae,
Omnes sancti Discipuli Domini,
Omnes sancti Innocentes,
Sancte Stephane,
Sancte Laurenti,
Sancte Vincenti,
Sancti Fabiane et Sebastiane,
Sancti Ioannes et Paule,
Sancti Cosma et Damiane,
Sancti Gervasi et Protasi,
Omnes sancti Martyres,
Sancte Silvester,
Sancte Gregori,
Sancte Ambrosi,
Sancte Augustine,
Sancte Hieronyme,

[1] Miserere nobis. [2] Ora (orate) pro nobis.

Digitized by Google

Sancte Martine [1],
Sancte Nicolae,
Omnes sancti Pontifices et Confessores,
Omnes sancti Doctores,
Sancte Antoni,
Sancte Benedicte,
Sancte Bernarde,
Sancte Dominice,
Sancte Francisce,
Omnes sancti Sacerdotes et Levitae,
Omnes sancti Monachi et Eremitae,
Sancta Maria Magdalena,
Sancta Agatha,
Sancta Lucia,
Sancta Agnes,
Sancta Caecilia,
Sancta Catharina,
Sancta Anastasia,
Omnes sanctae Virgines et Viduae, — Orate pro nobis.
Omnes Sancti et Sanctae Dei, — Intercedite pro nobis.
Propitius esto. — Parce nobis, Domine.

[1] Ora (orate) pro nobis.

Propitius esto. — Exaudi nos, Domine.
Ab omni malo — Libera nos, Domine.
Ab omni peccato [1]
Ab ira tua
A subitanea et improvisa morte
Ab insidiis diaboli
Ab ira et odio et omni mala voluntate
A spiritu fornicationis
A fulgure et tempestate
A flagello terraemotus
A peste, fame et bello
A morte perpetua
Per mysterium sanctae incarnationis tuae
Per adventum tuum
Per nativitatem tuam
Per baptismum et sanctum ieiunium tuum
Per crucem et passionem tuam
Per mortem et sepulturam tuam
Per sanctam resurrectionem tuam

[1] Libera nos, Domine.

Digitized by Google

Per admirabilem ascensionem tuam [1]

Per adventum Spiritus Sancti Paracliti

In die iudicii

Peccatores, — Te rogamus, audi nos.

Ut nobis parcas [2],

Ut nobis indulgeas,

Ut ad veram poenitentiam nos perducere digneris,

Ut Ecclesiam tuam sanctam regere et conservare digneris,

Ut domnum apostolicum et omnes ecclesiasticos ordines in sancta religione conservare digneris,

Ut inimicos sanctae Ecclesiae humiliare digneris,

Ut regibus et principibus christianis pacem et veram concordiam donare digneris,

[1] Libera nos, Domine.

[2] Te rogamus, audi nos.

Ut cuncto populo christiano pacem et unitatem largiri digneris [1],

Ut nosmet ipsos in tuo sancto servitio confortare et conservare digneris,

Ut mentes nostras ad coelestia desideria erigas,

Ut omnibus benefactoribus nostris sempiterna bona retribuas,

Ut animas nostras, fratrum, propinquorum et benefactorum nostrorum ab aeterna damnatione eripias,

Ut fructus terrae dare et conservare digneris,

Ut omnibus fidelibus defunctis requiem aeternam donare digneris,

Ut nos exaudire digneris,

Fili Dei,

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, — Parce nobis, Domine.

[1] Te rogamus, audi nos.

Digitized by Google

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, — Exaudi nos, Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, — Miserere nobis.
Christe, audi nos.
Christe, exaudi nos.

Oremus.

Deus, cui proprium est misereri semper et parcere, suscipe deprecationem nostram, ut nos et omnes famulos tuos, quos delictorum catena constringit, miseratio tuae pietatis clementer absolvat. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Angelus Domini . . . (p. 33).
De profundis . . . (p. 89).

2. Pro Sabbato.

Litaniae Lauretanae de B. Maria Virgine [1].

Kyrie eleison.
Christe eleison.
Kyrie eleison.
Christe, audi nos.
Christe, exaudi nos.
Pater de coelis Deus, — Miserere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus [2],
Spiritus Sancte Deus,
Sancta Trinitas, unus Deus,
Sancta Maria, — Ora pro nobis.
Sancta Dei Genitrix [3],
Sancta Virgo virginum,
Mater Christi,
Mater divinae gratiae,
Mater purissima,
Mater castissima,
Mater inviolata,

[1] Ind. 300 d. t. q.; plenaria quinque festis sollemnibus B. Mariae Virginis (Pius VII).

[2] Miserere nobis. [3] Ora pro nobis.

Digitized by Google

Mater intemerata [1],
Mater amabilis,
Mater admirabilis,
Mater boni Consilii,
Mater Creatoris,
Mater Salvatoris,
Virgo prudentissima,
Virgo veneranda,
Virgo praedicanda,
Virgo potens,
Virgo clemens,
Virgo fidelis,
Speculum iustitiae,
Sedes sapientiae,
Causa nostrae laetitiae,
Vas spirituale,
Vas honorabile,
Vas insigne devotionis,
Rosa mystica,
Turris Davidica,
Turris eburnea,
Domus aurea,
Foederis arca,
Ianua coeli,
Stella matutina,
Salus infirmorum,
Refugium peccatorum,
Consolatrix afflictorum,

Pater noster . . .

AuxiliumChristianorum [1],
Regina Angelorum,
Regina Patriarcharum,
Regina Prophetarum,
Regina Apostolorum,
Regina Martyrum,
Regina Confessorum,
Regina Virginum,
Regina Sanctorum omnium,
Regina sine labe originali concepta,
Regina sacratissimi Rosarii,
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, — Parce nobis, Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, — Exaudi nos, Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, — Miserere nobis.
Christe, audi nos.
Christe, exaudi nos.
Kyrie eleison.
Christe eleison.
Kyrie eleison.

[1] Ora pro nobis.

Digitized by Google

℣. Ora pro nobis, sancta Dei Genitrix.
℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus.

Concede nos famulos tuos, quaesumus Domine Deus, perpetua mentis et corporis sanitate gaudere, et gloriosa beatae Mariae semper Virginis intercessione a praesenti liberari tristitia et aeterna perfrui laetitia. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus, qui gloriam tuam omnibus in Christo gentibus revelasti, custodi opera misericordiae tuae, ut Ecclesia tua toto orbe diffusa stabili fide in confessione tui nominis perseveret. Per eundem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Angelus Domini . . . (p. 33).

De profundis . . . (p. 89).

5. Preces vespertinae dicendae ante diem Communionis generalis.

Pater. Ave *(secreto)*.

℣. Converte nos, Deus salutaris noster.
℟. Et averte iram tuam a nobis.
℣. Deus, † in adiutorium meum intende.
℟. Domine, ad adiuvandum me festina.

Gloria Patri et Filio * et Spiritui Sancto.

Sicut erat in principio et nunc et semper, * et in saecula saeculorum. Amen. Alleluia.

Ant. (Domine.)

Digitized by Google

Psalm. 14.

Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo? * aut quis requiescet in monte sancto tuo?

Qui ingreditur sine macula * et operatur iustitiam;

Qui loquitur veritatem in corde suo, * qui non egit dolum in lingua sua,

Nec fecit proximo suo malum * et opprobrium non accepit adversus proximos suos.

Ad nihilum deductus est in conspectu eius malignus, * timentes autem Dominum glorificat.

Qui iurat proximo suo et non decipit, * qui pecuniam suam non dedit ad usuram et munera super innocentem non accepit.

Qui facit haec, * non movebitur in aeternum.

Gloria Patri et Filio * et Spiritui Sancto.

Sicut erat in principio et nunc et semper, * et in saecula saeculorum. Amen.

Ant. Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo? aut quis requiescet in monte sancto tuo? Qui ingreditur sine macula et operatur iustitiam.

Hymnus.

Te lucis ante terminum,
Rerum Creator, poscimus,
Ut pro tua clementia
Sis praesul et custodia.

Procul recedant somnia
Et noctium phantasmata,
Hostemque nostrum comprime,
Ne polluantur corpora.

Digitized by Google

Iesu, tibi sit gloria,
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre et almo Spiritu
In sempiterna saecula. Amen.

Capitulum. 1 Cor 11, 23 24.

Fratres: Ego enim accepi a Domino, quod et tradidi vobis, quoniam Dominus Iesus, in qua nocte tradebatur, accepit panem, et gratias agens fregit et dixit: Accipite et manducate, hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur: hoc facite in meam commemorationem. ℟. Deo gratias.

Resp. brev.[1] ℣. Panem coeli dedit eis, * Alleluia, alleluia. ℟. Panem . . . ℣. Panem Angelorum manducavit homo. ℟. Alleluia, alleluia. ℣. Gloria Patri . . . ℟. Panem . . .

℣. Cibavit illos ex adipe frumenti, alleluia.
℟. Et de petra melle saturavit eos, alleluia.

℣. Dignare, Domine, nocte ista.
℟. Sine peccato nos custodire.

℣. Miserere nostri, Domine.
℟. Miserere nostri.

℣. Fiat misericordia tua, Domine, super nos.
℟. Quemadmodum speravimus in te.

---

[1] A Septuagesima usque ad Pascha sine *„Alleluia“:* ℣. Panem coeli * Dedit eis. ℟. Panem . . . ℣. Panem Angelorum manducavit homo. ℟. Dedit . . . ℣. Gloria Patri . . . ℟. Panem . . . ℣. Cibavit illos ex adipe frumenti. ℟. Et de petra melle saturavit eos.

Digitized by Google

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

Conscientias nostras, quaesumus Domine, visitando purifica, ut veniens Dominus noster Iesus Christus paratam sibi in nobis inveniat mansionem: qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

℣. Adiutorium † nostrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit coelum et terram.

Examen conscientiae (p. 83).

Confiteor. Misereatur. Indulgentiam ... (p. 85 sq).

Litaniae de SS. Eucharistiae Sacramento (ut supra p. 90).

Angelus Domini ... (p. 33).

De profundis ... (p. 89).

6. Preces vespertinae privatae.

1.

1. *O sacrosancta Trinitas,* quanta fuit tua erga me hucusque bonitas et liberalitas! *O Pater aeterne,* gratias tibi ago immensas, quia me ad imaginem tuam et ad salutem aeternam creasti, et in hanc usque horam tam paterne conservasti. Gratias tibi summas habeo, *Fili Dei,* quia pretioso sanguine tuo me redemisti et toties abluisti. Gratias tibi, *Sancte Spiritus,* maximas refero, quia me in baptismo

Digitized by Google

sanctificasti et ad sanctam Ecclesiam Romanam catholicam perduxisti.

Infinita laus et gratiarum actio sit tibi, sanctissima Trinitas; quia hodie omnibusque momentis vitae meae ab innumeris malis me protexisti et tot beneficiis cumulasti. Quid habeo, mi Deus, quod rependam tibi? Suscipe, obsecro, omnia Iesu et Mariae merita, et cum his me ipsum et omnia mea in perpetuum laudis et gratitudinis holocaustum.

2. O Pater luminum, per caritatem tuam aeternam erga me obtestor te, ut memoriam mihi renoves, intellectum illumines, voluntatem accendas gratiamque largiaris agnoscendi, detestandi, emendandi et compensandi omnia peccata mea, neglegentias et ingratitudines meas, quibus hodie oculos divinae maiestatis tuae offendi, ut deinceps tibi tamquam oboedientissimus filius semper in omnibus actionibus meis placeam.

3. Examen conscientiae (p. 83).

4. O Iesu, o Salvator mi! quam ingratum me tot ac tantis tuis beneficiis exhibui! quot nobilissimas horas male impendi! quot meriti aeterni occasiones neglexi! quot peccata denuo admisi, quorum ne vel unicum quidem pro totius mundi lucro fuisset admittendum! Damno ac detestor neglegentiam malitiamque meam, et doleo, quod animam meam tot naevis macularim oculisque tuis divinis foedam ingratamque reddiderim. Doleo deinde, mi Iesu, quod eisdem graves poenas incurrerim, et promeruerim supplicia iustitiae et irae tuae. Maxime vero

Digitized by Google

doleo de his et omnibus peccatis meis, quia displicent infinitae sanctitati tuae, quia offendunt summam bonitatem tuam, cui millies teneor et volo perfecte servire, placere et omnia, quae ipsi displicent, pro viribus evitare.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere mei, quia iniquitatem meam agnosco et ex intimo corde doleo, quod te Deum, summum et unicum bonum, unquam offenderim.

5. Iterumne peccabo? corpus et animam meam, vulnera et sanguinem Christi, coelum et omnia peccando prodigam? non faciam, o Sancte Spiritus, non faciam. Abrenuntio et detestor coram te omnia peccata mea, et si, quae feci, adhuc facienda forent, non facerem in aeternum. Hoc praesertim peccatum N., quod gravius te offendit, o Deus, omni, quo possum, modo cavebo. Sed unde mihi vires proposita haec exsequendi? Novi fragilitatem meam et naturae corruptae instabilitatem. „Velle quidem adiacet mihi, sed perficere non invenio.“ Ad te igitur confugio, o Spiritus divine! unica spes et robur animae meae. Omnia possum, si tu me confortes. Statuo et propono, omnia peccata mea, adiuvante gratia tua, corrigere et peccandi occasiones sicut pestem fugere; corrobora me, o Spiritus fortitudinis, et qui dedisti velle, da perficere, per Christum Dominum nostrum. Amen.

O fidelissime comes, a Deo tutelae meae assignate, protector et defensor, nunquam recedens a latere meo! Quas tibi gratias referam pro fide, amore innumerisque in me collatis beneficiis? Tu

Digitized by Google

dormienti advigilas, moestum solaris, deiectum erigis, imminentia pericula avertis, futura doces cavere, a peccatis abstrahis, ad bonum impellis, lapsum ad poenitentiam hortaris Deoque concilias; iamdudum fortassis in infernum detrusus fuissem, nisi tuis precibus divinam a me iram avertisses; ne, precor, me unquam deseras. Ne in peccata incidam, advigila et ad virtutes impelle, in adversis solare, in prosperis contine, in periculis tuere, in tentationibus adiuva, ne iis umquam succumbam. Preces et gemitus meos omniaque pia opera divino conspectui offer, atque effice, ut in gratia ex hac vita perveniam ad aeternam. Amen.

Quietem capiam, mi Iesu, ut vires corporis restaurem, et divino tuo obsequio aptior fiam. Mi Iesu, quoties respiro per noctem, toties tu a me sis benedictus, uti in coelis Seraphim te benedicunt ac Cherubim; mi Iesu, in te credo, mi Iesu, in te spero, mi Iesu, te amo super omnia. Tibi vigilo, tibi dormio, tibi vivo, tibi morior, amantissime Iesu!

Nos cum prole pia benedicat Virgo Maria. Amen.

(Dum vestes exuis, recita pro animabus fidelium defunctorum *„Pater noster“* et *„Ave Maria“* cum Psalmo *„De profundis“*.)

(Dum lectum subis: *„In nomine Domini nostri Iesu Christi crucifixi cubitum eo; ille me benedicat et custodiat et ad vitam perducat aeternam.“*)

(In lecto: *„In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum. In pace cum Deo et hominibus dormiam et requiescam.“*)

Digitized by Google

2.

Preces vespertinae B. Petri Canisii S. J.

1. Omnipotens et adorande Deus, qui maximam nostri semper curam geris, gratias ingentes ago benignitati tuae, quod me immerentem et ingratum hodie tot corporalibus et spiritualibus beneficiis cumulasti, ac multis etiam periculis et poenis meritis, in quas non pauci incurrerunt, per tuam misericordiam liberasti. Pater noster.

2. Fateor ac doleo, iustissime Deus, quod hoc ipso die cogitationibus, desideriis, verbis et factis maiestatem tuam saepe ac multum offendi, praesertim eo modo, loco ac tempore.

(Hic suam quisque conscientiam examinet, ac se probe iudicet.)

Proinde per immaculatam vitam et amaram passionem Christi Filii tui rogo supplex, ut quidquid ex fragilitate, ignorantia vel malitia in te, proximum et me ipsum hodie deliqui, id misero mihi clementer condones. Pater noster.

3. Peto etiam, Pater misericordiarum, abs te gratiam verae contritionis ac poenitentiae, ut peccata commissa quam primum deplorem ac deseram, ut praeterea posthac in vitae novitate rectius ambulem tuaeque voluntati et vocationi meae respondeam. Pater noster.

4. Cor mundum crea in me Deus, et castum corpus tribue noctemque hanc tranquillam concede, Angelo tuo sancto nos et domum hanc in pace et sine peccato custodiente. Pater noster.

Digitized by Google

5. Commendo tibi, Domine, utrumque magistratum, amicos et inimicos, sanos et aegrotos, vivos ac defunctos Catholicos, immo et Ecclesiam universam, ut benedictio tua sit super nos maneatque semper. Pater noster.

Benedicat et custodiat nos omnipotens et misericors Dominus, Pater et Filius et Spiritus Sanctus, nobisque noctem quietam et finem perfectum concedat. Amen.

Maria, mater gratiae, mater misericordiae, tu nos ab hoste protege, in hora mortis suscipe.

Precatio ultima cubitum euntis.

In nomine Domini nostri Iesu Christi cubitum eo.

Ille me benedicat, regat, custodiat et ad vitam perducat aeternam.

In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum; redemisti nos, Domine Deus veritatis. Amen.

Digitized by Google

Pars III.

Preces ad Sacrificium Missae.

Oratio ante Missam.

Clementissime Pater misericordiarum et Deus totius consolationis, qui sic mundum dilexisti, ut Filio tuo unigenito non parceres, sed eum in passione ac morte acerbissimae crucis nostrae reparationi impenderes, qui etiam eius oblationem tibi gratissimam, ad renovandum illius in nobis fructum, in Ecclesia tua quotidie renovari velles: tribue nobis, quaesumus, huic tam admirando et salutari tuae divinae providentiae, sapientiae ac bonitatis mysterio tam attente, reverenter et devote interesse, ut cruenti illius sacrificii participationem per huius incruenti oblationem quam efficacissime consequi valeamus. Per eundem Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum etc. Amen.

Formula intentionis ante Missam.

Suscipe, sancta Trinitas, unus Deus, hoc sacrosanctum sacrificium corporis et sanguinis Domini nostri Iesu Christi, quod ego indignus servulus tuus, una cum sacrificiis omnibus tibi unquam oblatis aut offerendis, unitum sacrificio ab eodem

Digitized by Google

Domino nostro in ultima coena et ara crucis oblato, per manus sacerdotis offero divinae maiestati tuae, omni possibili pietatis affectu, et puro amore tuae infinitae bonitatis, secundum sanctissimam eiusdem Domini nostri et sanctae matris Ecclesiae intentionem:

1. Ad maximam aeternamque divinae maiestatis tuae gloriam, amorem et beneplacitum;

2. In protestationem supremae excellentiae et dominii tui et nostrae subiectionis et dependentiae a te;

3. In perpetuam commemorationem passionis ac mortis eiusdem Domini nostri;

4. In honorem augmentumque gloriae beatae Virginis totiusque curiae triumphantis;

5. In gratiarum actionem aeternam pro omnibus beneficiis sanctissimae humanitati Domini nostri, beatae Virgini Matri eius, patronis meis, omnibus beatis et praedestinatis et mihi indignissimo hucusque collatis et conferendis in aeternum;

6. In satisfactionem peccatorum meorum omniumque fidelium vivorum et defunctorum.

7. Singulariter offero pro his N. N. (vel pro gratia hac obtinenda); secundario pro his N. N. mihi peculiariter commendatis omnibusque, pro quibus orare soleo et teneor, ad impetrandam defunctis requiem vivisque gratiam te agnoscendi, amandi, glorificandi nunc perfecte in via et olim beate in patria. Suscipe et perfice hoc desiderium meum uberemque gratiam et benedictionem ad pie id complendum largire. Amen.

Digitized by Google

I. Missa votiva de SS. Sacramento.

(Sacerdos paratus cum ingreditur ad altare, facta illi debita reverentia, signat se signo crucis a fronte ad pectus et clara voce dicit:)

In nomine Patris † et Filii et Spiritus Sancti. Amen.

(Deinde iunctis manibus ante pectus, incipit Antiphonam:)

Introibo ad altare Dei.

Ministri. R. Ad Deum, qui laetificat iuventutem meam.

(Postea alternatim cum ministris dicit:)

Psalm. 42.

S. Iudica me, Deus, et discerne causam meam de gente non sancta: ab homine iniquo et doloso erue me.

M. Quia tu es, Deus, fortitudo mea: quare me repulisti, et quare tristis incedo, dum affligit me inimicus?

S. Emitte lucem tuam et veritatem tuam; ipsa me deduxerunt et adduxerunt in montem sanctum tuum et in tabernacula tua.

M. Et introibo ad altare Dei, ad Deum, qui laetificat iuventutem meam.

S. Confitebor tibi in cithara, Deus, Deus meus: quare tristis es, anima mea, et quare conturbas me?

M. Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi, salutare vultus mei et Deus meus.

S. Gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto.

Digitized by Google

M. Sicut erat in principio et nunc et semper, et in saecula saeculorum. Amen.

S. (repetit Antiphonam:) Introibo ad altare Dei.

M. Ad Deum, qui laetificat iuventutem meam.

S. ℣. Adiutorium † nostrum in nomine Domini.

M. ℟. Qui fecit coelum et terram.

(Deinde iunctis manibus profunde inclinatus facit Confessionem [1]:)

Confiteor Deo omnipotenti, beatae Mariae semper Virgini, beato Michaeli Archangelo, beato Ioanni Baptistae, sanctis Apostolis Petro et Paulo, omnibus Sanctis et vobis, fratres, quia peccavi nimis cogitatione, verbo et opere: (percutit sibi pectus ter dicens) mea culpa, mea culpa, mea maxima culpa. Ideo precor beatam Mariam semper Virginem, beatum Michaelem Archangelum, beatum Ioannem Baptistam, sanctos Apostolos Petrum et Paulum, omnes Sanctos et vos, fratres, orare pro me ad Dominum Deum nostrum.

M. Misereatur tui omnipotens Deus, et dimissis peccatis tuis perducat te ad vitam aeternam.

S. Amen.

(Deinde ministri repetunt Confessionem, et ubi a Sacerdote dicebatur: *„vobis, fratres“* et *„vos, fratres“*, a ministris dicitur: *„tibi, pater“* et *„te, pater“*.

---

[1] In Missis defunctorum et in Missis de Tempore a Dominica Passionis usque ad Sabbatum Sanctum excl. omittitur Psalmus 42 *„Iudica“* cum *„Gloria Patri“* et repetitione Antiphonae, sed dictis *„In nomine Patris . . . Introibo . . . Adiutorium nostrum . . .“* fit Confessio etc.

Digitized by Google

(Postea Sacerdos iunctis manibus facit absolutionem, dicens:)

Misereatur vestri omnipotens Deus, et dimissis peccatis vestris perducat vos ad vitam aeternam. ℟. Amen.

Indulgentiam, † absolutionem et remissionem peccatorum nostrorum tribuat nobis omnipotens et misericors Dominus. ℟. Amen.

(Et inclinatus prosequitur:)

℣. Deus tu conversus vivificabis nos.
℟. Et plebs tua laetabitur in te.
℣. Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam.
℟. Et salutare tuum da nobis.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

(Et extendens ac iungens manus clara voce dicit:)

Oremus.

(Et ascendens ad altare dicit secreto:)

Aufer a nobis, quaesumus Domine, iniquitates nostras, ut ad Sancta Sanctorum puris mereamur mentibus introire. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

(Deinde manibus iunctis super altare inclinatus dicit:)

Oramus te, Domine, per merita Sanctorum tuorum, (osculatur altare in medio) quorum reliquiae hic

Digitized by Google

sunt, et omnium Sanctorum, ut indulgere digneris omnia peccata mea. Amen [1].

(Deinde Celebrans signans se [2] signo crucis incipit Introitum in cornu Epistolae.)

Introitus.

Ps. 80. Cibavit eos ex adipe frumenti, et de petra melle saturavit eos. *Ps. ibid.* Exsultate Deo adiutori nostro: iubilate Deo Iacob.

℣. Gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto: Sicut erat in principio et nunc et semper, et in saecula saeculorum. Amen. (Et repetitur usque ad Psalmum.) Cibavit eos ex adipe frumenti, et de petra melle saturavit eos.

(Introitu finito, iunctis manibus alternatim cum ministris dicit in medio altaris, in Missa vero sollemni ad cornu Epistolae:)

S. Kyrie eleison. *M.* Kyrie eleison. *S.* Kyrie eleison. *M.* Christe eleison. *S.* Christe eleison. *M.* Christe eleison. *S.* Kyrie eleison. *M.* Kyrie eleison. *S.* Kyrie eleison.

(Postea in medio altaris extendens et iungens manus caputque aliquantulum inclinans dicit: *„Gloria in excelsis*

---

[1] In Missa sollemni Celebrans, antequam legat Introitum, benedicit incensum dicens: *„Ab illo bene† dicaris, in cuius honore cremaberis. Amen.“* Postea incensat altare nihil dicens.

[2] In Missis pro defunctis Celebrans signat crucem super altare resp. super librum.

Digitized by Google

Deo“ [1], et prosequitur iunctis manibus. Cum dicit: „*Adoramus te*“, „*Gratias agimus tibi*“, „*Iesu Christe*“ et „*suscipe deprecationem*“, inclinat caput, et in fine dicens „*cum Sancto Spiritu*“ signat se [cruce] a fronte ad pectus.)

Gloria.

Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonae voluntatis. Laudamus te. Benedicimus te. *Adoramus te.* Glorificamus te. *Gratias agimus tibi* propter magnam gloriam tuam. Domine Deus, rex coelestis, Deus Pater omnipotens. Domine Fili unigenite, *Iesu Christe.* Domine Deus, Agnus Dei, Filius Patris. Qui tollis peccata mundi, miserere nobis. Qui tollis peccata mundi, *suscipe deprecationem* nostram. Qui sedes ad dexteram Patris, miserere nobis. Quoniam tu solus Sanctus, tu solus Dominus, tu solus Altissimus, Iesu Christe, *cum Sancto Spiritu,* † in gloria Dei Patris. Amen.

(Deinde osculatur altare in medio, et versus ad populum dicit:)

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Deus, qui nobis sub Sacramento mirabili passionis tuae memoriam reliquisti, tribue, quaesumus,

[1] Omittitur „*Gloria*“ in Missis de Tempore in Adventu, a Dominica in Septuagesima usque ad Pascha (exceptis Feria V in Coena Domini et Sabbato Sancto), nec non in Missis defunctorum, Vigiliarum, Rogationum, in Missis votivis etc.

Digitized by Google

ita nos Corporis et Sanguinis tui sacra mysteria venerari, ut redemptionis tuae fructum in nobis iugiter sentiamus. Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti Deus per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

Lectio

Epistolae beati Pauli Apostoli ad Corinthios *(1 Cor 11, 23—29).*

Fratres: Ego enim accepi a Domino, quod et tradidi vobis, quoniam Dominus Iesus, in qua nocte tradebatur, accepit panem, et gratias agens fregit et dixit: Accipite et manducate: hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur: hoc facite in meam commemorationem. Similiter et calicem, postquam coenavit, dicens: Hic calix novum testamentum est in meo sanguine: hoc facite quotiescumque bibetis, in meam commemorationem. Quotiescumque enim manducabitis panem hunc et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat. Itaque quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini. Probet autem se ipsum homo: et sic de pane illo edat et de calice bibat. Qui enim manducat et bibit indigne, iudicium sibi manducat et bibit, non diiudicans corpus Domini.

℟. Deo gratias.

Graduale. Ps. 144. Oculi omnium in te sperant, Domine, et tu das illis escam in tempore opportuno.

℣. Aperis tu manum tuam, et imples omne animal benedictione. Alleluia, alleluia.

Digitized by Google

℣. *Io 6, 56 s.* Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus: qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in eo. Alleluia.

(Post Septuagesimam, omissis *Alleluia* et Versu sequenti, dicitur:)

Tractus. Mal 1, 11. Ab ortu solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus.

℣. Et in omni loco sacrificatur, et offertur nomini meo oblatio munda: quia magnum est nomen meum in gentibus.

℣. *Prov. 9, 5.* Venite, comedite panem meum, et bibite vinum, quod miscui vobis.

(Tempore Paschali omittitur *Graduale* et eius loco dicitur:)

Alleluia. alleluia.

℣. *Lc 24.* Cognoverunt discipuli Dominum Iesum in fractione panis. Alleluia.

℣. *Io 6, 56 s.* Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus: qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in eo. Alleluia.

(Sacerdos in medio altaris dicit profunde inclinatus iunctis manibus:)

Munda cor meum ac labia mea, omnipotens Deus, qui labia Isaiae Prophetae calculo mundasti ignito, ita me tua grata miseratione dignare mundare, ut sanctum Evangelium tuum digne valeam nuntiare. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Digitized by Google

Iube, Domine [1], benedicere. Dominus sit in corde meo et in labiis meis, ut digne et competenter annuntiem Evangelium suum. Amen.

(Deinde conversus ad librum [in cornu Evangelii] iunctis manibus dicit:)

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

(Et pronuntians *„Sequentia sancti Evangelii"* signat librum et se in fronte, ore et pectore et legit Evangelium.)

Evangelium.

Sequentia † sancti Evangelii secundum Ioannem *(6, 56—59).*

℟. Gloria tibi, Domine.

In illo tempore: Dixit Iesus turbis Iudaeorum: Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus. Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in illo. Sicut misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem, et qui manducat me, et ipse vivet propter me. Hic est panis, qui de coelo descendit. Non sicut manducaverunt patres vestri manna, et mortui sunt. Qui manducat hunc panem, vivet in aeternum.

℟. Laus tibi, Christe.

---

[1] Quando Diaconus in Missa sollemni legit Evangelium, petit benedictionem a Sacerdote dicens: *„Iube, domne, benedicere."* — In Missis defunctorum dicitur *„Munda cor"*, sed non petitur benedictio, non deferuntur luminaria, nec Celebrans osculatur librum.

Digitized by Google

(Sacerdos osculatur librum, i. e. initium lecti Evangelii, et dicit:)

Per evangelica dicta deleantur nostra delicta.

(Deinde in medio altaris extendens, elevans et iungens manus dicit *„Credo"*, inclinans caput ad verba *„unum Deum"*, *„Iesum Christum"* et *„simul adoratur"*. Ad illa autem verba *„Et incarnatus est"* genuflectit, usque dum dicatur *„Et homo factus est"*. In fine ad *„Et vitam venturi saeculi"* signat se signo crucis a fronte ad pectus.)

Credo.

Credo in unum Deum, Patrem omnipotentem, factorem coeli et terrae, visibilium omnium et invisibilium. Et in unum Dominum *Iesum Christum,* Filium Dei unigenitum. Et ex Patre natum ante omnia saecula. Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero. Genitum, non factum, consubstantialem Patri: per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit de coelis. Et[1] incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine: Et homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis, sub Pontio Pilato passus et sepultus est. Et resurrexit tertia die secundum Scripturas. Et ascendit in coelum: sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria iudicare vivos et mortuos: cuius regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum, Dominum et Vivificantem, qui ex Patre Filioque procedit; qui cum Patre et Filio *simul adoratur* et conglorificatur; qui locutus

[1] Hic genuflectitur.

Digitized by Google

est per Prophetas. Et unam sanctam catholicam et apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum. Et exspecto resurrectionem mortuorum. Et vitam † venturi saeculi. Amen.

(Deinde osculatur altare, et versus ad populum dicit:)

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Offertorium.

Levit. c. 21. Sacerdotes Domini incensum et panes offerunt Deo: et ideo sancti erunt Deo suo, et non polluent nomen eius.

(Sacerdos accipit patenam cum Hostia, quam offerens dicit:)

Suscipe, sancte Pater, omnipotens aeterne Deus, hanc immaculatam hostiam, quam ego indignus famulus tuus offero tibi, Deo meo vivo et vero, pro innumerabilibus peccatis et offensionibus et neglegentiis meis, et pro omnibus circumstantibus, sed et pro omnibus fidelibus Christianis vivis atque defunctis, ut mihi et illis proficiat ad salutem in vitam aeternam. Amen.

(Deinde faciens crucem cum eadem patena, deponit Hostiam super corporale; infundit vinum et bene † dicit aquam miscendam in calice dicens:)

Deus, qui humanae substantiae dignitatem mirabiliter condidisti et mirabilius reformasti: da nobis per huius aquae et vini mysterium, eius divinitatis

Digitized by Google

esse consortes, qui humanitatis nostrae fieri dignatus est particeps, Iesus Christus, Filius tuus, Dominus noster, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus per omnia saecula saeculorum. Amen [1].

(Postea accipit calicem et offert dicens:)

Offerimus tibi, Domine, calicem salutaris, tuam deprecantes clementiam, ut in conspectu divinae maiestatis tuae pro nostra et totius mundi salute cum odore suavitatis ascendat. Amen.

(Deinde facit signum crucis cum calice, et illum ponit super corporale et palla cooperit. Tum iunctis manibus super altare aliquantulum inclinatus dicit:)

In spiritu humilitatis et in animo contrito suscipiamur a te, Domine, et sic fiat sacrificium nostrum in conspectu tuo hodie, ut placeat tibi, Domine Deus.

(Erectus expandit manus easque in altum porrectas iungens, elevatis ad coelum oculis et statim demissis dicit:)

Veni, sanctificator, omnipotens aeterne Deus, et bene † dic hoc sacrificium tuo sancto nomini praeparatum.

(Postea, si sollemniter celebrat, benedicit incensum dicens: *„Per intercessionem beati Michaelis Archangeli, stantis a dextris altaris incensi, et omnium electorum suorum, incensum istud dignetur Dominus bene † dicere et in odorem suavitatis accipere. Per Christum Dominum nostrum. Amen.“* Dein oblata incensat: *„Incensum istud*

[1] In Missis pro defunctis dicitur praedicta oratio, sed aqua non benedicitur.

Digitized by Google

a te benedictum ascendat ad te, Domine, et descendat super nos misericordia tua.“ — Tunc incensat altare dicens: *„Dirigatur, Domine, oratio mea sicut incensum in conspectu tuo: elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum. Pone, Domine, custodiam ori meo et ostium circumstantiae labiis meis, ut non declinet cor̄ meum in verba malitiae, ad excusandas excusationes in peccatis.“* Dum reddit thuribulum, dicit: *„Accendat in nobis Dominus ignem sui amoris et flammam aeternae caritatis. Amen.“)*

(Postea Sacerdos lavat manus dicens:)

Psalm. 25.

Lavabo inter innocentes manus meas, et circumdabo altare tuum, Domine.

Ut audiam vocem laudis et enarrem universa mirabilia tua.

Domine, dilexi decorem domus tuae et locum habitationis gloriae tuae.

Ne perdas cum impiis, Deus, animam meam et cum viris sanguinum vitam meam.

In quorum manibus iniquitates sunt: dextera eorum repleta est muneribus.

Ego autem in innocentia mea ingressus sum: redime me, et miserere mei.

Pes meus stetit in directo: in ecclesiis benedicam te, Domine.

Gloria Patri . . . Sicut erat . . .[1]

---

[1] In Missis pro defunctis et tempore Passionis omittitur *„Gloria Patri“*.

Digitized by Google

(Sacerdos in medio altaris aliquantulum inclinatus, iunctis manibus super eo, dicit:)

Suscipe, sancta Trinitas, hanc oblationem, quam tibi offerimus ob memoriam passionis, resurrectionis et ascensionis Iesu Christi Domini nostri, et in honorem beatae Mariae semper Virginis, et beati Ioannis Baptistae, et sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, et istorum, et omnium Sanctorum: ut illis proficiat ad honorem, nobis autem ad salutem: et illi pro nobis intercedere dignentur in coelis, quorum memoriam agimus in terris. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

(Postea osculatur altare, et versus ad populum, extendens et iungens manus, voce paulului elevata dicit:)

Orate, fratres, ut meum ac vestrum sacrificium acceptabile fiat apud Deum Patrem omnipotentem.

(Ministri respondent:) Suscipiat Dominus sacrificium de manibus tuis ad laudem et gloriam nominis sui, ad utilitatem quoque nostram totiusque Ecclesiae suae sanctae.

(Sacerdos submissa voce dicit:) ℟. Amen.

Secreta.

Ecclesiae tuae, quaesumus Domine, unitatis et pacis propitius dona concede, quae sub oblatis muneribus mystice designantur. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus.

Digitized by Google

Ad Praefationem.

(Sacerdos clara voce dicit:)

S. Per omnia saecula saeculorum.

M. Amen.

S. Dominus vobiscum.

M. Et cum spiritu tuo.

S. Sursum corda.

M. Habemus ad Dominum.

S. Gratias agamus Domino Deo nostro.

M. Dignum et iustum est.

Praefatio de Nativitate, nec non pro festo Corporis Christi et Octava.

S. Vere dignum et iustum est, aequum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere: Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus. Quia per incarnati Verbi mysterium, nova mentis nostrae oculis lux tuae claritatis infulsit: ut dum visibiliter Deum cognoscimus, per hunc in invisibilium amorem rapiamur. Et ideo cum Angelis et Archangelis, cum Thronis et Dominationibus cumque omni militia coelestis exercitus hymnum gloriae tuae canimus, sine fine dicentes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth. Pleni sunt coeli et terra gloria tua. Hosanna in excelsis! Benedictus, qui venit in nomine Domini. Hosanna in excelsis!

Digitized by Google

Canon Missae.

(Sacerdos extendens, elevans et iungens manus, elevans ad coelum oculos et statim demittens, profunde inclinatus ante altare, manibus super eo positis, dicit:)

Te igitur, clementissime Pater, per Iesum Christum Filium tuum Dominum nostrum supplices rogamus ac petimus, (osculatur altare) uti accepta habeas et benedicas (iungit manus, deinde signat ter super oblata) haec † dona, haec † munera, haec † sancta sacrificia illibata, (extensis manibus prosequitur:) imprimis, quae tibi offerimus pro Ecclesia tua sancta catholica, quam pacificare, custodire, adunare et regere digneris toto orbe terrarum: una cum famulo tuo Papa nostro N. et Antistite nostro N. et omnibus orthodoxis, atque catholicae et apostolicae fidei cultoribus.

Commemoratio pro vivis.

Memento, Domine, famulorum famularumque tuarum N. et N. (iungit manus, orat aliquantulum pro quibus orare intendit, deinde manibus extensis prosequitur:) et omnium circumstantium, quorum tibi fides cognita est et nota devotio, pro quibus tibi offerimus vel qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis, pro se suisque omnibus, pro redemptione animarum suarum, pro spe salutis et incolumitatis suae, tibique reddunt vota sua aeterno Deo, vivo et vero.

Infra actionem.

Communicantes, et memoriam venerantes, imprimis gloriosae semper Virginis Mariae, Genitricis

Digitized by Google

Dei et Domini nostri Iesu Christi: sed et beatorum Apostolorum ac Martyrum tuorum: Petri et Pauli, Andreae, Iacobi, Ioannis, Thomae, Iacobi, Philippi, Bartholomaei, Matthaei, Simonis et Thaddaei, Lini, Cleti, Clementis, Xysti, Cornelii, Cypriani, Laurentii, Chrysogoni, Ioannis et Pauli, Cosmae et Damiani, et omnium Sanctorum tuorum, quorum meritis precibusque concedas, ut in omnibus protectionis tuae muniamur auxilio. (Iungit manus.) Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

(Tenens manus expansas super oblata dicit:)

Hanc igitur oblationem servitutis nostrae, sed et cunctae familiae tuae, quaesumus Domine, ut placatus accipias, diesque nostros in tua pace disponas, atque ab aeterna damnatione nos eripi et in electorum tuorum iubeas grege numerari. (Iungit manus.) Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Quam oblationem tu Deus in omnibus, quaesumus, (signat ter super oblata) bene†dictam, adscri†ptam, ra†tam, rationabilem acceptabilemque facere digneris: (signat semel super Hostiam et semel super Calicem) ut nobis Cor†pus et San†guis fiat dilectissimi Filii tui Domini nostri Iesu Christi.

Qui pridie quam pateretur, (accipit Hostiam) accepit panem in sanctas ac venerabiles manus suas, (elevat oculos ad coelum) et elevatis oculis in coelum ad te Deum Patrem suum omnipotentem, tibi gratias agens, (signat super Hostiam) bene†dixit, fregit deditque discipulis suis dicens: Accipite et manducate ex hoc omnes.

Digitized by Google

(Tenens ambabus manibus Hostiam inter indices et pollices profert verba consecrationis secrete, distincte et attente super Hostiam et simul super omnes, si plures sint consecrandae.)

Hoc est enim Corpus meum.

(Prolatis verbis consecrationis statim Hostiam consecratam genuflexus adorat, surgit, ostendit populo, reponit super corporale, iterum adorat, et non disiungit pollices et indices, nisi quando Hostia tractanda est, usque ad ablutionem digitorum. Tunc detecto Calice dicit:)

Simili modo postquam coenatum est, (ambabus manibus accipit Calicem) accipiens et hunc praeclarum Calicem in sanctas ac venerabiles manus suas, item tibi gratias agens, (sinistra tenens Calicem, dextera signat super eum) bene † dixit deditque discipulis suis dicens: Accipite et bibite ex eo omnes.

(Profert verba consecrationis super Calicem attente, continuate et secrete, tenens illum parum elevatum.)

Hic est enim Calix Sanguinis mei, novi et aeterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum.

(Prolatis verbis consecrationis, deponit Calicem super corporale dicens secrete:)

Haec quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis.

(Genuflexus adorat, surgit, ostendit populo, deponit, cooperit et iterum adorat. Deinde disiunctis manibus dicit:)

Unde et memores, Domine, nos servi tui, sed et plebs tua sancta, eiusdem Christi Filii tui, Domini

ed by Google

nostri, tam beatae passionis, nec non et ab inferis resurrectionis, sed et in coelos gloriosae ascensionis: offerimus praeclarae maiestati tuae de tuis donis ac datis (iungit manus et signat ter super Hostiam et Calicem simul) hostiam † puram, hostiam † sanctam, hostiam † immaculatam, (signat semel super Hostiam et semel super Calicem) Panem † sanctum vitae aeternae et Calicem † salutis perpetuae.

(Extensis manibus prosequitur:)

Supra quae propitio ac sereno vultu respicere digneris et accepta habere, sicuti accepta habere dignatus es munera pueri tui iusti Abel et sacrificium Patriarchae nostri Abrahae, et quod tibi obtulit summus sacerdos tuus Melchisedech, sanctum sacrificium, immaculatam hostiam.

(Profunde inclinatus, iunctis manibus et super altare positis, dicit:)

Supplices te rogamus, omnipotens Deus: iube haec perferri per manus sancti Angeli tui in sublime altare tuum, in conspectu divinae maiestatis tuae: ut quotquot (osculatur Altare) ex hac altaris participatione sacrosanctum Filii tui (iungit manus et signat semel super Hostiam et semel super Calicem) Cor † pus et San † guinem sumpserimus, (seipsum signat) omni benedictione coelesti et gratia repleamur. (Iungit manus.) Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

Commemoratio pro defunctis.

Memento etiam, Domine, famulorum famularumque tuarum N. et N., qui nos praecesserunt cum

Digitized by Google

signo fidei et dormiunt in somno pacis. (Iungit manus, orat aliquantulum pro iis defunctis, pro quibus orare intendit, deinde extensis manibus prosequitur:) Ipsis, Domine, et omnibus in Christo quiescentibus locum refrigerii, lucis et pacis, ut indulgeas, deprecamur. (Iungit manus et caput inclinat.) Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

(Manu dextera percutit sibi pectus, elata parum voce dicens:)

Nobis quoque peccatoribus, famulis tuis, de multitudine miserationum tuarum sperantibus partem aliquam et societatem donare digneris cum tuis sanctis Apostolis et Martyribus: cum Ioanne, Stephano, Matthia, Barnaba, Ignatio, Alexandro, Marcellino, Petro, Felicitate, Perpetua, Agatha, Lucia, Agnete, Caecilia, Anastasia, et omnibus Sanctis tuis: intra quorum nos consortium, non aestimator meriti, sed veniae, quaesumus, largitor admitte. (Iungit manus.) Per Christum Dominum nostrum.

Per quem haec omnia, Domine, semper bona creas, (signat ter super Hostiam et Calicem simul dicens:) sancti†ficas, vivi†ficas, bene†dicis et praestas nobis. (Discooperit Calicem, genuflectit, accipit Sacramentum dextera, tenens sinistra Calicem, signat cum Hostia ter a labio ad labium Calicis dicens:)

Per ip†sum, et cum ip†so, et in ip†so (bis signat inter Calicem et pectus) est tibi, Deo Patri † omnipotenti, in unitate Spiritus † Sancti (elevans parum Calicem cum Hostia dicit:) omnis honor et gloria. (Reponit Hostiam, cooperit Calicem, genuflectit, surgit et dicit cantando vel legendo:)

igiti ed by Google

Oratio Dominica.

Per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

(Iungit manus.) Oremus: Praeceptis salutaribus moniti et divina institutione formati, audemus dicere:

(Extendit manus.) Pater noster, qui es in coelis: Sanctificetur nomen tuum. Adveniat regnum tuum. Fiat voluntas tua, sicut in coelo et in terra. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos a malo.

(Sacerdos secrete dicit:) Amen.

(Deinde accipit patenam inter indicem et medium digitos et dicit:)

Libera nos, quaesumus Domine, ab omnibus malis praeteritis, praesentibus et futuris: et intercedente beata et gloriosa semper Virgine Dei Genitrice Maria, cum beatis Apostolis tuis Petro et Paulo, atque Andrea et omnibus Sanctis, (signat se cum patena a fronte ad pectus, et eam osculatur) da propitius pacem in diebus nostris, ut ope misericordiae tuae adiuti et a peccato simus semper liberi, et ab omni perturbatione securi.

(Submittit patenam Hostiae, discooperit Calicem, genuflectit, surgit, accipit Hostiam, frangit eam super Calicem per medium dicens:) Per eundem Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum.

(Partem, quae in dextera est, ponit super patenam. Deinde ex parte, quae in sinistra remansit, frangit par-

Digitized by Google

ticulam dicens): Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus.

(Aliam mediam partem cum ipsa sinistra ponit super patenam, et dextera tenens particulam super Calicem, sinistra Calicem, dicit:)

Per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

(Cum ipsa particula signat ter super Calicem dicens:)

Pax † Domini sit † semper vobis † cum.

℟. Et cum spiritu tuo.

(Particulam ipsam immittit in Calicem dicens secrete:)

Haec commixtio et consecratio Corporis et Sanguinis Domini nostri Iesu Christi fiat accipientibus nobis in vitam aeternam. Amen.

(Cooperit Calicem, genuflectit, surgit et inclinatus Sacramento, iunctis manibus et ter pectus percutiens dicit:)

Agnus Dei.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis [1].

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, dona nobis pacem.

(Deinde iunctis manibus super altare, inclinatus dicit sequentes orationes:)

Domine Iesu Christe, qui dixisti Apostolis tuis: Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis: ne

[1] In Missis pro defunctis non dicitur *„miserere nobis“*, sed eius loco *„dona eis requiem“*, et in tertio additur *„sempiternam“*.

Digitized by Google

respicias peccata mea, sed fidem Ecclesiae tuae, eamque secundum voluntatem tuam pacificare et coadunare digneris. Qui vivis et regnas Deus per omnia saecula saeculorum. Amen.

(Si danda est pax[1], osculatur altare et dans pacem dicit: Pax tecum. ℟. Et cum spiritu tuo.)

Domine Iesu Christe, Fili Dei vivi, qui ex voluntate Patris, cooperante Spiritu Sancto, per mortem tuam mundum vivificasti: libera me per hoc sacrosanctum Corpus et Sanguinem tuum ab omnibus iniquitatibus meis et universis malis, et fac me tuis semper inhaerere mandatis, et a te nunquam separari permittas. Qui cum eodem Deo Patre et Spiritu Sancto vivis et regnas Deus in saecula saeculorum. Amen.

Perceptio Corporis tui, Domine Iesu Christe, quod ego indignus sumere praesumo, non mihi proveniat in iudicium et condemnationem, sed pro tua pietate prosit mihi ad tutamentum mentis et corporis, et ad medelam percipiendam. Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti Deus per omnia saecula saeculorum. Amen.

(Genuflectit, surgit et dicit:)

Panem coelestem accipiam, et nomen Domini invocabo.

(Deinde parum inclinatus, accipit ambas partes Hostiae inter pollicem et indicem sinistrae manus et patenam

---

[1] In Missis defunctorum non datur pax neque dicitur praecedens oratio.

Digitized by Google

inter eundem indicem et medium, et dextera percutiens pectus, elevata aliquantulum voce, dicit ter devote et humiliter:)

Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo, et sanabitur anima mea.

(Postea dextera se signans cum Hostia super patenam dicit:)

Corpus Domini nostri Iesu Christi custodiat animam meam in vitam aeternam. Amen.

(Sumit reverenter ambas partes Hostiae, iungit manus et quiescit aliquantulum in meditatione sanctissimi Sacramenti. Deinde discooperit Calicem, genuflectit, colligit fragmenta, si quae sint, extergit patenam super Calicem interim dicens:)

Quid retribuam Domino pro omnibus, quae retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo. Laudans invocabo Dominum, et ab inimicis meis salvus ero.

(Accipit Calicem manu dextera et eo se signans dicit:)

Sanguis Domini nostri Iesu Christi custodiat animam meam in vitam aeternam. Amen.

(Sumit totum Sanguinem cum particula. Quo sumpto, si qui sunt communicandi, eos communicet, antequam se purificet. Postea dicit:)

Quod ore sumpsimus, Domine, pura mente capiamus, et de munere temporali fiat nobis remedium sempiternum.

(Interim porrigit Calicem ministro, qui infundit in eo parum vini, quo se purificat; deinde prosequitur:)

Digitized by Google

Corpus tuum, Domine, quod sumpsi, et Sanguis, quem potavi, adhaereat visceribus meis: et praesta, ut in me non remaneat scelerum macula, quem pura et sancta refecerunt Sacramenta. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

(Abluit digitos, extergit et sumit ablutionem, extergit os et Calicem, quem operit, et plicato corporali collocat in altari ut prius; deinde prosequitur Missam.)

Communio.

1 Cor 11, 26 s. Quotiescumque manducabitis panem hunc et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat: itaque quicumque manducaverit panem hunc vel biberit calicem Domini indigne, reus erit Corporis et Sanguinis Domini.

S. Dominus vobiscum.

M. Et cum spiritu tuo.

Postcommunio.

Oremus: Fac nos, quaesumus Domine, divinitatis tuae sempiterna fruitione repleri, quam pretiosi Corporis et Sanguinis tui temporalis perceptio praefigurat. Qui vivis et regnas cum Deo Patre... ℟. Amen.

(Dicto post ultimam orationem:) Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo, (dicit, pro Missae qualitate, vel:) Ite, missa est (vel: Benedicamus Domino). ℟. Deo gratias [1].

---

[1] In Missis defunctorum dicit: Requiescant in pace. ℟. Amen.

Digitized by Google

(Tempore Paschali, hoc est: a Missa Sabbati Sancti usque ad Sabbatum in Albis inclusive:)

Ite, missa est, alleluia, alleluia.

℟. Deo gratias, alleluia, alleluia.

(Dicto „*Ite, missa est*“ vel „*Benedicamus Domino*“ Sacerdos inclinat se ante medium altaris et manibus iunctis super illud dicit:)

Placeat tibi, sancta Trinitas, obsequium servitutis meae, et praesta, ut sacrificium, quod oculis tuae maiestatis indignus obtuli, tibi sit acceptabile, mihique et omnibus, pro quibus illud obtuli, sit te miserante propitiabile. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

(Deinde osculatur altare et elevatis oculis, extendens, elevans et iungens manus caputque Cruci inclinans dicit:)

Benedicat vos omnipotens Deus, (et versus ad populum, semel tantum benedicens, etiam in Missis sollemnibus, prosequitur:) Pater et Filius † et Spiritus Sanctus. ℟ Amen [1].

(Deinde in cornu Evangelii dicto „*Dominus vobiscum*“. ℟. „*Et cum spiritu tuo*“, et „*Initium*“ vel „*Sequentia sancti Evangelii*“, signans altare vel librum et se, ut supra in Evangelio Missae, legit Evangelium secundum Ioannem: „*In principio erat Verbum*“ vel aliud Evangelium, ut dictum est in rubricis generalibus. Cum dicit: „*Et Verbum caro factum est*“, genuflectit. In fine: ℟. „*Deo gratias*“.)

[1] In Missis defunctorum non datur benedictio, sed dicto „*Requiescant in pace*“ dicit: „*Placeat tibi, sancta Trinitas*“. Deinde osculato altari legit Evangelium sancti Ioannis.

Digitized by Google

S. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

S. Initium † sancti Evangelii secundum Ioannem *(Io 1, 1—14).*

℟. Gloria tibi, Domine.

In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil, quod factum est. In ipso vita erat, et vita erat lux hominum: et lux in tenebris lucet, et tenebrae eam non comprehenderunt. Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Ioannes. Hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum. Non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine. Erat lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. In mundo erat, et mundus per ipsum factus est, et mundus eum non cognovit. In propria venit, et sui eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine eius, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. (Hic genu flectitur.) Et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis; et vidimus gloriam eius, gloriam quasi Unigeniti a Patre, plenum gratiae et veritatis.

℟. Deo gratias.

Precatio pia post Missam.

Misericordissime Domine, qui nos miseros mortales non dedignatus es etiam in hac hora stare

Digitized by Google

in conspectu tuo, ad te glorificandum pariter ac praedicandum: condona mihi in ipso precationis huius tempore commissa errata, sive per occupationem, sive per mentis atque cogitationis in absurda desideria inductionem, uti ne glorietur inimicus adversum me, quod ne in ipso quidem tempore doxologiae, confessionis atque synaxeos a peccatis mihi caverim. Memor beneficiorum tuorum et immensae caritatis tuae, dico et devoveo tibi omnia opera mea. Credo tibi, in te spero, ac toto corde te diligo, o Deus meus, veritas mea, misericordia mea, et refugium meum et omnia. Amen.

2. Aliae preces sub Sacrificio Missae.

Oratio praeparatoria.

Domine Iesu Christe, Verbum patris, qui corporis et sanguinis tui sacramentum in ultima coena instituisti, illudque in passionis et mortis tuae memoriam a fidelibus tuis offerri et frequentari voluisti: fac me, quaeso, participem meritorum et beneficiorum tuorum, quae in hac Missa rememorantur, et concede, ut cum gustu et fructu spirituali, devote et attente, intersim huic sanctissimo sacrificio, quod tibi humiliter nunc offero in memoriam amarissimae tuae passionis et mortis, ad honorem sanctissimae Virginis, matris tuae Mariae, omniumque Sanctorum tuorum, pro delictorum meorum remissione et purgatione, pro animae meae salute, pro totius ecclesiae profectu, et pro refri-

Digitized by Google

gerio ac liberatione fidelium animarum corpore exutarum. Fac me, Domine Iesu Christe, huius sacri mysterii cum gaudio spirituali participem, et concede ad omnium servire salutem, quod pro redemptione omnium instituere dignatus es. Amen.

Ad Kyrie eleison.

Benigne, pie et misericors Pater, miserere mei. In remissionem omnium meorum totiusque mundi peccatorum offero tibi vitam, passionem et mortem unigeniti Filii tui, offero tibi omnia merita dulcissimae Matris illius omniumque Sanctorum, ut illorum amore mihi ignoscas et aeternam vitam largiaris.

Pie Iesu, redemptor mi, miserere mei. Oro te, clementissime, fac me omnium meritorum tuorum participem, ut tibi concorporatus, et virtute huius sacrificii unum quid tecum effectus, tibi per amorem et imitationem sanctissimae vitae tuae ubique conformis vivam, teque ut palmes in vite frui merear.

Spiritus Sancte, consolator optime, miserere mei. Illumina intellectum meum, rege corpus, moderare animum, conforta spiritum, ut vincat omnes affectus cordis inordinatos. Da fidem certam, spem firmam et puram perfectamque caritatem. Fac, ut cum dulcedine te diligam et in omni loco atque tempore tuae voluntati satisfaciam. Amen.

Ad Collectam.

Omnipotens sempiterne Deus, te suppliciter exoramus, ut respicere digneris de excelso sanctuario tuo super congregationem nostram, ecclesiaeque

Digitized by Google

tuae preces, pro nobis omnibus ad te sacerdotis huius ministerio destinatas, clementer acceptes et exaudias. Ideoque pro immensa tua misericordia largiaris nobis peccatorum nostrorum veniam, integritatem mentis, incolumitatem corporis, necessariam vitae sustentationem, pacem in diebus nostris, aëris temperiem, fertilitatem terrae: catholicae fidei unitatem, exstirpationem omnium haeresium, consiliorum impiorum destructionem, verae orthodoxaeque religionis incrementum, caritatis ac pietatis fervorem, sinceram animi devotionem, tolerantiam et longanimitatem in affectionibus, in spe gaudium et laetitiam: omnia denique ad salutem tum animae tum corporis utilia et ad tuae imprimis gloriae augmentum idonea. Per Christum etc.

Ad Epistolam.

O aeterne Deus, qui nunquam desinis nos indignos famulos tuos publico ecclesiae tuae ministerio apostolicis, propheticis aliisque sacris doctrinis et monitis ad cultum et amorem tui nominis excitare et adversus mundi, carnis et daemonis insidias praemunire: da, quaesumus, ut salutaria dogmata ac monita omnes ex animo semper amplectamur eisque mores et omnem vitam nostram serio conformare conemur. Et ne tandem nobis ad cumulum damnationis cedat, viam veritatis seu voluntatem tuam per tot interpretes ac praecones tuos cognovisse et non fecisse: da nobis gratiam et vires, ut, quae facienda toties cognoscimus, efficaciter facere valeamus. Amen.

Digitized by Google

Ad Evangelium.

Domine Iesu Christe, qui a Deo venisti magister et viam Dei nos in veritate docuisti, olim quidem visus in terris et cum hominibus conversatus, hodie etiam per evangelistarum scripta et praecones verbi tui docere non cessans: da nobis intellectum capacem salutaris doctrinae tuae, accende et affectum zelo sapientiae coelestis et doce nos facere voluntatem tuam, ut fidem, quae ex auditu evangelii nascitur, et quam lingua nostra loquitur, etiam moribus vita fateatur. Solius enim gratiae tuae opus est, ut sciamus voluntatem tuam et faciamus, quia ex nobis servi inutiles sumus, ex te autem est omnis sufficientia nostra. Amen.

Ad Symbolum.

Auge in populo tuo, Domine, mysteriorum regni tui intellegentiam, et eam in pectoribus nostris fove fidem, quae evangelii semen in pectoribus nostris faciat pullulare. Amen.

Ad Offertorium.

Piissime Pater, in unione illius excellentissimae caritatis, qua Unigenitus tuus omnem influxum divinitatis, qui in eius humanitatem descendit, cum plena gratitudine offerens refudit in abyssum originis suae, offero tibi omnia et singula bona, quae ex ineffabili benignitate tua mihi unquam contulisti, eaque in summum gratitudinis affectum, una cum meritis et virtutibus eiusdem Filii tui, super altari

Digitized by Google

tuo in sempiternae laudis sacrificium immolo. Maxime vero offero tibi cor meum, sed heu! nimis pravum et improbum, illudque sacro huic calici immergo ea intentione et desiderio, ut omnes illae orationes et benedictiones, quae super hunc calicem fient, etiam super cor meum pronuntientur, atque per virtutem istius ineffabilis consecrationis, qua vinum in Filii tui sanguinem convertetur, id ipsum in tui amorem efficaciter convertatur. — Ad haec in unione amoris et gratitudinis illius, qua Filius tuus omnes adversitates suas tibi obtulit, offero tibi super altare tuum, quidquid adversi tam mihi quam ulli hominum e corde tuo paterno ad salutem nostram misisti: rogans, ut id omne una cum hoc sacrificio in odorem suavitatis suscipias nobisque ad salutem provenire concedas. Demum in unione resignationis Unigeniti tui offero et resigno me in tuam sanctissimam voluntatem, ex toto corde desiderans, ut per me, in me, et circa me tuum in omnibus laudabilissimum beneplacitum semper perficias: ad quod perficiendum praebeo tibi, Regi regum, Domino, totam substantiam corporis et animae meae, ad serviendum tibi pro gloria tuae colendae maiestatis. Amen.

Ad Canonem.

O Deus ineffabilis, iam incipiunt illa tremenda mysteria, quae nec Cherubim, nec Seraphim, nec omnes virtutes coelorum plene valent comprehendere: cum tibi soli cognitum sit, cum quanta amoris magnitudine te in dies pro salute fidelium Deo

Digitized by Google

Patri super altare in hostiam laudis et placationis offeras. Ideoque haec sacrosancta arcana universi Angelorum ordines summa demissione venerantur: et quod videant Regem suum et Dominum, qui olim hominem redempturus summo amore descenderat, nunc iterum pro salute eiusdem hominis ineffabili quodam modo super altare descendere atque sub vilissimis panis et vini speciebus se abdere. O bone Iesu, tam inaestimabiliter tamque excellenter reverendum est opus illud, quod nunc operaberis, quod parvitas mea nequaquam audet ad hoc vel respicere. Unde demergens me iacebo in profundissima valle humilitatis, quam potero investigare, exspectans ibidem portionem meam, quia omnibus electis inde salus proveniet. O utinam, piissime Iesu, in hoc opere tuo te adiuvare efficereque possem, ut haec oblatio sacratissima secundum dignitatem suam plenum sortiretur effectum! certe libentissime quantumcumque difficili labore ad hoc inservire vellem. Rogo ergo te, da sacerdoti huic, ut tali dignitate te tractet et offerat, quatenus haec oblatio omnibus fidelibus vivis atque defunctis summe prodesse valeat. Amen.

Ad Elevationem S. Hostiae.

Ave corpus Christi, natum de Maria Virgine, vere passum, immolatum in cruce pro homine: esto mihi praegustatum mortis in examine.

O dulcis, o pie, o Iesu, fili Mariae! esto mihi Iesus, et salva me.

Digitized by Google

Ad Elevationem S. Calicis.

Ave sanguis Iesu Christi, in hoc sacro calice, qui in cruce profluxisti ex aperto latere, et ab omni abluisti totum mundum crimine.

Ablue, sanctifica et custodi animam meam in vitam aeternam.

Post Elevationem.

Sanctissime Pater! cum Unigenitus tuus iam vere in altari praesens, semet ipsum fecerit sacrificium et victimam pro peccatis nostris, ideo in unione amoris illius, quo ille se ipsum olim in cruce et modo in altari obtulit, offero tibi sanctissimum eius corpus et sanguinem, humanitatem et divinitatem, virtutes et perfectiones, passionem et mortem, et in unione horum offero tibi omnes virtutes, merita et gratias B. Virginis Mariae omniumque Sanctorum, nec non et omnia bona opera cunctorum hominum totumque thesaurum sanctae ecclesiae. Quibus specialiter addo, quidquid ego meique speciales amici unquam boni peregimus aut mali pro tua gloria sustinuimus. Et hanc oblationem una cum hoc et totius orbis sacrificiis offero tibi, o Pater aeterne, per dilectum Filium tuum, in virtute Spiritus Sancti, ad tuam supremam laudem et gloriam, in recognitionem tuae supremae maiestatis et dominii, in gratiarum actionem pro omnibus beneficiis ulli unquam creaturae collatis, et in plenam abolitionem omnis iniuriae ab ullo unquam tibi irrigatae. Deinde offero tibi eandem in augmentum gaudii et gloriae

Digitized by Google

humanitatis Domini nostri Iesu Christi, in cultum et venerationem omnium mysteriorum vitae et mortis eius et in augmentum gloriae et beatitudinis B. Virginis Mariae omniumque Sanctorum, maxime patronorum meorum, et quorum hodie memoria colitur. Tertio offero tibi eandem pro me misero peccatore et pro omnibus meis spiritualibus et carnalibus amicis (maxime pro N. N.), et pro omnibus christianis, vivis atque defunctis (maxime pro N. N.), rogans, ut illam suscipere digneris in condignam gratiarum actionem pro omnibus bonis in corpore et anima nobis impensis, ad impetrandam omnem gratiam nobis necessariam, ad avertendum omne malum corporale et spirituale, quod saluti nostrae officeret, et demum in perfectissimam remissionem et satisfactionem omnium peccatorum et neglegentiarum nostrarum: pro quibus offero tibi omne beneplacitum, quod tibi exhibuit, omnemque satisfactionem, quam tibi pro debitis nostris persolvit Iesus Christus, Filius tuus, Dominus noster. Per ipsum, et cum ipso, et in ipso sit tibi, Deo Patri omnipotenti, in unitate Spiritus Sancti omnis honor et gloria per omnia saecula saeculorum. Amen.

Ad Orationem Dominicam.

Praesta nobis, quaesumus Domine, ut cum conscientia pura, corde contrito et humiliato, labiis impollutis, et cum fiducia, qualis filios decet, oremus et dicamus: Pater noster, qui es in coelis etc.

Digitized by Google

Communio spiritualis.

Domine Iesu Christe, Fili Dei vivi, firmissima fide credo et profiteor, te hic corporaliter et substantialiter praesentem in altari, hostiam veram et vivam immolari, qui pro me natus, passus, et in cruce immolatus ac mortuus fuisti. Te ergo Deum meum et creatorem ac redemptorem meum supplex adoro et veneror, ac divinae maiestati tuae corde humili et contrito me prosterno. Et per tuam misericordiam ac merita infinita spero remissionem omnium peccatorum, de quibus sincerissime doleo, propter te Deum meum, summum bonum offensum, quod amo super omnia. O Deus animae meae! gaudeo de ineffabili gloria et perfectione tua: utinam te una mecum omnes creaturae, ut par est, agnoscant, ament, glorificent. Id certe ego ex nunc desidero et amore tui me ac mea omnia tibi humillime offero propter infinitam bonitatem et beneficia tua, pro quibus te laudo et benedico, nec aliud quidquam ulterius a te peto et rogo, quam ut tecum unus spiritus efficiar; et quia sacramentali communione tibi nunc uniri non possum, transforma me nihilominus totum in te, ut vivam ego, iam non ego, vivas vero tu in me et ego in te, et maneas mecum, nec a te unquam separari me permittas, qui vivis etc. Amen.

Postcommunio.

Ecce, Pater coelestis! ad altare tuum misit tibi sancta mater ecclesia hostiam istam superdignissi-

Digitized by Google

mam, quam tu olim misisti immolandam pro nobis. Illam ergo suscipere digneris in amore illo superexcellenti, quo Filium tuum de regione nostra ad regnum tuum revertentem tibique Deo Patri omnem fructum humanitatis suae gloriosaque vulnera carnis suae praesentantem suscepisti. Non recedant, piissime Pater, ab oculis tuis cicatrices eius in perpetuum, ut memineris, quantam ab eo pro peccatis nostris satisfactionem acceperis. Igitur virtute huius oblationis incruentae miserere mei et omnium peccatorum cunctorumque fidelium vivorum ac defunctorum: da illis gratiam et misericordiam, remissionem peccatorum et vitam aeternam. Amen.

Oratio post Missam.

Domine Iesu Christe, qui ascendens in coelum omnium animas vocasti ad coelestia et nobis maximam spem illa consequendi dedisti: benedic, quaeso, animabus nostris, ut non ad captandam vitae huius vanissimam iucunditatem, sed ad regni perennis beatitudinem consectandam eamus. Corpore revertamur ad nostra; mente vero tibi uni omnium conditori maneamus consociati, ac nunquam a te divelli nos aut distrahi patiamur. Denique praesta, ut cum vivis et defunctis extremo iudicii die in illa bonorum multitudine laeti sub aspectum tuum venire possimus: qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti Deus per omnia saecula saeculorum. Amen.

Digitized by Google

3. Aliae preces sub Sacrificio Missae.

Oratio praeparatoria ad Missam.

Domine Iesu Christe, lux pura mentium et veritas aeterna, siste, precor, vagum nimis cor meum, ut in tuae adorandae maiestatis conspectu, dum sacrum hoc missae officium peragitur, ego attentus ac reverenter adsim verumque inde fructum, mihi et aliis salutarem, percipiam; ac praesertim, ut caritatem tuam immensam, qua te totum pro nobis redimendis in mortem atrocem obtulisti, grato animo commemorem. Tibi laus et gratiarum actio, sacerdos et hostia nosterque pontifex secundum ordinem Melchisedech, qui sub specie panis et vini sacerdotes oblationem mundam offerre ac apud gentes aeterno Deo sacrificare docuisti.

Ad Kyrie eleison.

Te Deum Patrem ingenitum, te Filium unigenitum, te Spiritum Sanctum Paraclitum, sanctam et individuam Trinitatem toto corde et ore confitemur, laudamus atque benedicimus. Gloria Patri, qui creavit nos. Gloria Filio, qui redemit nos. Gloria Spiritui Sancto, qui sanctificavit nos. Gloria summae et individuae Trinitati, Deo nostro in saecula saeculorum. Amen.

Ad Epistolam et Graduale.

Domine, ne secundum peccata nostra facias nobis, neque secundum iniquitates nostras retribuas nobis. Domine, ne memineris iniquitatum nostrarum

Digitized by Google

antiquarum. Cito anticipent nos misericordiae tuae, quia pauperes facti sumus nimis. Adiuva nos, Deus salutaris noster, et propter gloriam nominis tui libera nos et propitius esto peccatis nostris propter nomen tuum.

Dominator Domine Deus, qui afflictiones hominum gaudiis temperas, da, ut peregrinum nobis alleluia apud te in aeterna felicitate exsultantes decantemus, et illius hic intellegentes gaudia eorum ardore mentes nostrae inflammatae eo attrahantur, ubi est mortis expers vita et dies sine noctis vicissitudine. Amen.

Ad Evangelium.

Domine Iesu, qui ex voluntate Patris tui laetum mundo evangelium annuntiasti: da gratiam, ut illud intellectu percipiam, voluntate amplectar, memoria conservem, opere compleam, et gregi electarum ovium tuarum, quae vocem tuam audiunt, ita hic associer, ut eidem in novissimo die ad dexteram tuam coniunctus audire merear: venite benedicti, possidete regnum vobis paratum.

Ad Symbolum.

Deus praestet nobis suam gratiam per Iesum Christum et Spiritum Sanctum, ut omnes in sincera huius sacrosanctae fidei christianae professione in finem usque perseveremus, atque in ea ipsa certamen bonum certemus, quo post hanc vitam a iustissimo agonotheta nostro coronam iustitiae cum omnibus electis percipiamus.

Digitized by Google

Cum sacerdos ad oblationem se praeparat, ita precare.

Domine Iesu Christe, Fili Dei vivi et Virginis intemeratae, in memoriam et laudem immensae caritatis tuae, qua factum est, ut te nobis totum in altari crucis impenderes, hoc praesens missae sacrificium sicut et alia omnia per sacerdotum manus toto orbe celebranda hodie sacrificia offero tibi, quae Patri tuo aeterno commendes, quemadmodum ipse in cruce moriens, sacrosanctum corpus atque sanguinem tuum pro mundi salute obtulisti, et eidem coelesti Patri ad utilitatem ecclesiae commendasti. Eiusdem corporis et sanguinis tui oblatio, quae in mysterio hic renovatur, et incruento modo sub specie panis et vini peragitur, suum, quaeso, fructum assequatur, ut inde vivi gratiam, fideles defuncti requiem et hi, pro quibus sacrificatur, misericordiam ac vitam consequantur aeternam. Atque hoc ipsum ecclesiae sacrificium, quod sine fructu passionis et mortis tuae nunquam offertur, sit, quaeso, pro innumeris beneficiis tuis in nos collatis gratiarum actio, et pro infinitis peccatis nostris commissis, ac bonis hucusque neglectis poenisque debitis propitiatio et satisfactio salutaris. Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti Deus per omnia saecula saeculorum. Amen.

Ad Offertorium.

O sapientia aeterna, splendor gloriae et figura substantiae Patris: qui universa de nihilo creasti, et ut hominem ad Paradisi gaudia reduceres, in

Digitized by Google

hanc vallem miseriae descendisti, eique viam redeundi per tuam dulcissimam conversationem demonstrasti, et pro satisfactione cunctorum, tamquam agnus innocens, Patri immolari voluisti, et te in sacramento altaris, quod modo peragimus, tamquam amoris certissimum symbolum reliquisti: aperi per tuam pretiosam mortem cor meum, ut te regem regum et Dominum dominantium oculis integrae fidei semper aspiciam et in conspectu tuo me versari semper credam. Pone mea in tuis vulneribus studia, in tuis stigmatibus sapientiam, ut ulterius in te solo caritatis libro et morte tua proficiam et omnibus mutabilibus rebus deficiam: ita ut ego iam non ego, sed tu in me et ego in te indissolubili vinculo amoris aeternaliter maneamus. Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti Deus per omnia saecula saeculorum. Amen.

Oratio ad Praefationem.

Celsissime Deus ac Pater, evehe, quaesumus, corda nostra a terrenis ad coelestia, ut te unum et cogitemus et loquamur et vita tota exprimamus teque solo fruamur in aeternum. Amen.

Ad sacrum Canonem.

Summe sacerdos ac vere pontifex, Iesu Christe, qui te obtulisti Deo Patri in ara crucis hostiam puram et immaculatam pro nobis miseris peccatoribus, qui carnem tuam et sanguinem nobis in sacramento (quod tua divina omnipotentia conficitur)

Digitized by Google

reliquisti et hoc sacrificium instituisti, quod offerri praecepisti in commemorationem tui pro salute nostra: per hanc omnipotentiam tuam te rogo, ut concedas mihi peccatori venerandae passionis tuae dignam memoriam agere et me totum meaque omnia tibi, qui es Dominus et rex meus, resignare et consecrare et huic coelesti sacrificio interesse cum timore et tremore et cordis puritate et lacrimarum fonte, cum laetitia spirituali et coelesti gaudio. Sentiat mens mea dulcedinem beatissimae praesentiae tuae, et excubias sanctorum angelorum tuorum in circuitu meo. Ecce pro me sollicitus talia postulo: meminisse caritatis debeo, ut et pro aliis te exorem. Te igitur amatorem ecclesiae tuae deprecor, Deus, pro sacerdotibus tuis, ut verbis simul et meritis vitae populum sibi creditum ad coelestem patriam invitent. Pro regibus, ducibus et iis, qui in sublimitate positi sunt, ut patres orphanorum et iudices viduarum semet ipsos exhibeant, miseriisque inopum et gemitibus pauperum condoleant, nil nisi quod iustum est in iudicio quaerant, sicque administrent praesentia, ne amittant bona futura. Pro virginibus continentibus ac mundo renuntiantibus, ut praesentia despiciant, futura requirant, ne se negotiis saecularibus implicent, ut tibi militantes placeant, cui se probaverunt. Pro coniugatis, ut tali affectu se diligant, ne a desiderio patriae coelestis exorbitent. Pro universa sancta ecclesia catholica, pro viris et feminis, pro religiosis et saecularibus, pro omnibus rectoribus christianorum cunctisque in te credentibus,

Digitized by Google

qui pro amore tuo sancto laborant, ut perseverantiam boni operis obtineant.

Praesta, Domine, rex aeterne, virginibus castitatem, Deo dicatis continentiam, coniugatis sanctimoniam, viduis et orphanis sustentationem, pauperibus protectionem, peregrinantibus reditum, navigantibus portum, lugentibus consolationem, poenitentibus indulgentiam, optimis, ut in bonitate semper consistant, mediocribus, ut fiant meliores, delinquentibus, ut se cito corrigant.

Oro quoque, Domine, clementiam tuam, ut sereno vultu nos famulos tuos sacri tui nominis officia praestolantes aspicere digneris. Et, ut efficax haec mea sit deprecatio, B. Mariae Virginis suffragia peto, Apostolorum intercessionem imploro, Martyrum preces deposco, Confessorum orationes expostulo. Talium, Domine, preces nunquam spernis, si, ut pro me exorent, ipse inspiraveris, qui in aeternitate perenni vivis et regnas cuncta per saecula in omnibus saeculis. Amen.

Ad Elevationem Hostiae sacrosanctae.

Adoramus te, Domine Iesu Christe, rex et pontifex noster, ac benedicimus tibi, qui per sanctam crucem et cruentam sacri corporis et sanguinis tui oblationem redemisti mundum, ac nos perditos Deo Patri reconciliasti.

Ave salus mundi, aeternum Patris verbum, Hostia vera, viva caro, deitas integra et vita aeterna. Dominus meus et Deus meus es tu, quem in hoc altari cum corpore et sanguine praesentem supplex

Digitized by Google

adoro et fideliter invoco: ut te redemptorem in prosperis et adversis, in vita et morte mihi propitium habeam, ac in coelis regnantem clare conspiciam. Qui cum Deo Patre et Spiritu Sancto vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

Ad Elevationem S. Calicis.

Salve nobilissime sanguis, de latere Domini mei Iesu Christi profluens et totius veteris et novae culpae maculas abluens. Ablue, sanctifica et custodi animam meam in vitam aeternam.

Domine Iesu Christe, qui ex incredibili amore, quo erga humanum genus flagrasti, sanguinem tuum copiosissime profundere voluisti: miserere nostri et praesta, ne unquam frustra pro nobis ille effusus dici possit. Amen.

Post Elevationem.

Summe pontifex et redemptor orbis, Iesu Christe, qui te ipsum non solum in cruce, sed etiam in hoc venerabili sacramento una cum corpore et sanguine praesentem nobis exhibes, ut etiam a peccatoribus te contingi, offerri ac manducari permittas: miserere nostri, qui sine gratia tua nihil possumus, et ecclesiae tuae catholicae toto orbe dispersae succurre, ut per te pacem habeant orthodoxi, et contra inimicos ubique gentium te duce defendantur. Pastores idoneos gregi tuo praefice, et magistratus omnes in officio contine, ut ex voluntate tua reipublicae christianae praesint et prosint. Converte, Domine, miseros peccatores in fide aberrantes, ut

Digitized by Google

in viam veritatis te duce redeant: infideles illumina, afflictos consolare, aegros restitue, miseris et pauperibus opitulare. Adhaec tuere nostros parentes, propinquos, benefactores et amicos conserva: ut quae ad fidem et oboedientiam catholicam spectant, ea studiose complectantur et ament. Quae vero tibi in nobis displicent, ea clementer amove, et virtutem ad mala vitanda bonaque sectanda nobis largire, ut voluntati tuae et vocationi nostrae satisfaciamus. Suscipe hoc salutiferum sacramentum, quod per catholicos sacerdotes offertur, in plenam peccatorum nostrorum expiationem, in suppletionem uberem neglegentiarum, et in peculiarem gratiarum actionem pro tuis in nos collatis beneficiis quibuscumque. Nec solum vivis, sed praeterea fidelibus defunctis veniam et requiem dona sempiternam.

Ad memoriam defunctorum.

Domine Deus, Pater sancte, cuius miseratio magna, cuius misericordia aeterna est, memento, quaeso, omnium credentium, qui hinc christiane et pie obdormierunt: memento avorum parentumque nostrorum (patris et matris, fratris et sororis) et omnium cognatorum, et gratiam, quam de te per Christum speraverunt, remissis cunctis criminibus eorum propitius tribue.

Ne in iudicio cum eis contendas; ne a sinistris eos deinde statuas; ne aeternis cruciatibus eos adiudices: sed eos tecum in sempiternam requiem et gaudia suscipias, ubi te sanctam Trinitatem cum omnibus electis videant et celebrent eaque omnia

Digitized by Google

feliciter percipiant, quae hic firmiter crediderunt, per mortem et resurrectionem Filii tui Iesu Christi, Domini et redemptoris nostri. Amen.

Ad memoriam sanctorum.

Mihi quoque, Domine, indigno servo tuo secundum multitudinem miserationum tuarum miserearis, et concessa in praesenti scelerum venia, ne me sinas in futuro saeculo excruciari cum impiis, sed aliquam portiunculam dones cum sanctis tuis in coelis, qui in tua membra cooptati et in te unum corpus effecti, gratias ob tuum pro se effusum pretiosum sanguinem (quo illos lavisti) rependentes, pro te et fratribus suis gloriosum sanguinem fundere non dubitarunt, qui te in vita sua amaverunt et in morte te sunt imitati, et ideo coronas triumphales meruerunt. Quorum me, licet imparem meritis, participem tamen fac sola misericordia tua, succurrentibus eorum meritis et precibus. Amen.

Ad Agnus Dei.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis. Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis. Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, dona nobis pacem temporis, pectoris et aeternitatis, ut sit integra nobis cum Deo et proximis coniunctio, et pace fruamur conscientiae perfectamque in coelis quietem, ad quam omnes aspirant electi, te duce consequamur.

Digitized by Google

Oratio ad Communionem.

Dominator et salvator universae creaturae, qui omnem infirmitatem meam curare vales, quoniam Dominus potens es et vis propitiari iniquitatibus meis, quia salvator es et ad hoc in mundum venisti, ut perdita quaereres et salvares, quae perierant: concede pro bonitate tua et misericordia, ad meam etiam servire salutem, quod pro omnium redemptione dignatus es impendere, ut virtute sacrosancti corporis et sanguinis tui, mundus a peccatis, purus a sordibus et a periculis liber efficiar, qui ob id ipsum immolari in cruce voluisti, ut corporis et sanguinis tui sacrificio et pro delictis propitiationem et a periculis liberationem toti mundo impetrares. Da, ut hac coelesti alimonia saginatus, in fortitudine cibi illius viam mandatorum tuorum indefessus percurram. Praeveni me gratia tua, ne a te me separent ullae iniquitates in praesenti saeculo. Subsequatur me misericordia tua, ne me a beatitudinis tuae consortio repellas in futuro. Amen.

Gratiarum actio post Communionem.

Gratias ago tibi, Deus omnipotens, quod, licet, indignus sim tua mensa coelesti, spiritualiter tamen sumendi corpus et sanguinem Filii tui, Domini nostri Iesu Christi, a sacerdote corporaliter modo sumpti, gratiam mihi peccatori praestiteris et devotionem.

Cum ergo creatura tua sim, o Pater, inclina, precor, ad me aures tuas et concede, tum ut salutaris Eucharistiae perceptio mihi et omnibus fidelibus, vivis simul et defunctis, proficiat, tum ut

Digitized by Google

laeti in sanctorum electorumque omnium communione in extremi iudicii die resurgentes, cum ovibus ad dexteram Filii tui, Domini nostri Iesu Christi, iudicantis mundum praesentemur. Amen.

Ad ultimam Collectam.

Omnipotens, aeterne et misericors Deus, non equidem dignus sum propter scelera et peccata mea, qui in conspectum maiestatis tuae veniam, et coram te compaream aliquid petiturus, multo minus ut exaudiar et quod peto a te feram. Sed quia tu ex amore paterno unigenitum Filium tuum constituisti mediatorem inter te et peccatores miseros, quorum me infelicissimum agnosco: hunc tibi conciliatorem nostrum offero, magna spe ductus, quod tua maiestas huius respectu me exauditura sit; propter hunc me voti mei reddes compotem, quem tu perpetuo honoras et cui nihil denegas. Te oro, ut hoc sacrificium, hanc victimam, a me peccatore misero suscipias, nec patiaris, ut in exspectatione mea confundar. Amen.

Ad Benedictionem.

Benedicat et custodiat nos omnipotens et misericors Dominus, Pater et Filius et Spiritus Sanctus. Iesus Nazarenus, rex Iudaeorum, titulus triumphalis benedicat et defendat nos ab omnibus malis. Amen.

(In audiendo S. Missae Sacrificio uti etiam poteris [vel in initio vel in fine] hymnis et precibus in parte VII pro diversis anni liturgici temporibus et pro festis Sanctorum dispositis.)

Digitized by Google

4. Preces, quando Missae Sacrificium dicitur pro defunctis.

Introitus.

Requiem aeternam dona eis, Domine, et lux perpetua luceat eis.

Ps. Te decet hymnus, Deus, in Sion, et tibi reddetur votum in Ierusalem. Exaudi orationem meam, ad te omnis caro veniet.

Requiem aeternam dona eis, Domine, et lux perpetua luceat eis.

S. Kyrie eleison. *M.* Kyrie eleison. *S.* Kyrie eleison. *M.* Christe eleison. *S.* Christe eleison. *M.* Christe eleison. *S.* Kyrie eleison. *M.* Kyrie eleison. *S.* Kyrie eleison.

S. Dominus vobiscum.

M. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Deus, qui inter apostolicos sacerdotes famulos tuos pontificali seu sacerdotali fecisti dignitate vigere: praesta, quaesumus, ut eorum quoque perpetuo aggregentur consortio. Per Dominum etc.

Deus, veniae largitor et humanae salutis amator, quaesumus clementiam tuam, ut nostrae congregationis fratres, propinquos et benefactores, qui ex hoc saeculo transierunt, beata Maria semper virgine intercedente cum omnibus Sanctis tuis, ad perpetuae beatitudinis consortium pervenire concedas.

Fidelium, Deus, omnium conditor et redemptor, animabus famulorum famularumque tuarum remis-

Digitized by Google

sionem cunctorum tribue peccatorum, ut indulgentiam, quam semper optaverunt, piis supplicationibus consequantur. Qui vivis et regnas etc.

Lectio

libri Apocalypsis beati Ioannis Apostoli *(14, 13).*

In diebus illis, audivi vocem de coelo, dicentem mihi: Scribe: Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Amodo iam dicit Spiritus, ut requiescant a laboribus suis: opera enim illorum sequuntur illos.

M. Deo gratias.

Graduale.

Requiem aeternam dona eis, Domine, et lux perpetua luceat eis. ℣. In memoria aeterna erit iustus: ab auditione mala non timebit (Ps. 111).

Tractus.

Absolve, Domine, animas omnium fidelium defunctorum ab omni vinculo delictorum.

℣. Et gratia tua illis succurrente, mereantur evadere iudicium ultionis. ℣. Et lucis aeternae beatitudine perfrui.

Sequentia.

Dies irae, dies illa, * Solvet saeclum in favilla: * Teste David cum Sibylla.

Quantus tremor est futurus, * Quando iudex est venturus, * Cuncta stricte discussurus!

Tuba, mirum spargens sonum, * Per sepulcra regionum * Coget omnes ante thronum.

Digitized by Google

Mors stupebit et natura, * Cum resurget creatura * Iudicanti responsura.

Liber scriptus proferetur, * In quo totum continetur, * Unde mundus iudicetur.

Iudex ergo cum sedebit, * Quidquid latet, apparebit: * Nil inultum remanebit.

Quid sum miser tunc dicturus? * Quem patronum rogaturus, * Cum vix iustus sit securus?

Rex tremendae maiestatis, * Qui salvandos salvas gratis, * Salva me, fons pietatis.

Recordare, Iesu pie, * Quod sum causa tuae viae, * Ne me perdas illa die.

Quaerens me sedisti lassus, * Redemisti crucem passus: * Tantus labor non sit cassus.

Iuste iudex ultionis, * Donum fac remissionis * Ante diem rationis.

Ingemisco, tamquam reus, * Culpa rubet vultus meus; * Supplicanti parce, Deus.

Qui Mariam absolvisti * Et latronem exaudisti, * Mihi quoque spem dedisti.

Preces meae non sunt dignae; * Sed tu bonus fac benigne, * Ne perenni cremer igne.

Inter oves locum praesta, * Et ab hoedis me sequestra, * Statuens in parte dextra.

Confutatis maledictis, * Flammis acribus addictis, * Voca me cum benedictis.

Oro supplex et acclinis, * Cor contritum quasi cinis: * Gere curam mei finis.

Lacrimosa dies illa, * Qua resurget ex favilla * Iudicandus homo reus.

Digitized by Google

Huic ergo parce, Deus. * Pie Iesu Domine, * Dona eis requiem. Amen.

Evangelium.

Sequentia sancti Evangelii secundum Ioannem *(6, 51—55).*

In illo tempore, dixit Iesus turbis Iudaeorum: Ego sum panis vivus, qui de coelo descendi. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum, et panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Litigabant ergo Iudaei ad invicem, dicentes: Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum? Dixit ergo eis Iesus: Amen, amen dico vobis, nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam, et ego resuscitabo eum in novissimo die.

Offertorium.

Domine Iesu Christe, rex gloriae, libera animas omnium fidelium defunctorum de poenis inferni et de profundo lacu; libera eas de ore leonis, ne absorbeat eas tartarus, ne cadant in obscurum; sed signifer sanctus Michael repraesentet eas in lucem sanctam, quam olim Abrahae promisisti et semini eius. ℣. Hostias et preces tibi, Domine, laudis offerimus, tu suscipe pro animabus illis, quarum hodie memoriam facimus; fac eas, Domine, de morte transire ad vitam, quam olim Abrahae promisisti et semini eius.

Digitized by Google

Secreta.

Suscipe, Domine, quaesumus, pro animabus famulorum tuorum pontificum seu sacerdotum, quas offerimus hostias: ut quibus in hoc saeculo pontificale seu sacerdotale donasti meritum, in coelesti regno Sanctorum tuorum iubeas iungi consortio. Per Dominum nostrum etc.

Deus, cuius misericordiae non est numerus, suscipe propitius preces humilitatis nostrae, et animabus fratrum, propinquorum et benefactorum nostrorum, quibus tui nominis dedisti confessionem, per haec sacramenta salutis nostrae cunctorum remissionem tribue peccatorum.

Hostias, quaesumus Domine, quas tibi pro animabus famulorum famularumque tuarum offerimus, propitiatus intende, ut, quibus fidei christianae meritum contulisti, dones et praemium. Per Dominum nostrum etc.

Praefatio.

Vere dignum et iustum est, aequum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus: per Christum Dominum nostrum. Per quem maiestatem tuam laudant Angeli, adorant Dominationes, tremunt Potestates, coeli coelorumque virtutes ac beata Seraphim socia exsultatione concelebrant. Cum quibus et nostras voces, ut admitti iubeas, deprecamur, supplici confessione dicentes:

Digitized by Google

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth. Pleni sunt coeli et terra gloria tua. Hosanna in excelsis! Benedictus, qui venit in nomine Domini. Hosanna in excelsis!

Ante et post Elevationem.

O Iesu, vita et resurrectio nostra, qui discedens ex hoc mundo, tuam nobis carnem et sanguinem in cibum et potum reliquisti, per infinitum hunc amorem supplex oro: miserere omnium fidelium defunctorum, praesertim N. N.; deduc eos ad vitae fontes et fac, ut mox tecum edant et bibant super mensam tuam in regno tuo (Lc 22).

O Iesu, protector et salus nostra, qui tantas nostri causa angores in horto sustinuisti, ut sudor tuus factus sit sicut guttae sanguinis decurrentis in terram, per pretiosissimum hunc sanguinem tuum supplex oro: miserere omnium fidelium defunctorum, praesertim N. N.; libera eos ex omnibus angustiis suis, et absterge omnem lacrimam ab oculis eorum (Apc 7).

O Iesu, redemptor et salvator noster, qui captus es in peccatis nostris, per durissima illa vincula tua supplex oro: miserere omnium fidelium defunctorum, praesertim N. N.; solve omnia eorum vincula delictorum, quibus eos humana fragilitas in hac vita implicavit, ut laeti sacrificent tibi hostiam laudis (Ps 119).

O Iesu, cordis nostri laetitia, qui benedictam faciem tuam, in quam desiderant angeli prospicere,

Digitized by Google

velari et colaphis caedi permisisti, per incomprehensibilem hanc patientiam tuam te supplex oro: miserere omnium fidelium defunctorum, praesertim N. N.; admitte illos ad claritatem lucis tuae, eosque adimple laetitia cum vultu tuo (Ps 15).

O Iesu, corona gloriae nostrae, qui flagellis caesus, et spinis dire ignominioseque propter superbiam nostram coronatus es, per summam istam humilitatem tuam te supplex oro: miserere omnium fidelium defunctorum, praesertim N. N.; concede propitius, ut coronam aeternae gloriae mox consequantur, tu enim nos coronas in misericordia et miserationibus (Ps 102).

O Iesu, advocate et iudex noster, qui iniquissimo iudicio ad mortem acerbissimam damnatus, nos ab aeternae damnationis reatu absolvisti, per abyssum misericordiae tuae supplex te oro: miserere omnium fidelium defunctorum, praesertim N. N.; audiant mox verbum illud consolationis: Dimissa est iniquitas vestra (Is 40).

O Iesu, summum et unicum bonum nostrum, qui ipse peccata nostra in corpore tuo super lignum pertulisti, per immensum hoc beneficium tuum te supplex oro: miserere omnium fidelium defunctorum, praesertim N. N.; aditus illis ad aeternam gloriam mox reseretur, laetique audiant: Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi (Mt 25).

Pater noster etc.

Digitized by Google

Agnus Dei.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, dona eis requiem.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, dona eis requiem.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, dona eis requiem sempiternam.

Ad Communionem.

Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo, et sanabitur anima mea.

Adoro te, Domine Iesu, in hoc sacramento vere praesentem; spero in te, fons omnis bonitatis et salutis; amo te, Domine, tam amantem mei, ex toto corde meo super omnia; cupio uniri tibi, saltem spiritualiter, et mutari et renovari gratia tua, ut nihil me separet a te, sed in aeternum adhaeream tibi, o Iesu; trahe me ad te magis magisque.

Postcommunio.

Prosit, quaesumus Domine, animabus famulorum tuorum pontificum seu sacerdotum misericordiae tuae implorata clementia, ut eius, in quo speraverunt et crediderunt, aeternum capiant te miserante consortium. Per Dominum nostrum Iesum Christum etc.

Praesta, quaesumus, omnipotens et misericors Deus, ut animae fratrum, propinquorum et benefactorum nostrorum, pro quibus hoc sacrificium

Digitized by Google

laudis tuae obtulimus maiestati, per huius virtutem sacramenti a peccatis omnibus expiatae, lucis perpetuae te miserante recipiant beatitudinem.

Animabus, quaesumus Domine, famulorum famularumque tuarum oratio proficiat supplicantium, ut eas et a peccatis omnibus exuas, et tuae redemptionis facias esse participes. Qui vivis et regnas etc.

S. Requiescant in pace. *M.* Amen.

Ad Tumbam.

℟. Libera nos, Domine, de morte aeterna in die illa tremenda, quando coeli movendi sunt et terra, dum veneris iudicare saeculum per ignem. ℣. Tremens factus sum ego et timeo, dum discussio venerit, atque ventura ira. Quando coeli movendi sunt et terra. ℣. Dies illa, dies irae, calamitatis et miseriae, dies magna et amara valde. Dum veneris iudicare saeculum per ignem. ℟. Requiem aeternam dona eis, Domine, et lux perpetua luceat eis. Libera etc.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster etc.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos a malo.

℣. A porta inferi.

℟. Erue, Domine, animam eius (animas eorum).

℣. Requiescant in pace.

℟. Amen.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

Digitized by Google

℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Absolve, quaesumus Domine, animam famuli tui N. (famulae tuae N.), ut defunctus (defuncta) saeculo tibi vivat, et quae per fragilitatem carnis humana conversatione commisit, tu venia misericordissimae pietatis absterge. Per Dominum nostrum etc.

℣. Requiem aeternam dona eis, Domine.
℟. Et lux perpetua luceat eis.
℣. Requiescant in pace.
℟. Amen.

Digitized by Google

Pars IV.

1. Methodus peccata confitendi.

Oratio ante examen conscientiae.

Suprema et adoranda Maiestas, quam hic praesentem credo me respicientem et auscultantem, scrutantemque profundissimas cogitationes cordis mei, adoro te Deum, creatorem et Dominum meum unicum, inclinans animam meam et flectens genua coram te, ut hoc latriae cultu agnoscam supremum et absolutum dominium tuum, quod habes in omnes creaturas et me miserum peccatorem.

Domine Iesu Christe, Fili Dei vivi, qui expansis in cruce manibus propter mortalium omnium redemptionem hausisti calicem passionis, propitius esto mihi misero peccatori. Ecce pauper venio ad te divitem, miser ad misericordem. Confiteor adversum me iniustitiam meam. Ecce, Domine, postquam in peccatis conceptus sum et natus, tu me abluisti et sanctificasti, et ego postea maioribus me sordidavi peccatis. Tot beneficiorum tuorum ingratus, multa commisi illicita, multa perpetravi nefanda, et ubi peccata emendare debui, peccata peccatis addidi.

Digitized by Google

Domine Deus, Sancte Spiritus, qui illuminas omnem hominem venientem in hunc mundum: illumina, quaeso, splendore gratiae cor meum, ut sufficienter cognoscam defectus et peccata mea eaque cum vero cordis dolore ac contritione confitear, sicut oportet, coram te et sacerdote ministro tuo, ac plene pro iisdem satisfaciam eademque emendem ad laudem et gloriam tuam et salutem animae meae. Amen.

Examen conscientiae.

A. Forma brevior.

Peccata et defectus

Contra I. praeceptum:

Sacramenta poenitentiae et Communionis minus digne suscipere; orationem debitam mentalem aut vocalem neglegere, neglegenter persolvere; de rebus fidei dubitare, scripta illicita legere; animae deiectionem fovere, de divina misericordia praesumendo peccare; contra Dei voluntatem murmurare.

Contra II. praeceptum:

Nomen Dei et Sanctorum irreverenter usurpare; verba Sacrae Scripturae ad facetias applicare; votum non implere.

Contra III. praeceptum:

Missam distracte audire; in ecclesia irreverenter se gerere.

Contra IV. praeceptum:

Parentes contemnere, verbis asperis alloqui, in causa iusta non oboedire, pro eis non orare.

Digitized by Google

Superiores contemptui vel ludibrio habere; de eis temere et superbe iudicare, murmurare; in re iusta et debita non oboedire.

Contra V. praeceptum:

In proximum iram, odium, invidiam fovere; ei illudere; agnominibus contumeliosis afficere; superbe tractare; ex aversione animi allocutionem omittere; amicitias particulares fovere; scandalo esse.

Contra VI. et IX. praeceptum:

Voluntarie cogitationes vel desideria impura habere; tentationibus neglegenter resistere; ioca ambigua et inepta proferre; oculos in personas alterius sexus conicere; aspectu turpi, tactu peccaminoso, opere expleto delinquere.

Contra VII. et X. praeceptum:

Rem alienam non restituere; pecuniam inutiliter consumere; debita aequo maiora contrahere; ludendo lucrum iniustum quaerere; bonis aliorum damnum inferre.

Contra VIII. praeceptum:

Mentiri; famae proximi detrahere; secreta cum aliorum damno revelare; temere de aliis iudicare; malas suspiciones aliis insinuare.

Peccata capitalia:

Se magni facere; de rebus suis libenter loqui easque amplificare; alios contemnere.

Ex amore pecuniae tenacem esse.

Gaudere de damno, tristari de bono alterius.

Edere et bibere immoderate, modo indecenti.

Peccare motibus irae et impatientiae.

Digitized by Google

Fastidire onus et laborem in rebus spiritualibus, in praelectionibus audiendis, in studio peragendo; tempus studio addictum rebus minus necessariis, colloquiis inutilibus impendere; alios inter studia turbare; propensionem ad ludum fovere.

B. Forma uberior.

Peccata et defectus

Contra I. praeceptum:

Sacramenta poenitentiae (attende ad examen, contritionem, accusationem, satisfactionem) et Communionis (attende praesertim ad gratiarum actionem) indigne vel minus digne suscipere; *orationem* debitam mentalem (unius saltem quotidie horae quadrantis) aut vocalem neglegere, neglegenter persolvere, preces praesertim matutinas (cum bona intentione) et vespertinas (cum examine particulari et generali); actus fidei, spei, caritatis raro vel nunquam elicere.

Contra fidem: dubitare, indigne sentire, scurriliter loqui, scripta illicita legere, superstitiose agere.

Contra spem: animae deiectionem fovere parum attendendo ad Dei auxilium et misericordiam; de divina misericordia praesumendo peccare.

Contra caritatem: murmurare contra Dei voluntatem, aversionem contra Deum vel divina fovere; opera sine intentione supernaturali peragere.

Contra II. praeceptum:

Nomen Dei et Sanctorum irreverenter usurpare; verba Ecclesiae vel Sacrae Scripturae ad facetias applicare; sibi ipsi vel aliis maledicere; sine iusta causa iurare; votum non implere.

Digitized by Google

Contra III. praeceptum:

Missam aut notabilem eius partem diebus dominicis et festis omittere; distracte audire; irreverenter cum scandalo aliorum in ecclesia se gerere.

Contra IV. praeceptum:

Pro *parentibus* non orare; eos contemnere; verbis asperis alloqui; in causa iusta non oboedire.

Superiores contemptui vel ludibrio habere; de eis eorumque actibus et mandatis temere iudicare; murmurare; famae detrahere; in re iusta et debita non oboedire; alios ad contemptum, ad inoboedientiam excitare.

Contra V. praeceptum:

In *proximum* iram, odium, invidiam, desiderium vindicandi fovere; ei illudere, conviciis vel agnominibus contumeliosis afficere, superbe et contemptibiliter tractare, rixas et dissensiones seminare, ex aversione animi allocutionem, salutationem omittere, veniam negare, reconciliationem oblatam respuere, satisfactionem recusare; in conversando sensualitati amicitiisque particularibus indulgere; peccatum suadere, approbare, non impedire, non manifestare; peccati occasionem praebere.

Contra VI. et IX. praeceptum:

Voluntarie et deliberate cogitationes vel desideria castitati contraria fovere; tentationibus neglegenter resistere; verba obscoena aut ambigua, ioca inepta proferre, cum delectatione audire; scripta periculosa legere, aliis tradere; turpia in se vel aliis, picturas vel statuas inhonestas aspicere; in personas alterius sexus oculos conicere, cum eis familiarius, quam decet, conversari; modo gerendi in induendis vel deponendis vestibus, tactu

Digitized by Google

peccaminoso, opere contra castitatem secum ipso vel cum aliis expleto delinquere.

Contra VII. et X. praeceptum:

Rem alienam auferre, ablatam non restituere; pecuniam sine vera necessitate a parentibus extorquere, inutiliter consumere; res inventas vel mutua non reddere; debita aequo maiora contrahere, eorum solutionem diutius differre; ludendo lucrum iniustum cum aliorum deceptione quaerere; bonis aliorum praesertim Seminarii damnum inferre.

Contra VIII. praeceptum:

Mendacio iocoso, officioso, damnoso, adulatione, simulatione uti; famae proximi detrahere, sine causa de vitiis loquendo, defectus exaggerando, virtutes reticendo, defectus occultos divulgando aut calumniose inveniendo; secreta cum aliorum damno revelare; temere de aliis iudicare; dicta vel facta proximi sine sufficienti ratione in malam partem interpretari; malas suspiciones leviter conceptas aliis insinuare, voluntarie audire, assentiendo vel interrogando promovere.

Peccata capitalia:

Superbia: Se magni facere et fieri velle in bonis animae et corporis; aliis se praeferre eosque contemnere; libenter de rebus suis loqui et, quae ad laudem faciunt, amplificare.

Avaritia: ex amore pecuniae tenacem esse erga proximum, durum erga miserum.

Invidia: gaudere de damno, tristari de bono alterius.

Gula: edere et bibere immoderate, modo indecenti.

Ira: peccare motibus irae et impatientiae.

Digitized by Google

Pigritia: fastidire onus et laborem in rebus spiritualibus, in inspirationibus sequendis, tentationibus reiciendis, in studio peragendo; propensionem ad ludum et colloquia inutilia fovere. *Defectus oppositus:* plus aequo laborare cum damno sanitatis.

Officia status theologici:

1. Circa studium sacrae *scientiae:* praelectiones neglegere vel sine attentione audire; tempus silentio et studio addictum rebus minus necessariis, profanis vel nugis impendere; alios inter studia turbare; ferias otio et nugis transigere.

2. Circa *perfectionem* christianam: exercitia pietatis, orationem praesertim vocalem et mentalem (meditationem quotidianam unius saltem horae quadrantis) omittere; alia perfectionis media, lectionem spiritualem et Sacrae Scripturae, visitationem Sanctissimi, examen conscientiae generale et particulare, cultum SS. Cordis Iesu et B. Mariae Virg. (rosarium) neglegere; SS. Eucharistiam raro, sine fervore et sine sufficienti gratiarum actione suscipere; profectum in virtutibus non curare.

Ante confessionem.

Timor offensi Dei.

Peccavi, iniquitatem feci, a via veritatis et iustitiae procul declinavi; tu vero, Domine, iustus es, iudiciumque tuum a recto aberrare nunquam potest. Contremisco, si rigorem iustitiae tuae perpendam. Quid faciam miser, cum ad iudicandum surrexeris? Quid respondebo, si rationem factorum meorum petieris? Incassum celabo tibi delicta mea, cuius oculi me peccantem viderunt. Ipsi coeli mani-

Digitized by Google

festabunt iniquitates meas; terra consurget adversum me, ut peccata mea revelet. Atque tum, si in furore tuo argueris me et in ira tua vesaniam meam corripueris, quomodo subsistam ante faciem tuam? Quomodo supportabo indignationem tuam? Timor et tremor occupant animum meum, o iudex iustissime! Dum haec cogito, terroresque tui adeo conturbant cor meum, ut mei vix compos sim. Vae mihi, si faciem tuam a me averteris!

Spes et fiducia in promissionibus Dei.

Sed an non verba tua sunt, misericordiarum Pater, non velle te mortem peccatoris, verum ut convertatur et vivat? Miserationes tuae omnia reliqua opera tua, si ita loqui licet, procul excedunt. In medio iustissimae indignationis tuae misericordiae recordaris. Impio non nocet impietas eius, quamprimum ab hac ad te revertitur. Erravi, non diffiteor, o Domine! erravi, sicut ovis, quae periit; peccavi tibi et malum coram te feci! Sed require et salva servum tuum, pastor benignissime! qui e sinu Patris non alio fine in hunc mundum venisti, quam ut quaeras et salvum facias, quod perierat.

Amor Dei.

Recordare, o Pater coelestis, beneficiorum tuorum, quae in me dispensasti, et miserere mei, ne bonitas tua in me cassa sit. Tu me ex nihilo ad imaginem et similitudinem tuam creasti, ut te laudarem tibique obtemperando salvus fierem. Intellectum mihi dedisti, ut bonitatem tuam agnoscerem;

Digitized by Google

memoriam, ut benefactorum tuorum reminiscerer; voluntatem, ut te amarem. Tu me conservas, opus manuum tuarum, tu das mihi escam in tempore opportuno. Immo tanta tibi mei cura est, ut ipsos Angelos tuos custodes meos esse volueris. Quot vero et quanta sunt pericula illa, ex quibus me indignum eripuisti! Ut me servum a peccati iugo et a diaboli servitute redimeres, unigenitum Filium tuum morti tradidisti. Collata deinde mihi sine meis meritis baptismi gratia, veraeque fidei lumine, fragilitati quoque meae per sacramentum poenitentiae providisti, ut in peccata recidivus rursum ad te consurgere valeam, consurgentemque sanctissimo Filii tui corpore ac sanguine reficis et firmas. Quoties liberasti me secundum multitudinem misericordiae tuae ab iis, qui animam meam quaesiverunt! Quoties sustinuisti me peccatorem, sicut paterfamilias arborem, quae fructum non fert, patienter tolerat! Tu, qui me, sicut angelos malos, primo delicto perpetrato reprobare poteras, poenitentiam meam longanimis praestolaris, immo gratiis tuis me rebellem praevenis. Sinesne, o Pater misericordiarum, miserrimum servorum tuorum perire, quem tantopere diligis?

Dolor de peccatis.

Sed ego vicissim pro dilectione ista tibi quid retribui? Nihil profecto nisi peccata, neglegentias turpemque ingratitudinem. Heu! quam sero te cognosco, et quantum malum est, quo bonitatem tuam infinite amabilem offendi! Poenitet me, o

Digitized by Google

Domine, ex toto corde meo me poenitet contra te peccasse. Pudet me ingratitudinis meae. Utinam nunquam te offendissem! Cor mundum crea in me, Deus, quo in posterum quodvis peccatum, instar maximi mali, horream ac detester; et spiritum rectum innova in visceribus meis, qui me in via mandatorum tuorum amore tuo inflammet. O utinam instar fluminis proruerent lacrimae ex oculis meis, quibus indignitatem delictorum meorum reluere possim!

Serium propositum.

Perpensa infinita bonitate tua, o Deus, quam toties et tam graviter offendi, penetrata item peccati malitia, quam ex corde abominor, seriam tibi vitae meae emendationem polliceor. Paratum iam modo cor meum est ad omne beneplacitum tuum, ad implendas omnes leges tuas, ad fugiendas quascumque remotas peccandi occasiones. Confitebor adversum me iniquitatem meam; omnis in eo ero, ut pro iisdem, meritis Christi adiutus, satisfaciam, vitamque meam ita tandem, gratia tua fretus, instituam, ut a tuo amore ne momento quidem cessem.

Satisfactionis oblatio.

Scio ego, Domine, me debitorem tuum esse; scio unicum delictum contra infinitam maiestatem et bonitatem tuam perpetratum tam enorme debitum esse, ut illud omnia totius mundi merita, instar satisfactionis oblata, compensare non possint. Atque ideo tibi, Pater sanctissime, in satisfactionem pro peccatis meis sanctissimam Filii tui vitam,

Digitized by Google

passionem et mortem offero. Respice in faciem Christi tui, dum sanguis eius de cruce ad te, Patrem misericordiarum, pro me clamat!

Dulcissime Iesu, qui mulieris Chananaeae misertus es, paralytico peccata remisisti, peccatricem Magdalenam absolvisti, latronem ad te conversum exaudisti, plorantem Petrum respexisti et pro nobis mortem subire dignatus es, ut chirographum peccati nostri deleres: sine, ut merita tua, propitiationem pro peccatis meis, aeterno Patri offeram; sine, ut te advocatum meum coram tribunali aeternae iustitiae nominem! Per te mihi Pater coelestis veniam peccatorum gratiamque largiatur, qua adiutus vitam meam in posterum sancte instituam tibique usque in finem fideliter serviam. Quod partes meas attinet, iuravi ego et statui custodire iudicia iustitiae tuae.

Petitio divini auxilii.

Frustra enim ego propono, qui sine te, Domine, nihil possum, nisi tu fragili manuum tuarum operi adiutricem dexteram porrexeris. Voluntas tibi serviendi, ut ipse vides, in me prompta est; sed vides etiam paupertatem et infirmitatem meam, quae exsequendis piis propositis non sufficit. Peccati malitiam perspicio, poenam sentio, et pertinaciam peccati nihilominus non vito. Per flagella tua conteror, quin inclinatio mala in me emoriatur. Mens aegra torquetur, quin cervix inflectatur. Vita sub dolore suspirat, quin opera emendet. Si exspectas, non corrigor, si vindicas, non duro. Confiteor in

Digitized by Google

correctione, quod egi; obliviscor recepta gratia, quod deflevi. Si extendis manum, facienda promitto; si suspendis gladium, promissa non servo. Si feris, clamo, ut parcas; si parcis, rursus te provoco, ut ferias. Ex me nec cogitare quidem aliquid boni possum, adeo ex te est omnis sufficientia mea. Tu ergo, o Domine, qui mihi velle dedisti, da etiam perficere, dumque lapsum cavere propono, suppone manum, ne labar.

Confessio peccatorum.

Et nunc surgam et ibo ad Patrem meum et dicam: Pater, peccavi in coelum et coram te! non sum dignus vocari filius tuus. Ascendam ad lavacrum pretiosissimi sanguinis Iesu Christi, ut munder ab omni iniquitate mea. Non abscondam ulcera animae meae, et peccatum meum non celabo. Vadam et ostendam me sacerdoti. Non erubescam confiteri, quod committere non erubui. Recognoscam, quod tuum est in me, ut misericorditer abstergas, quod alienum est a te. Lava me, o pastor bone, ut munder; fove me, ut saner; inspira, ut a morte animae meae resusciter! Da, ut peccata mea ministro tuo ita confitear, tamquam vices tuas gerenti, ut ipsa confessionis meae integritas et humilitas paternum cor tuum ad misericordiam permoveat; da, ut monita eius in cor meum penetrent; da denique, ut absolutione recepta vitam meam emendem, nihilque amplius quam gloriam tuam quaeram.

Digitized by Google

Fili David, miserere mei! Restaura templum tuum, divinissime Spiritus! Reforma imaginem tuam, misericordiarum Pater!

Sancta Maria, refugium peccatorum et mater misericordiae! Sancte Angele custos omnesque sancti, quos Deus sive immaculatos servavit, sive e peccatoribus iustificavit, orate pro me, ut sacram peccatorum meorum confessionem rite peragam.

(Ingressurus confessionale dicas:)

Ecce Domine, ego vilis peccator, pauper, malus et indignus venio ad te, supereffluentem abyssum pietatis, ut laver ab omni macula et munder ab omni peccato. Amen.

Gratiarum actio post Confessionem.

Dirupisti, Domine, vincula peccatorum meorum, pepercisti animae meae, remisisti iniquitates meas, reconciliasti me tibi et consolatus es me ad te revertentem venia delictorum meorum. Nunc ergo id tantum superest, ut tibi hostiam laudis sacrificem et misericordiam tuam alta voce et grato affectu exaltem. Tu nimirum vere miserationum Deus es, et misericordiam tuam non est qui sive numeret sive ponderet. Suscipe, obsecro, hanc humilem confessionem meam, atque illud, quod ei seu ad plenam et sinceram peccatorum meorum enumerationem seu ad convenientem de iisdem dolorem defuit, supple ex fonte infinitae misericordiae ac bonitatis tuae, atque ex meritis Iesu Christi Filii tui. Dealbata in sanguine eiusdem

Digitized by Google

stola innocentiae, per baptismum receptae, totus in eo ero, ut eam amplius non inquinem. Ambulabo semitam novae huius vitae fideliter. Non discedam a te. Confirma deficientem, o Domine! sustine fragilem, custodi imbecillem servum tuum.

Psalm. 102.

Benedic, anima mea, Domino, et omnia, quae intra me sunt, nomini sancto eius.

Benedic, anima mea, Domino: et noli oblivisci omnes retributiones eius.

Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis: qui sanat omnes infirmitates tuas.

Qui redimit de interitu vitam tuam: qui coronat te in misericordia et miserationibus.

Qui replet in bonis desiderium tuum: renovabitur ut aquilae iuventus tua.

Faciens misericordias Dominus et iudicium omnibus iniuriam patientibus.

Notas fecit vias suas Moysi, filiis Israel voluntates suas.

Miserator et misericors Dominus, longanimis et multum misericors.

Non in perpetuum irascetur, neque in aeternum comminabitur.

Non secundum peccata nostra fecit nobis, neque secundum iniquitates nostras retribuit nobis.

Quoniam secundum altitudinem coeli a terra, corroboravit misericordiam suam super timentes se.

Digitized by Google

Quantum distat ortus ab occidente, longe fecit a nobis iniquitates nostras.

Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se: quoniam ipse cognovit figmentum nostrum.

Recordatus est, quoniam pulvis sumus: homo sicut foenum dies eius, tamquam flos agri sic efflorebit.

Quoniam spiritus pertransibit in illo, et non subsistet: et non cognoscet amplius locum suum.

Misericordia autem Domini ab aeterno et usque in aeternum super timentes eum.

Et iustitia illius in filios filiorum, his qui servant testamentum eius, et memores sunt mandatorum eius ad faciendum ea.

Dominus in coelo paravit sedem suam, et regnum ipsius omnibus dominabitur.

Benedicite Domino omnes angeli eius, potentes virtute, facientes verbum illius ad audiendam vocem sermonis eius.

Benedicite Domino omnes virtutes eius, ministri eius, qui facitis voluntatem eius.

Benedicite Domino omnia opera eius: in omni loco dominationis eius benedic, anima mea, Domino.

Gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto.

Sicut erat in principio et nunc et semper, et in saecula saeculorum. Amen.

(Hic persolve poenitentiam tibi iniunctam.)

Digitized by Google

2. Altera methodus peccata confitendi.

Praeparatio.

Surgam et adibo cum fiducia ad thronum gratiae, ut misericordiam consequar et gratiam inveniam in auxilio opportuno. Adibo ad tribunal poenitentiae, sacramentum reparandae gratiae, quod tu, Domine Deus, salvator meus, etiam pro me peccatore instituisti, dicens ad Apostolos eorumque in sacerdotio successores: Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt. Confitebor adversum me iniustitiam meam, et tu remittes impietatem peccati mei. Audiens vocem sacerdotis credam, me audire vocem tuam, qua dixisti paralytico: Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua. O quam bonus et suavis est, Domine, spiritus tuus in omnibus! ideoque eos, qui errant, corripis: et de quibus peccant, admones et alloqueris, ut relicta malitia credant in te, Domine, et convertantur ad te Deum suum et Patrem misericordiarum.

Deus meus, confundor et erubesco, levans faciem meam ad te: quoniam iniquitates meae multiplicatae sunt super caput meum, et delicta mea creverunt usque ad coelum. Peccavi in coelum et coram te: iam non sum dignus vocari filius tuus; fac me sicut unum de mercenariis tuis. Erravi sicut ovis quae periit; quaere servum tuum, Domine, qui venisti quaerere et salvum facere, quod perierat.

Digitized by Google

Ante examen conscientiae.

Domine, probasti me et cognovisti me: tu omnes gressus meos dinumerasti; omnia nuda et aperta sunt oculis tuis; tu scis quid sit in homine, scrutans corda et renes. In multis offendimus omnes; sed delicta sua quis intellegit? Quae iniquitas mea, et quod peccatum meum, quod peccavi tibi, Domine Deus meus! Indica mihi opera mea et scelera mea. Ostende mihi, quantas habeam iniquitates, ut sciam quid desit mihi. Illustra faciem tuam super servum tuum, quoniam tu illuminas lucernam meam, Domine; Deus meus, illumina tenebras mentis meae, ut videam quid in me displiceat maiestati tuae et cognoscam omnia et singula peccata, quae cogitatione, verbo, opere ac omissione commisi. Concede mihi hanc gratiam, misericordissime Deus, nolens mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat.

Post examen conscientiae.

Dolor de peccatis.

Peccavi, Domine, et malum coram te feci. Quid dicam, mi Deus! Ah! confusio operit faciem meam, erubesco ingratus, miser et infelix. Quis dabit capiti meo aquam et oculis meis fontem lacrimarum, ut plorem die ac nocte iniquitates, peccata et scelera mea, quibus offendi Deum amantissimum, et iustissimi iram provocavi? Parce, Domine, parce servo tuo contrito et humiliato, ne proicias me a facie tua; sed proice post tergum tuum omnia peccata mea.

Digitized by Google

Doleo ex toto corde et ex tota anima mea, o Deus, de omnibus peccatis notis et occultis, non tam quia infernum exinde merui, quam quia te, Deum infinite bonum et omni amore dignissimum, toties tamque graviter offendi. Detestor et exsecror omnia et singula delicta mea, quia displicent infinitae tuae bonitati, quam amo et diligo super omnia, aut certe super omnia amare et diligere volo et desidero. O utinam nunquam peccassem! O utinam nunquam offendissem te, summe Deus et Pater amantissime! Utinam posthac te non offendam in aeternum! Utinam peccata ita abhorream, ut illa abhorruere omnes iusti, ut beatissima Virgo, ut ipse Iesus ea abhorruit! Ah! quis mihi tribuet, ut sim iuxta menses pristinos et secundum dies, quibus fruebar paterna dulcedine vultus tui? Fac misericordiam cum servo tuo; da veniam, redde gratiam.

Propositum.

Cupio, mi Deus, ac serio firmiterque propono emendare vitam meam, nec amplius peccare, optans potius mori quam te offendere aut aliquid committere, quod oculis divinae maiestatis tuae displiceat. Ecce paratum cor meum ad omne beneplacitum tuum; corrobora illud, meque gratia tua fulci, ut curram viam mandatorum tuorum. Iuravi enim et statui custodire iudicia iustitiae tuae.

Ante Confessionem.

Et nunc, Domine Iesu Christe, ascendo ad lavacrum, ut munder ab omni iniquitate. Non ab-

Digitized by Google

scondam vulnera animae meae et non celabo peccatum meum; vadam et ostendam me sacerdoti: non erubescam confiteri peccata, quae committere non erubui. Agnosce quod tuum est in me, et absterge quod alienum est a te; lava me immundum sanguine tuo; sana infirmum, medice animae meae! Pastor bone, suscipe me in humeros tuos, suscitator mortuorum, suscita animam meam veluti mortuam, quam non auro et argento, sed pretiosissimo sanguine redemisti. Fili David, fili Dei vivi, miserere mei. Restaura templum tuum, renova domum tuam, ut iustificatus descendens laudem te et misericordias tuas cantem in aeternum.

Sancta Maria, refugium peccatorum Materque misericordiae; sancte Angele custos, sanctique Patroni mei, Electi et omnes Sancti, orate pro me, ut hanc confessionem rite peragam, atque a peccatis absolutus, in numero vestro merear connumerari, quibus et maius gaudium est super uno peccatore poenitentiam agente, quam super nonaginta novem, qui non indigent poenitentia.

Post Confessionem.

Sit tibi, Domine Iesu Christe, meritis passionis ac mortis tuae, beatae Mariae semper Virginis et omnium Sanctorum, grata et accepta ista confessio mea, et quidquid mihi defuit nunc et alias de sufficientia contritionis ac de integritate confessionis, suppleat, quaeso, pietas et misericordia tua, et secundum illam digneris me habere absolutum in coelis,

Digitized by Google

ac plenius deinceps et perfectius in terris, ut nihil ultra agam, quam quod prosit mihi ad salutem et comprimis placeat divinae tuae maiestati, serviens tibi in iustitia et sanctitate coram te omnibus diebus vitae meae.

Fac mihi, quaeso Domine, notam viam in qua ambulem; da mihi scire, quae sit voluntas tua bona et beneplacens: da mihi gratiam, ut quae placita sunt tibi, faciam semper.

O! qui iam mortuus sum peccato, quomodo adhuc vivam in illo? Non ergo regnet peccatum in mortali meo corpore, ut oboediam concupiscentiis eius; sed neque exhibebo membra mea arma iniquitatis peccato, sed exhibebo me Deo tamquam ex mortuis viventem, et membra mea arma iustitiae Deo. Exspoliavi me tunica mea, quomodo inquinabo illam? In omni fiducia, sicut semper, et nunc magnificabitur Christus in corpore meo, sive per vitam sive per mortem; mihi enim vivere Christus est et mori lucrum.

Amove a me, Domine, omnem viam iniquitatis et deduc me in semitam mandatorum tuorum, quia ipsam volui, in ipsa mihi placeo, complacebo mihi. Confirma hanc meam bonam voluntatem, et dirige gressus meos secundum eloquium tuum, ut non dominetur mei ultra omnis iniustitia, sed sit cor meum immaculatum in iustificationibus tuis, donec totum conquiescat in te, Domine, per sempiterna saecula. Amen.

Digitized by Google

3. Orationes variae ad Confessionem.

Ante Confessionem.

Oratio a P. Urbano VIII edita.

Ante oculos tuos, Domine, culpas nostras ferimus, et plagas quas accepimus, conferimus.

Si pensamus malum quod fecimus, minus est quod patimur, maius est quod meremur.

Gravius est quod commisimus, levius est quod toleramus.

Peccati poenam sentimus, et peccandi pertinaciam non vitamus.

In flagellis tuis infirmitas nostra teritur, et iniquitas non mutatur.

Mens aegra torquetur, et cervix non flectitur.

Vita in dolore suspirat, et in opere non se emendat.

Si exspectas, non corrigimur; si vindicas non duramus.

Confitemur in correctione quod egimus; obliviscimur post visitationem quod flevimus.

Si extenderis manum, facienda promittimus; si suspenderis gladium, promissa non solvimus.

Si ferias, clamamus ut parcas; si peperceris, iterum provocamus ut ferias.

Habes, Domine, confitentes reos; novimus quod nisi dimittas, recte nos perimas.

Praesta, Pater omnipotens, sine merito quod rogamus, qui fecisti ex nihilo qui te rogarent. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Digitized by Google

Actus brevior contritionis et propositi.

Domine Iesu Christe, verus Deus et homo, Creator et Redemptor meus! Poenitet me ex toto corde, quod offenderim te Dominum et Deum meum, quem amo super omnia. Et propono firmiter amplius non peccare omnesque peccandi occasiones devitare, confiteri et implere poenitentiam quae mihi fuerit iniuncta. Et in satisfactionem peccatorum meorum offero tibi sacratissimam vitam, passionem ac mortem tuam totumque pretium sanguinis tui pro nobis effusi, merita quoque beatae Mariae semper Virginis et omnium Sanctorum, atque omnia opera mea et totam vitam meam. Et confido in bonitate et misericordia tua infinita, quod per merita pretiosi sanguinis tui mihi remissurus sis omnia delicta mea. Et gratiam uberem largiturus, qua vitam sancte instituere, tibique perfecte usque in finem servire valeam. Qui cum Patre Sanctoque Spiritu vivis et regnas Deus in saecula benedictus. Amen.

Oratio S. Thomae Aquinatis pro peccatorum remissione.

Ad te fontem misericordiae, Deus, accedo peccator: ergo digneris me lavare immundum. O sol iustitiae, illumina caecum. O aeterne medice, cura vulneratum. O Rex regum, indue spoliatum. O mediator Dei et hominum, reconcilia reum. O pastor bone, reduc errantem. Da, Deus, misericordiam misero, indulgentiam criminoso, vitam mortuo, iustificationem impio, unctionem gratiae

Digitized by Google

indurato. O clementissime, revoca fugientem, trahe renitentem, erige cadentem, tene stantem, conduc ambulantem. Ne obliviscaris te obliviscentem; ne deseras te deserentem; ne despicias peccantem. Ego enim peccando te, Deum meum, offendi, proximum laesi, mihi non peperci. Peccavi, Deus meus, fragilitate contra te Patrem omnipotentem, ignorantia contra te Filium sapientem, malitia contra te Spiritum Sanctum clementem; et his offendi te Trinitatem excellentem. Heu mihi misero, quot et quanta peccata commisi, qualia perpetravi! Dereliqui te, Domine, de bonitate tua conqueror, amore malo accedente, timore malo humiliante, quibus potius te amittere, quam amatis carere, potius te offendere, quam timenda non incurrere volui. O Deus meus, quantum nocui verbo et opere, peccando latenter, patenter et contumaciter! Quare pro mea fragilitate supplico, ut non attendas meam iniquitatem, sed tuam immensam bonitatem et remittas clementer quae feci, donans dolorem pro praeteritis, et cautelam efficacem de futuris. Amen.

Alia oratio ante Confessionem.

Ad te, piissime Iesu, refugium meum et consolatio mea, ad te maerens et tristis venio, recogitans tibi annos meos et delicta mea in amaritudine animae meae. Ad te verba doloris effundo, misericordiam tuam implorans, ut facias opus tuum, quod est misereri et parcere, tollens peccata mea, quae sunt maxima miseria mea. Ne despicias voces et singultus ovis perditae et filii prodigi, ad tuam

Digitized by Google

pietatem redeuntis de regione longinqua: non enim laetaris in perditione morientium, qui, ut ego non morerer, mortem subire dignatus es. Vermis terrae retribui tibi mala pro bonis: et heu, quot mala et quam gravia peccata pro tantis et tam eximiis bonis! Et tamen loqueris ad sponsam tuam, praevaricatricem animam meam, ut revertatur ad te, et suscipias eam; quia misericordia super omnia opera tua, et maior est bonitas tua, quam iniquitas mea. Surgo igitur et venio ad te corde contrito et humiliato; venio, ut laver, o fons aeternae vitae, ad quem sitio sicut cervus ad fontes aquarum; venio, ut illuminer, o lux mea, et amem te et confitear adversum me iniustitiam meam. Emitte lucem tuam et veritatem tuam et illumina mentem meam, ut omnia mala mea, quae commisi, et bona, quae omisi, distincte cognoscam et integre confitear, nec me permittas computrescere in sordibus meis, tu, qui omnium misereris et nihil odisti eorum, quae fecisti. Fac me assueta mala relinquere et tibi placitis operibus occupari, ut, ubi abundavit delictum, tua gratia superabundet: et sicut fuit sensus meus, ut errarem a te, decies tantum iterum conversus requiram te. Doleo, benignissime Iesu, de omnibus et singulis peccatis meis, eaque detestor super omnia mala, non solum arido et imperfecto corde meo, sed corde etiam et affectu omnium vere poenitentium, ex gratuito tui amore, quia Deus es infinito amore dignissimus: firmiterque propono, quaelibet potius subire mala, quam iterum peccato consentire. Exactissime item con-

Digitized by Google

fiteri volo tibique et proximo integre satisfacere, atque omnes peccandi occasiones deinceps evitare. Quidquid vero mihi deest, suppleat mors tua, sanguis tuus et superabundantia merita tua, quibus fretus veniam obtinere spero et gratiam, mores meos corrigendi et in bono usque ad finem perseverandi. Et nunc, Domine, qui dedisti mihi cognoscere flagitia mea, perfice contritionem meam, et perduc ad finem satisfactionem meam. Ure me igne amoris tui et separa a me, quidquid displiceat maiestati tuae. Purifica omne, quod tibi placet in me, ut in te vivam, non in me, et in te moriar et propter te, Salvator meus. Amen.

Alia resipiscentis ac poenitentis precatio.

Peccavi, proh dolor, in coelum et coram te, Pater, nec sum dignus vocari filius tuus, sed nec oculos in coelum attollere, prae multitudine peccatorum me undique gravantium, quibus ad iram te provocavi, et beneficiis tuis indignum me reddidi, immo poenis quoque perpetuis corpus et animam obligavi.

Flecto igitur genua mea, Pater omnium clementissime, atque ut faciem tuam a me et peccatis meis avertas, rogo supplex. Doleo tot modis peccasse, et quia nimis parum doleo, tu cor meum vulnera, quaeso, dolore perfectae contritionis. Culpa enim et perditio ex me, miseratio autem et gratia ex te solum proveniunt.

Miserere mei, Deus, sicut Filius tuus Matthaei, latronis, adulterae et peccatricis misertus olim fuit,

Digitized by Google

utpote publicanorum et peccatorum amicus. Purga me tot peccatorum maculis defoedatum, qui non modo proximum, sed tuam quoque maiestatem, ac Angelos Sanctosque omnes offendi.

Culpam et poenam omnem dele, ipsumque vitiorum meorum fomitem restingue fonte divinae gratiae, qui sordes meas omnes abluat, ac me purum oculis tuis restituat, ut quibus in regno tuo nihil placet coinquinatum.

Ego vero gratia et virtute tua subnixus, statuo ab omnibus offensis deinceps cavere, omnes peccandi occasiones devitare, meam superbiam humilitate frangere, voluptatum illecebras cum castigatione corporis commutare, iram et odium fraternae caritatis officiis compensare, avaritiam per mundi contemptum explodere, pravos affectus veris poenitentiae fructibus exterminare, carnis mundique blandimentis severam opponere disciplinam et voluntatem demum propter te propriam abnegare.

Sed adiutor meus esto, Deus virtutum, qui poenitentibus viam iustitiae proposuisti, et per amarissimam Filii tui mortem auge in me gratiam, et veterem hominem exuendi et novum induendi, ut me totum in iustitia et veritate renovare tibique placere possim. Per Christum Iesum, Filium tuum, Dominum nostrum. Amen.

Oratio poenitentis.

O Iesu Christe, Salvator mundi, qui omnes peccatores clementer invitas, et quidquid ad te venerit, non eicis foras, sed benigne suscipis, foves ac

Digitized by Google

reficis: admoneo te illius immensae caritatis, qua te pro nobis sponte in Cruce obtulisti, et largissima pretiosi Sanguinis tui effusione tam abundanter exsolvisti pretium salutis nostrae, et expiasti peccata mundi.

Per sacratissimam et efficacissimam poenitentiam tuae sanctissimae vitae et mortis innoxiae, rogo te supplex, ut ignoscas mihi omnia peccata mea, quemadmodum prompte latroni in cruce pendens ignovisti eique paradisum promisisti.

Proicio nunc omnia peccata mea in profunda et dolorosa vulnera tua. Quidquid mihi deest de sufficientia contritionis et poenitentiae, hoc tu clementer supplere digneris ex divitiis satisfactionum et meritorum et omnium dolorum, poenarum ac laborum, quos in tuo sanctissimo corpore libens assumpsisti et usque ad acerbissimam mortem pro nobis sustinere voluisti.

Concede mihi, o summe clemens Salvator, ut te peccatis meis nunquam amplius crucifigam, sed virtute et merito Crucis tuae de praeteritis peccatis meis sincere doleam, praesentes tentationes fortiter superem, deinceps viam crucis et poenitentiae teneam et in bonis operibus in finem usque perseverem; tibi enim vivere et in te mori cupio. Amen.

Oratio B. Petri Canisii ad remissionem peccatorum impetrandam.

Miserere mei, Deus, et non facias mihi secundum peccata mea multa et gravia commissa, quibus iram tuam et damnationem meam commerui, sed

Digitized by Google

secundum magnam misericordiam tuam, quae totius mundi superat crimina, mihi persaepe peccanti clementer ignosce.

Placare, obsecro, Pater misericordiarum, ut non avertas faciem tuam a me, quandoquidem non modo me creare, sed perditum etiam per Filii tui sanguinem redimere dignatus es, ac impios praeterea multos quotidie iustificare et salvare in hoc mundo non desinis.

Ecce tamquam filius ille prodigus, qui bona paterna foede dissipavit, ad gloriae tuae thronum confugio: solam peto misericordiam a Patre misericordiarum; clamo et pulso, donec gratiae tuae ostium mihi quamvis indigno aperiatur. Obliviscere, quaeso, superbi et ad iracundiam hactenus provocantis rei: memor autem esto miseri et humiliter invocantis filii. Sana, Domine, vulneratum, et letaliter infirmum restitue.

Respice in faciem Christi tui et redemptoris mei, cuius sacrosancta vulnera mihi ac poenitentibus omnibus fore salutaria confido. Erravi sicut ovis, quae periit: poenitet peccasse, tibique cupio reconciliari, qui ad te conversos libenter admittis, et erraticis etiam ovibus pastorem vere bonum te exhibes easque dissipatas colligis, et ad pascua reducis virentia.

Gaudes de conversione ac poenitentia peccatorum, quibus ad te venientibus veniam et gratiam polliceris.

Tibi laus et gloria sempiterna, qui non vis mortem peccatoris, sed magis ut convertatur et vivat, patienter exspectas atque desideras. Amen.

Digitized by Google

Oratio S. Bernardi.

In unione doloris tui, quo causam doloris mei assumpsisti et emendationem pro peccatis meis suscepisti, Domine Iesu Christe, cum universitate dolentium et vere poenitentium et te in veritate quaerentium confiteor tibi omnia peccata mea, mala commissa et bona omissa, vel non pure aut neglegenter facta, sicut tu ea nosti in numero, pondere et mensura, et dies perditos vitae meae, in quibus te offendi, et laudem tuam minui, et a te summo bono cecidi, et proximum simul in casum traxi.

Suscipe ergo, Domine, de mea misera vita residuum annorum meorum Pro his vero, quos vivendo perdidi, quia perdite vixi, cor contritum et humiliatum, Deus, non despicias. Dies mei declinaverunt et perierunt sine fructu: impossibile est enim, ut revocem eos, sed placeat tibi, ut recogitem eos in amaritudine animae meae.

Domine, abyssus profundissimae miseriae meae abyssum invocat altissimae misericordiae tuae. Ne contineas in ira miserationes tuas, et fontem inexhaustae misericordiae tuae circa me exsiccari non permittas propter peccata mea: qui misereris omnium et nihil odisti eorum, quae fecisti, dissimulans peccata hominum propter poenitentiam.

Tuum est, Domine, remittere peccata; miserere mei, quia iam tempus est gratiae miserationis, et dum tempus est emendationis, da mereri gloriam benedictionis, ne in die consummationis me feriat verbum maledictionis.

Digitized by Google

Fac me, quaeso Domine, assueta mala relinquere, et tibi placita opera agere; et studium, quod hucusque in peccatis exercui, te adiuvante deinceps in tua voluntate exerceam, ut ubi abundavit delictum, tua gratia reabundet. Amen.

Oratio S. Augustini.

Salva me, Domine, rex aeternae gloriae, qui solus potes salvare. Da mihi et velle et operari et perficere, quae tibi placent et mihi expediunt. Da in perturbatione et tribulatione auxilium, in persecutione solatium et in omni tempore tentationis virtutem. Tribue mihi de praeteritis malis veniam, de praesentibus vitiis emendationem, de futurisque peccatis largiri digneris custodiam. Deus, qui praescius es futurorum, qui transacta velut praesentia conspicis: tu, Domine, oculos cordis mei aperire dignare, et acceptabilem tibi fac animam meam, ut semper tuus amor pectus meum inflammet et per diem tecum sit fabulatio mea, et per noctem visitationem tuam cognoscam: quia dulcia sunt eloquia tua, Domine, in faucibus meis, suscipe spiritum meum in tua perpetua pace. Te invoco, Domine, cui assistunt omnes chori Sanctorum et glorificant cum timore et tremore: noli derelinquere animam meam, ut non dominetur ei, quem tu confudisti in desiderio tuo. Te invoco illuminatorem hominum et salvatorem et redemptorem. Clamo ad te, exaudi me, Domine, et solve vincula peccatorum meorum, in quibus constrictus teneor: qui cum Patre etc.

Digitized by Google

Oratio S. Ambrosii.

Miserator et misericors, patiens et multum misericors, magne et terribilis Deus, tibi confiteor peccata mea, crimina mea, facinora mea, delicta mea; tibi patefacio vulnera mea, scelera mea. Tu propter ineffabilem bonitatem tuam confer mihi misero medicinam. Tu enim, mitissime, dignatus es dicere: Nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat. Confiteor, inique egi, perversa est in conspectu tuo via mea. Exstincta est iniquitatibus meis anima mea. Superbia, libido, ira, impatientia, malitia, invidia, gula, mendacium, scurrilitas, stultiloquium, ignorantia, neglegentia seu ceterae pestes occiderunt animam meam. Pollutum est cor meum et labia mea, visus meus et auditus, gustus, odoratus et tactus, et omnimodis cogitatione, locutione sive actione perditus sum. Quaeso, Domine Deus, cuius miseratio nullum habet finem, attrahe me post te, sicut attraxisti mulierem peccatricem; dona mihi compunctionem mentis et corporis et uberrimos lacrimarum fontes, sicut donasti illi non cessare osculari pedes tuos, rigari lacrimis et extergere capillis; concede mihi, ut secundum magnitudinem iniquitatum mearum sit magna dilectio mea in te, ut propter immensitatem pietatis tuae omnia dimittas mihi peccata. Largire mihi de praeteritis veniam, de praesentibus malis continentiam, de futuris cautelam. Fac me priusquam moriar consequi plenissime misericordiam tuam, et ne dies meos ante finiri sinas, quam

Digitized by Google

peccata dimittas, sed sicut vis et scis, miserere mei. Amen.

Post Confessionem.

Gratias ago tibi, Domine, Pater et dux vitae meae, qui non secundum peccata mea fecisti mihi, sed superexaltasti misericordiam iudicio et proiecisti in profundum maris omnia delicta mea. Atque utinam possem tantam in me contritionem excitare, quantam habuerunt pro peccatis suis s. Propheta David, vir secundum cor tuum, s. Petrus, Princeps Apostolorum, ac reliqui poenitentes: quam libenter totus in lacrimas diffluerem, donec lavarentur iniquitates meae, et ostenderes mihi placatum vultum tuum! Sed facta est anima mea sicut terra sine aqua tibi et aruit sicut testa virtus mea; cumque omni virtute destitutus sim, hoc solum habeo residui, ut oculos meos extollam ad Redemptorem meum, eiusque lacrimas offeram tibi, quas ille pro me uberrime effudit, ut eis placatus aperias mihi ianuas misericordiae tuae, et suscipias me servum fugitivum venientem ad te et ab inimicis fugientem. Respice in me et miserere mei, Domine patiens et misericors, loquere ad petram cordis mei, et percute virga virtutis tuae, ut fluant aquae compunctionis, aquae salutares, quibus sanabitur et dealbabitur anima mea. Confirma hoc, quod operatus es in me, tibique grata et accepta sit confessio mea, atque omnem eius defectum suppleat pietas tua. Misericordiam tuam imploro et veniam postulo cum inviolabili proposito, deinceps non

Digitized by Google

peccandi et studio virtutum sedulo incumbendi, te mihi vires subministrante, qui non deseris sperantes in te. Ne patiaris diutius me vagari post vanitatem vitae huius; transeunt enim dies et dies, anni et anni, et ecce nihil proficio. Convertere ergo et deprecabilis esto super me indignissimum servum tuum, et noli sic attendere malum meum, ut obliviscaris bonum tuum: nam si ego commisi, unde me damnare potes, tu non amisisti, unde me salves et recipias in gratiam tuam, Deus meus, adiutor meus. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

Alia oratio post Confessionem.

Benignissime Iesu, per cordis tui contritiones et tuae passionis meritum supplere digneris omnem defectum contritionis meae et confessionis, et concede, ut diligentius solito peccata omnia et eorum occasiones fugiam. Quod in tua gratia confidens firmiter propono, eligens potius quodlibet malum aut damnum subire et perpeti, quam scienter et ex proposito te offendere voluntatemque tuam vel in minimo transgredi. Adiuva me, Domine Deus meus, quia sine te nihil possum. Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti Deus per omnia saecula saeculorum. Amen.

Gratiarum actio S. Thomae Aquinatis.

Laudo, glorifico, benedico te, Deus meus, propter immensa indigno mihi praestita beneficia. Laudo clementiam tuam me diu exspectantem, dulcedinem

Digitized by Google

tuam ulcisci simultantem, pietatem tuam vocantem, benignitatem suscipientem, misericordiam peccata remittentem, bonitatem supra merita impendentem, patientiam iniuriae non recordantem, humilitatem consolantem, patientiam protegentem, aeternitatem conservantem, veritatem remunerantem. Quid dicam, Deus meus, de tua ineffabili largitate? Tu enim vocas fugientem, suscipis revertentem, adiuvas titubantem, laetificas desperantem, stimulas neglegentem, armas pugnantem, coronas triumphantem; peccatorem post poenitentiam non spernis et iniuriae non meministi. A multis liberas periculis, ad poenitentiam cor emollis; terres suppliciis, allicis promissis; castigas flagellis, angelico ministerio custodis; ministras temporalia, reservas nobis aeterna; hortaris dignitate creationis, invitas clementia redemptionis, promittis praemia remunerationis: pro quibus omnibus laudes referre non sufficio. Maiestati tuae gratias ego propter immensae bonitatis tuae abundantiam, ut semper in me gratiam multiplices, et multiplicatam conserves, et conservatam remuneres. Amen.

Pro felici morte precatio.

Domine Iesu Christe, vitae et necis princeps, cui et vivimus et morimur, per sacrosanctam et amarissimam in Cruce mortem tuam precor, ut adventus in mea morte tuus me non uti dormientem, imparatum et inertem, sed vigilantem et frugi servum offendat.

Digitized by Google

Ne permittas, quaeso, me impoenitentem ex hac migrare vita et improvisa morte praeoccupari: sed moriturum mature confirmes ac munias catholica fide, vera poenitentia, pura confessione, digna satisfactione et sacratissimo Eucharistiae viatico oleique sancti perceptione.

Cum cetera omnia me deserent, quae caduca et fluxa in hoc mundo possidentur, tu, qui cum electis tuis perpetuo manes, me non deseras, praesertim in extremo illo vitae agone, quando cum infestissimo satana vel maxime luctandum est. Assistant mihi tum in morte Angeli tui et migraturum adversus tentationes omnes protegant, tum in doloribus consolentur atque confirment.

Vigeant in me tunc fides, spes, caritas et patientia: in manus tuas me animo praesente commendem, atque in pace sancta obdormiam, ut in regnum tuum, quod nobis tanto pretio comparasti, secure transire possim.

Memento mei, Domine, qui regnum tuum poenitenti etiam sero latroni promittere, ac pro summa clementia tua donare dignatus es. In te confido, non confundas me ab exspectatione mea. Amen.

5. De recollectione menstrua complementum.

Audi Prophetam clamantem: „Desolatione desolata est omnis terra, quia nullus est, qui recogitet corde“ (Ir 12, 11). Certe et tu animam tuam terram desolatam invenies, i. e. destitutam virtutibus et eisdem post annos defectibus obstrictam, si non recogitas corde. Hinc iterum iterumque examen conscientiae, particulare et generale,

Digitized by Google

vespertinum et hebdomadarium (ad confitendum) serio instituendum est.

Quia autem a fervore ad tepiditatem paulatim descenditur ideoque post parvi temporis spatium non tam palpabilis ad deterius mutatio est, hinc tamquam mercator providus non solum in fine diei vel hebdomadae, sed etiam exeunte mense de negotio salutis rationem tibi et Confessario reddes.

In fine igitur cuiuslibet mensis hora opportuna et praemissa mane apta (de morte, iudicio) meditatione, post invocationem Spiritus Sancti, *memor eorum quae proposui in Exercitiis Spiritualibus,* illud S. Bernardi sequar: „Statue te ante te, tamquam ante alium", et rationem exigam ab anima mea, quomodo me habuerim mense elapso:

I. Erga Deum et Sanctos (filius).

A. Circa Sacramenta et Missae sacrificium.

An singulis hebdomadibus confessus sum, apud eundem, si potui, Confessarium et qua contritione, proposito? An humili accusatione omnique respectu humano abiecto?

Quoties S. Communionem, qua praeparatione et praesertim qua gratiarum actione recepi?

An Missam quotidie attente et devote audivi?

Perpendam: quot et quantae gratiae inde mihi prae aliis contigerunt, quotque talenta, quibus si bene usus sum, gaudere, quae si neglexi, timere oportet, iuxta illud Apostoli: „Terra enim saepe venientem super se bibens imbrem . . . *proferens autem spinas ac tribulos, reproba est et maledicto proxima:* cuius consummatio in combustionem" (Hebr 6, 7 8).

Quid ergo in futurum?

Digitized by Google

B. Circa Meditationem.

An semper et quo successu quoque progressu in vita spirituali eam institui? Forte nullo aut exiguo? Et cur?

Num quia puncta meditationis non serio praeparavi, non attente audivi? Praeparationem proximam mane neglexi? Tempus ipsius meditationis somniando trivi? Memoriam, intellectum, voluntatem non serio applicavi? In meditando preces et colloquia omisi? Nihil proposui faciendum, nihil feci? Nunquam reflexionem institui, nunquam lumina et proposita scriptis notavi nec ulla perdiem recordatione aut lectione spirituali confovi?

C. Circa reliqua exercitia.

Quomodo ea peregi, tam *communia* ut preces matutinas (bonam intentionem) et vespertinas (animi discussionem et contritionem), preces ad prandium et coenam; quam *privata* ut visitationem SS. Sacramenti, Rosarium B. Mariae V., preces iaculatorias ad ambulandum coram Deo praesente aptissimas? Inquiram speciatim, quem cultum hoc mense SS. Cordi Iesu et B. Mariae V., Matri meae exhibui, num etiam s. Ioseph, Angeli Custodis, patronorum meorum memoriam recolui, neque animarum in Purgatorio morantium oblitus sum (indulgentiae).

Computabo: quantum temporis huiusmodi piis exercitiis mense peracto impendere debui, quo fructu impendi? Forte nullo aut exiguo? Et cur?

Num quia „quasi homo, qui tentat Deum“ (Eccli 18, 23) sine recollectione in orationem intravi, orandi pigritiam non superavi, distractionibus non restiti, longioris temporis precibus intentionem aliquam Dei gloriam et salutem animarum spectantem adiungere neglexi?

Quid ergo in posterum?

Digitized by Google

II. Erga proximum (frater).

A. An **superioribus et magistris** reverentiam et oboedientiam exhibui? Forte contempsi — eos ludibrio habui — de eis eorumque actibus et mandatis temere et superbe iudicavi — murmuravi — eorum famae detraxi — in re iusta et debita non oboedivi — alios ad inoboedientiam verbo aut exemplo excitavi — eorum monitiones et vituperia sprevi? Nec pro eis nec pro parentibus oravi?

B. De **commilitonibus** perpendam: An erga omnes affabilis fui? An sensualitate ductus hinc separationem, inde familiaritatem inordinatam fovi? Cogitatione, iudicio temerario, verbis asperis et superbis, famae detrahentibus (mendaciis, calumniis) deliqui? Num aliquos et praesertim pios ac timoratos ludibrio habere consuevi — eorum agendi modo motiva inhonesta supposui — iunioribus loquendo aut agendo malum exemplum dedi?

Quid a me in posterum exspectabit Apostolus dicens: „Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus, *omnes*, qui de uno pane participamus“ (1 Cor 10, 17)? Quid ipse Magister, qui, postquam infinita dignatione toties hoc iterum mense in cor meum intravit, nunc illud mihi applicabit: „Hoc est praeceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos“ (Io 15, 12)? An *egoismo* meo ulterius indulgere non erubescam?

III. Erga me ipsum (dominus).

Passionem dominantem, quam mihi interitum minari cognovi, fortiter et constanter vincere studui — examine particulari quotidie facto et scripto?

Puritatem sedulo custodivi, frenando oculos, phantasiam, cordis inclinationes? In legendo vigilans, in conversando, praesertim cum personis alterius sexus, cautus

Digitized by Google

fui? Tentationes a principio resistendo, orando, ad SS. Cor Iesu et B. Mariae V. confugiendo superavi, me ipsum tamquam bonus miles Christi mortificatione munivi?

Num aliis passionum motibus, impatientiae, irae, invidiae, pigritiae cessi? Num vana gloria, iactantia vel aemulatione operum meritum minui aut penitus annihilavi?

Circa officia status theologici:

An tempus studio addictum rite, i. e. recto ordine rectaque intentione studendo impendi? An difficultates studendi fervore vel etiam oratione superavi? Quomodo tempus liberum impendi? An honestae recreationi, utili lectioni consului? An statuta domus observavi, an superbe iudicavi et contempsi? Quomodo silentium?

Video Apostolum, postquam labores incredibiles pro Christo (2 Cor 11, 23—29) subiit, carnem suam crucifigentem: „Castigo corpus meum et in servitutem redigo, ne forte cum aliis praedicaverim, ipse reprobus efficiar" (1 Cor 9, 27). Video Dominum meum zelo gloriae divinae et animarum salutis flagrantem, bonis operibus se fatigantem, carnem innocentissimam crucis supplicio subicientem. An ego corpori meo sensibusque blandiri et concupiscentiis indulgere non pertimescam?

Denique resumendo inquiram: An aliquem saltem progressum feci? Aliquod pietatis exercitium melius persolvi? In aliqua virtute, in humilitate, patientia, caritate, temperantia, mei ipsius abnegatione fortius me exercitavi? An peccata fuerunt numero minora, minus voluntaria ac deliberata? Ad quid in posterum prae omnibus attendendum est? —

Dixi: Nunc coepi! (Ps 76, 11.)

Priorum quondam huius Seminarii alumnorum, qui iam aeternitatis domum ingressi sunt, memoriam piis

Digitized by Google

suffragiis recolens, discam ab eis monitus mense venturo tempus instanter operando redimere, ardenti corde viam mandatorum currere, probi theologi partes explere, ut si venerit Filius hominis, theologum vigilantem, non dormientem, ferventem, non torpentem me reperiat.

Suscipe igitur, Domine, hanc meam voluntatem. Accipe me totum, quidquid habeo vel possideo. Tibi soli vivere statuo. Da quod iubes, et iube quod vis! Tu, qui arundinem quassatam non confringis et linum fumigans non extinguis (Mt 12, 20), da mihi gratiam ita vivendi, ut mors aliquando, licet subitanea et improvisa veniens, nunquam me imparatum inveniat.

Digitized by Google

Pars V.

Preces ante et post sacram Communionem.

1. Methodus pie communicandi.

Ante Communionem.

Dominus meus et Deus meus! grande est opus, quod aggredior: non enim homini mortali, sed tibi, Regi coelorum immortali et invisibili, habitationem praeparo. Orna ipse domum, quam ingredieris: purifica animam meam, rumpe vincula peccatorum meorum, ut digne te recipere valeam.

Domine Iesu, vere Deus et vere homo, firma fide credo ac confiteor, te, qui olim nascens te in socium, moriensque dedisti in pretium, et nunc regnans te das in praemium, vere et realiter esse praesentem in hoc Sacramento. Vere sumus genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis. Nec est alia natio tam grandis, quae habeat deos appropinquantes sibi, sicut tu, Deus noster, ades nobis. Tu enim, veritas aeterna, dixisti: Caro mea vere est cibus, et Sanguis meus vere est potus. Qui manducaverit ex hoc pane, non morietur. Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Hoc est enim Corpus meum. Certior

Digitized by Google

sum, te verum Deum et verum hominem, carnem et sanguinem tuum, corpus tuum et animam tuam, divinitatem sanctamque humanitatem tuam contineri et velari his speciebus, quam si te propriis viderem oculis. Adoro te Creatorem, Redemptorem ac summum bonum. Si pro hac fide mori me oporteret, mortem eligerem potius, quam fidem meam fallerem. Ideo renuncio omni, quod sensus mei aut ratio mea contrarium huic fidei suggerere possint. Fac me per gratiam tuam semper illud de tanto mysterio credere et intellegere, sentire et firmiter tenere, dicere et cogitare, quod tibi placet et expedit animae meae.

Domine virtutum! beatus homo, qui sperat in te. Spero in te, omnis boni fonte et gratiae auctore, quem in hoc Sacramento praesentem habeo. Idcirco ad mensam dulcissimi convivii tui ego peccator, de propriis meritis nihil praesumens, sed de tua confidens misericordia et bonitate accedo. Suavis enim es tu, et multae sunt misericordiae tuae omnibus invocantibus te. Tu solus dare potes omnia, quia omnipotens, tu dare vis omnia, quia infinite bonus es. Tu es spes, salus, lux et vita mea. Tu parasti in conspectu meo mensam adversus eos, qui tribulant me, adversus mundum, carnem ac diabolum. Propter hoc laetatur cor meum. Spero enim, nihil non daturum te mihi, qui dare te ipsum non recusas. In te, Domine, confido: non confundas me ab exspectatione mea. Venio ad te, quia bonitas tua me invitat, dicens: Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos.

Digitized by Google

Domine Iesu Christe! quanta fuit tui vis amoris, quae te, quem terra, pontus, sidera colunt, adorant et praedicant; te, qui trinam, coelestium, terrestrium et infernorum regis machinam; te, qui fuisti apud Patrem ante constitutionem mundi, traxit e sinu Patris, ut formam servi accipiens et habitu inventus ut homo, venires in hunc mundum, perambulares terram benefaciendo omnibus, innumerasque miserias ac iniurias propter salutem nostram ferres! Quantus amor! damnare nos poteras, et salvare voluisti: nos rei eramus, et tu innocens supplicium subiisti. Tulisti clavos, lanceam, multamque ignominiam, sudores et angores, atrocissimam denique mortem, ut nos Patri reconciliares ac reos liberares. Denique pridie, quam patereris, abiturus ex hoc mundo ad Patrem, in pignus amoris Sacramentum hoc instituisti, praecipiens Apostolis: hoc facite in meam commemorationem, ut modo prorsus novo et mirabili maneres nobiscum et sic monstrares, delicias tuas esse cum filiis hominum. Quanto amore dignus es, Domine, qui tot ac tanta fecisti amore erga nos! Diligam itaque te, Domine, fortitudo mea, firmamentum meum, refugium meum ac liberator meus. Cupio te suscipere in hoc Sacramento, ut tibi firmius uniar vinculo amoris. Tu es enim caritas: et qui manet in caritate, in te manet, et tu manes in illo.

Domine Deus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra! Rex coeli et terrae, quem laudant Angeli atque Archangeli, quem adorant Dominationes, coram quo tremunt Potestates: quid est

Digitized by Google

homo, quod memor es eius, faciens ei memoriam mirabilium tuorum? quid est filius hominis, quoniam visitas eum, Angelorum esca eum nutriens et panem de coelo praestans ei? Unde hoc mihi, ut venias ad me, ut fiam templum et habitaculum tuum? Venis, Domine, ad servum, Creator ad eum, quem creavit dextera tua. Tu suprema es Maiestas atque sanctitas ipsa, ego vero cinis et pulvis, vermis et peccator sum: et ego ad te accedere audeam? panem Angelorum manducem? Corpore et Sanguine Filii Dei reficiar? Etiamsi puritatem Angelorum et Sanctorum haberem, indignus tamen essem tanta gratia: quomodo appropinquem plenus peccatis et imperfectionibus! Timeo sane, ne habeam vestem nuptialem. Confidens solum in infinita misericordia tua ad te venio.

Dies beata, qua te, Iesu mi, fruar! Panis sancte, panis cor hominis confirmans, quem qui manducat, vivet in aeternum, qui non manducat, vitam non habebit. — Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum! concupiscit et deficit anima mea in atria tua. Refice esurientem animam meam, ut in fortitudine cibi illius ambulem per hunc mundum usque ad montem sanctum tuum, donec in regno tuo satier ab ubertate domus tuae. — Desiderio desiderasti manducare pascha cum discipulis tuis. Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat et anima mea ad te, Deus. Veni, Domine, et noli tardare: sed veniat, obsecro, tecum illa multum desiderabilis bonitas, mansuetudo et caritas tua, per quam excusetur et iuvetur miseria mea.

Digitized by Google

Veni, desiderate cunctis gentibus, veni ad docendum me viam prudentiae et salvandum me in manu forti et brachio extento. Sanctifica animam desiderantem te, quaerentem te, properantem ad te. Veni, Domine Iesu, et veniant super me universae benedictiones tuae. Amen.

Piae aspirationes in ipsa sumptione.

O mi Iesu! Agnus Dei! * Iesu, miserere mei, * Peccatoris maximi!

Dolet meum cor malignum, * Quod te, Deum tam benignum, * Vel semel offenderim.

Nolo, nolo iam peccare, * Sed te, mi Iesu, solum amare * Volo totis viribus.

Non sum dignus, non sum dignus, * Ut tu, Deus tam benignus, * Cordis mei hospes sis.

Non sum dignus, sed te tamen, * Cordis unicum solamen, * Mi Iesu, desidero.

Ad te, mi Iesu, accedo: * In te credo, in te spero, * Amo te medullitus!

Veni, Iesu, et dignare, * Peccatorem satiare * Corpore et Sanguine.

Iam quod quaesivi, video, * Quod concupivi, teneo, * Amore Iesu langueo, * Et corde totus ardeo.

Affectu Mariae Matris * Et Iosephi, tui patris, * Te, Iesu, suscipio.

Omnes actus Angelorum, * Omnes affectus Sanctorum * Tibi, Iesu, offero.

Intra meum cor te pono, * Meque tibi totum dono; * Sim tuus et tu meus. Amen.

Post Communionem.

Quod concupivi, iam video; quod speravi, iam teneo; quod desideravi, iam habeo; possideo eum,

Digitized by Google

qui potest et possidet omnia; vivo ego, iam non ego, vivit vero in me Christus. O me felicem! quam potentem suscepi Dominum! quam dilectum induxi hospitem! quam fidelem acceptavi amicum! Omnipotens, qui est ante saecula, Filius Dei, redemptor meus, iudex meus, Deus meus requiescit in corde meo. Quam suavis est, Domine, spiritus tuus, qui, ut dulcedinem tuam in filios demonstrares, pane suavissimo de coelo praestito esurientes reples bonis!

Quid retribuam tibi pro omnibus, quae retribuisti mihi? Vere, quos dilexisti, in finem dilexisti eos. Cum non essem, e nihilo eduxisti me; cum per peccatum inimicus tuus essem, in gratiam recepisti me; cum viverem abiectus in domo mea, de pulvere eduxisti me et constituisti me cum principibus populi tui, ut comederem panem in mensa tua, in qua ineffabili prorsus amore carnem tuam in cibum mihi dare dignatus es. Et ego te non redamem, o Iesu amantissime? Utinam eo erga te flagrarem amore, quo flagrarunt devoti, qui debita praeparatione ac fructu hoc Sacramentum unquam receperunt, quo flagrarunt omnes Sancti tui, quo tu ipse in nos flagrasti! Utinam ita unus essem tecum, ut tu cum Patre unus es! Utinam adhaererem tibi, uti palmes adhaeret viti! Utinam neque vita, neque mors, neque instantia, neque futura, neque creatura ulla unquam me separarent a caritate tua! Hoc volo, hoc desidero, hoc tota mente concupisco; hoc et maxima cum fiducia spero. Memini enim benedictionum, quibus cumulasti eos, qui te aliquando

Digitized by Google

suscepere. Imple igitur et me, Domine, spiritu tuo, et benedic domui, quam ingressus es. Concede mihi spiritus tui fervorem, amoris tui suavitatem, fraternae dilectionis sinceritatem, in tentationibus fortitudinem, in adversis patientiam, in prosperis humilitatem, in ore veritatem, in opere stabilitatem, in moribus gravitatem. Gratia tua mecum sit, mecum laboret et mecum usque in finem perseveret. Auge in me fidem, spem et caritatem, quae non resideat in lingua, sed quae se prodat servando mandata tua. Sanctifica, conforta ac defende me. Sis dux meus in via, in dubio magister, solamen in angustiis, salus in agone. Custodi me, ne diligam mundum, nec ea, quae in mundo sunt, ne in peccandi consuetudinem incidam. Protege me contra eos, qui me seducere et quae impia sunt student docere. Mitigasti tribus pueris flammas ignium: da et mihi, ut non me exurat flamma vitiorum. Da mihi castitatem, quae immunis sit ab omni violatione vel illicito consensu, et quam nec impura cogitatione nec verbo obscoeno polluam. Fac, ut quotidie in virtute proficiam, ut tranquilla et pura conscientia tibi serviam, ut superioribus meis prompto animo oboediam, ut semper voluntatem tuam faciam. Perceptio Corporis tui non sit mihi reatus ad poenam, sed intercessio salutaris ad veniam; sit scelerum meorum ablutio; sit peccatorum meorum remissio; sit fragilitatis meae fortitudo; sit omnium virtutum augmentatio; sit in te uno ac vero Deo firma adhaesio. Curet debilitatem meam, foeditatem lavet, caecitatem illuminet, paupertatem ditet, vestiat

Digitized by Google

nuditatem. Euntem me conducat, errantem me reducat, revertentem me suscipiat, titubantem me teneat, cadentem me erigat et perseverantem me in gloriam introducat. Det gratiam et illis, pro quibus orare teneor, omnibusque vivis, ut tibi placeant; largiatur denique vitam beatam fidelibus defunctis.

Scrutator cordium et renum! tu formasti me et suscepisti me a nativitate mea. Quidquid possum, quidquid possideo, quidquid sum, id totum largitus es mihi. Obtulisti te pro me in Cruce, et in Eucharistia dedisti mihi Corpus et Sanguinem tuum. En servus tuus, Domine! Omnia mea tua sint! Totum me tibi devoveo. Quidquid cogito, loquor, operor ac patior, te respiciat. Omnes facultates animae viresque corporis tuo sint consecratae servitio. Habeto me in servum sempiternum. Salva animam meam, quam pretioso Sanguine tuo redemisti, ac toties hoc amoris pabulo refecisti. Hora denique mortis voca me, dimitte me in pace, ac iube me venire ad te, ut te, quem nunc speciebus velatum peregrinans video, facie ad faciem intuear in patria, et cum omnibus Sanctis tuis laudem te in saecula saeculorum. Amen.

S. Thomae Aquinatis desiderium coeli.

Te Deum totius consolationis invoco, qui nihil in nobis praeter tua dona cernis, ut mihi post huius vitae terminum donare digneris cognitionem primae veritatis, fruitionem divinae maiestatis. Da etiam corpori meo, largissime remunerator, claritatis pulchritudinem, agilitatis promptitudinem, subtilitatis

Digitized by Google

aptitudinem, impassibilitatis fortitudinem. Apponas istis affluentiam divitiarum, influentiam deliciarum, confluentiam bonorum: ut gaudere possim supra me de tua consolatione, infra de loci amoenitate, intra de corporis et animae glorificatione, iuxta de Angelorum et hominum delectabili associatione. Consequatur apud te, clementissime Pater, mea rationalis potentia sapientiae illustrationem, concupiscibilis desiderabilium adeptionem, irascibilis triumphi laudem, ubi est apud te evasio periculorum, distinctio mansionum, concordia voluntatum; ubi est amoenitas vernalis, luciditas aestivalis, ubertas autumnalis et requies hiemalis. Da, Domine Deus, vitam sine morte, gaudium sine dolore, ubi est summa libertas, libera securitas, secura tranquillitas, iucunda felicitas, felix aeternitas, aeterna beatitudo, veritatis visio atque laudatio, Deus. Amen.

2. Alia methodus pie communicandi.

Preces ex Imitatione Christi decerptae.

Ante Communionem.

Admiratio.

Audivi vocem tuam, Domine: Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. O Sancte sanctorum! ecce tu inclinas te ad me; tu vis esse mecum; tu invitas ad convivium tuum; tu mihi dare vis coelestem cibum et panem Angelorum ad manducandum, non alium sane quam te ipsum, panem vivum, qui de coelo descendisti, et das vitam mundo.

Digitized by Google

Laudatio.

O invisibilis Conditor mundi Deus! quam mirabiliter agis nobiscum, quam suaviter et gratiose cum electis tuis disponis, quibus temet ipsum in sacramento sumendum proponis! Laetare, anima mea, et gratias age Deo pro tam nobili munere et solacio singulari, in hac lacrimarum valle tibi relicto.

Timor.

Terrent me, Domine, delicta propria, et ad capienda tanta mysteria me reverberat impura conscientia mea. Provocat me dulcedo verborum tuorum, sed onerat me multitudo vitiorum meorum. Quis ego sum, Domine, ut ad te praesumam accedere? Quomodo ausus ero venire ad te, qui nihil boni mihi conscius sum, unde possim praesumere? Quomodo te introducam in domum meam, qui saepius offendi benignissimam faciem tuam, quam reverentur Angeli et Archangeli, quam metuunt sancti et iusti?

Contritio.

Peccavi, Domine, peccavi: miserere mei, ignosce mihi. Quid possum agere pro peccatis meis, nisi humiliter ea confitendo et lamentando, et tuam propitiationem ardenter deprecando? Deprecor te: exaudi me propitius, Deus meus. Omnia peccata mea mihi maxime displicent: nolo ea unquam amplius perpetrare, sed pro eis doleo et dolebo, quamdiu vixero. Dimitte mihi peccata mea propter nomen sanctum tuum. Ecce committo me misericordiae

Digitized by Google

tuae, resigno me manibus tuis. Tu omnia delicta mea, quae a die, quo primum peccare potui, usque ad horam hanc commisi, pariter incende et combure igne caritatis tuae; dele universas maculas eorum; conscientiam meam ab omni delicto emunda, et restitue mihi gratiam tuam, quam peccando amisi, omnia mihi plene indulgendo, et in osculum pacis me misericorditer assumendo.

Fides.

Credo et confiteor, quia tu praesens es in altaris sacramento, Deus meus, Sanctus Sanctorum, Creator omnium et Dominus Angelorum. Quidquid intellegere non valeo, tibi Deo omnipotenti secure commendo: non fallis me, Deus meus. Et si talia essent opera tua, ut facile ab humana ratione caperentur, non essent mirabilia nec ineffabilia dicenda. O quam admirabilis operatio tua, Domine! Quam potens virtus tua! Quam ineffabilis veritas tua! Dixisti enim, et facta sunt omnia, et hoc factum est, quod ipse iussisti.

Spes.

Super bonitate tua et magna misericordia tua, Domine, confisus, accedo aeger ad Salvatorem, esuriens et sitiens ad fontem vitae, egenus ad regem coeli, servus ad Dominum, creatura ad Creatorem, desolatus ad meum pium consolatorem; sperans quod in hoc sacramento mihi conferatur spiritualis gratia: et reparabitur in anima mea virtus amissa, et per peccatum deformata redibit pulchritudo, et demum conservabitur cor meum et corpus immaculatum.

Digitized by Google

Caritas.

O Dilecte mi! da me pro te omnes dilectos relinquere, et te solum super omnia amare, et te mihi viventi et morienti amicum retinere. Esse sine te gravis est infernus, et esse tecum dulcis paradisus. O thesaurus bonus! O bonum super omne bonum! O Deus meus et omnia! Intellegenti satis dictum est, et saepe repetere iucundum est amanti. Purifica, laetifica, clarifica et vivifica spiritum meum cum suis potentiis ad inhaerendum tibi iubilosis excessibus.

Desiderium.

Ecce, Domine, in te est totum, quod desiderare possum et debeo. Tu salus mea et redemptio, spes et fortitudo, decus et gloria. Desidero te nunc devote ac reverenter suscipere. Cupio te in domum meam inducere, quatenus cum Zachaeo merear a te benedici ac inter filios Abrahae computari. Anima mea corpus tuum concupiscit; cor meum tecum uniri desiderat. Noli avertere faciem tuam a me; noli visitationem tuam prolongare; noli consolationem tuam abstrahere. Veni, Domine, veni ad pauperculum tuum, et laetum fac eum: veni, et satia me tua praesentia. Quamdiu hoc datum non fuerit, nec plenum gaudium erit.

Invocatio.

O beatissima gratia, quae pauperem spiritu virtutibus divitem facis, veni, descende ad me, reple me nunc consolatione tua, ne deficiat prae ariditate mentis anima mea. Obsecro, Domine Deus meus,

Digitized by Google

praeveni servum tuum in benedictionibus dulcedinis tuae, ut ad tuum magnificum saramentum digne ac devote merear accedere. Excita cor meum in te, et gravi torpore exue me. Quidquid mihi deest, Iesu bone, Salvator sanctissime, tu pro me supple benigne ac gratiose. Da pauperi mendico tuo vel interdum modicum de cordiali affectu amoris tui in sacra communione sentire, ut fides mea magis convalescat, spes in bonitate tua proficiat, et caritas, semel perfecte accensa et coeleste manna experta, nunquam deficiat.

Post Communionem.

Admiratio.

O Dilecte mi, electe ex milibus, in quo complacuit animae meae habitare omnibus diebus vitae suae! O Pacifice mi, in quo pax summa, requies vera! O Deus abscondite, cuius sermo cum humilibus! O vere ineffabilis gratia tua; o vere admirabilis dignatio tua; o amor immensus, animae meae singulariter impensus! O Iesu, quanta est dulcedo in convivio tuo! O quam dulce mihi foret in praesentia tua ex intimo affectu lacrimas fundere, et cum pia Magdalena pedes tuos lacrimis irrigare! Certe in conspectu tuo et sanctorum Angelorum tuorum totum cor meum ardere deberet, et ex gaudio fiere. O quam magnum suscepi Dominum, quam dilectum induxi hospitem, quam iucundum recepi socium, quam fidelem acceptavi amicum, quam speciosum et nobilem amplector sponsum! O Iesu bone! sileant a facie tua coelum et terra et omnis

Digitized by Google

ornatus eorum. Mane in secreto, anima mea, et fruere Deo tuo; ipsum enim habes, quem totus mundus tibi auferre non potest.

Laudatio.

O dulcissime Salvator! Laudent te universi populi, tribus et linguae, et sanctum ac mellifluum nomen tuum cum summa iubilatione et ardenti devotione magnificent. Ecce omnium devotorum cordium iubilationes, spirituales affectus, mentales excessus ac supernaturales illuminationes et coelicas visiones tibi offero et exhibeo, cum omnibus virtutibus et laudibus ab omni creatura in coelo et in terra celebratis et celebrandis. Accipe vota mea, Domine Deus meus, et desideria infinitae laudationis ac immensae benedictionis, quae tibi secundum multitudinem ineffabilis magnitudinis tuae iure debentur. Haec tibi reddo et reddere desidero per singulos dies et momenta temporum.

Gratitudo.

O benignissime Iesu! quanta tibi gratiarum actio pro susceptione sacri corporis tui debetur, cuius dignitatem nullus hominum explicare potens invenitur. Gratias tibi, o Pastor aeterne, qui me pauperem et exsulem dignatus es pretioso corpore et sanguine tuo reficere. O quid retribuam tibi, Domine, pro gratia ista, pro caritate tam eximia? Non est aliud, quod gratius dare queam, quam ut cor meum tibi Deo meo totaliter tribuam et intime coniungam. Dignare, Domine, manere mecum, ego volo

Digitized by Google

libenter esse tecum. Hoc est totum desiderium meum, ut cor meum sit tibi unitum.

Oblatio.

Sicut igitur tu, Domine, te ipsum expansis in cruce manibus et nudo corpore pro peccatis meis Deo Patri sponte obtulisti, ita ut nihil in te remaneret, quin totum in sacrificium divinae placationis transiret: ita et ego me ipsum tibi voluntarie in oblationem puram et sanctam cum omnibus viribus et affectibus meis, quanto intimius valeo, offero. O Domine! rogo te in simplicitate cordis mei, suscipe me tibi in servum sempiternum, in obsequium et sacrificium laudis perpetuae; suscipe me cum hac sancta oblatione tui pretiosi corporis, quam tibi modo in praesentia Angelorum invisibiliter assistentium obtuli pro me et pro cuncto populo tuo in salutem.

Petitio pro se.

Praesta, Domine Deus salutaris meus, ut cum frequentatione mysterii crescat meae devotionis affectus. Salva animam meam, quam pretioso sanguine tuo redemisti. Age mecum secundum bonitatem tuam, non secundum meam malitiam et iniquitatem. Vide omnia bona mea, quam pauca sint et imperfecta: tu ea emenda et sanctifica: grata habe et accepta tibi fac et semper ad meliora trahe. Me quoque pigrum et inutilem homuncionem ad laudabilem perduc finem.

O dulcissime atque amantissime Iesu! ecce sto ante te, pauper et nudus, gratiam postulans et miseri-

Digitized by Google

cordiam implorans. Accende frigiditatem meam igne amoris tui, verte mihi omnia terrena in amaritudinem, omnia infima et creata in contemptum et oblivionem. Tu solus mihi ex hoc iam dulcescas usque in saeculum. Utinam me totaliter ex tua praesentia accendas, comburas, et in te transmutes, ut unus tecum efficiar spiritus per gratiam internae unionis et liquefactionem ardentis amoris! Operare, Domine, mecum misericorditer, sicut saepius operatus es cum sanctis tuis mirabiliter. O ignis semper ardens et nunquam deficiens! O amor corda purificans et intellectum illuminans!

Petitio pro aliis.

Intuere quoque, benignissime Iesu, pia desideria devotorum, necessitates parentum, amicorum, fratrum, sororum omniumque carorum meorum; et eorum, qui mihi vel aliis propter amorem tuum benefecerunt, et qui orationes et missas pro se suisque omnibus dici a me desideraverunt et petierunt, sive in carne adhuc vivant, sive iam saeculo defuncti sint: ut omnes sibi auxilium gratiae, opem consolationis, protectionem a periculis, liberationem a poenis advenire sentiant, et ut, ab omnibus malis erepti, gratias tibi magnificas laeti persolvant.

Offero etiam tibi preces et hostias placationis pro illis specialiter, qui me in aliquo laeserunt, contristaverunt aut vituperaverunt, vel aliquod damnum vel gravamen intulerunt; pro his quoque omnibus, quos aliquando contristavi, conturbavi, gravavi, scandalizavi, verbis, factis, scienter aut ignoranter:

Digitized by Google

ut nobis omnibus pariter indulgeas peccata nostra et mutuas offensiones.

Aufer, Domine, a cordibus nostris omnem suspicionem, indignationem, iram et disceptationem, et quidquid potest caritatem laedere et fraternam dilectionem minuere. Miserere, miserere, Domine, misericordiam tuam poscentibus; da gratiam indigentibus, et fac nos tales exsistere, ut simus digni gratia tua perfrui, et ad vitam proficiamus aeternam. Amen.

3. Tertia methodus pie communicandi.

Ante sacram Communionem oratio prima.

Gratias ago tibi, Domine Iesu Christe, pro ineffabili tua caritate, qua transiturus de hoc mundo ad Patrem mensam mihi parasti in dulcedine tua, mensam prorsus regalem, omne delectamentum in se habentem, mensam pretiosissimi Corporis et Sanguinis tui, ut adipe et pinguedine repleatur anima mea et secreto illapsu nutritionis tuae roboretur infirmitas mea. Et unde hoc mihi, gloriosissime Fili Dei, ut me permittas venire ad te, et cum ceteris commensalibus tuis epulari? Atque utinam ab omni culpa liber, purus ab omni labe, ab omni vitio purgatus et ab omni inordinata affectione perfecte emendatus essem, ut ad hanc mensam supercoelestem accedere possem fervens caritate, niveus innocentia et omnium virtutum decore exornatus. Sed quia miserrimus ego sum et omni ornamento destitutus, obsecro te imprimis, benignis-

Digitized by Google

sime Salvator, cuius caritas immensa est, ut Sanguine tuo animam meam lavare et super nivem dealbare, meritis tuis induere illoque igne ardentissimo succendere digneris, qui te a nobis discessurum compulit ad hoc vivificum convivium instituendum. Obsecro deinde beatissimam Virginem Matrem tuam et omnes electos tuos, ut tibi pro me offerant caritatem, fidem et devotionem, qua hoc Sacramentum susceperunt ab initio institutionis eius. Et quia particeps ego sum omnium timentium te, offero tibi omnium sacerdotum omniumque fidelium hac die celebrantium et communicantium pietatem et puritatem. Offero omnium iustorum ab origine mundi usque ad eius consummationem virtutes et merita ac pios affectus erga te, dulcissime Iesu, in venerabili Sacramento exsistentem: firmissimae nimirum fidei et vivae apprehensionis earum rerum, quae de hoc maximo mysterio credendae sunt; perfectissimae caritatis et intimae tecum familiaritatis; famis et flagrantissimi desiderii te, omne bonum, suscipiendi; filialis fiduciae et spei de tua misericordia tam mirabili modo declarata; zeli divinae gloriae et dilectionis proximi; admirationis tantae dignationis et profundissimae humilitatis; gaudii et iubili in te et de te; laudis, gratitudinis, adorationis ac devotionis. Hos, inquam, aliosque affectus offero tibi in supplementum insufficientiae meae, et eos, si possem, elicerem cum maxima intentione ad laudem et gloriam tuam, quia dignus es. Suscipe, Domine, hoc desiderium meum, meritisque placatus electorum

Digitized by Google

tuorum ne a mensa tua repellas me, quatenus hoc cibo satiatus ac recreatus vitam habeam et abundantius habeam, hic et in aeternum. Amen.

Oratio secunda.

Veni, Domine Iesu, unica salus animae meae, et infunde pectori meo multitudinem dulcedinis tuae, ut nihil amem, nihil desiderem praeter te. Veni, gaudium et felicitas mea, veni, spes et robur meum, quia tecum sunt divitiae et gloria, tu vita et consolatio mea, tu paradisus voluptatis. Atque utinam, te veniente ad me, vertantur mihi in amaritudinem omnes mundi deliciae, ut tibi unitus in hoc coelesti convivio a te nunquam separarer in aeternum. Frustra expenderem argentum meum in panibus et laborem meum in saturitate, licet omnes Aegypti escas compararem, si carerem hoc pane, qui praebet delicias regibus, et cuius suavitas in infinitum excedit omnia huius saeculi oblectamenta. Et unde mihi tantum bonum, ut tecum epulari merear, rex tremendae maiestatis, et ego indignissimus servus tuus, qui quotidie pecco et incorrigibilis persevero? Sed maior est in infinitum misericordia tua, quam miseria mea: et tu, dulcissima refectio mea, in virum alterum transforma me et verbo virtutis tuae sana omnes languores meos. Ad te igitur venio de tua pietate confisus, et in te sperans non confundar. Laetifica animam servi tui et supple, quod mihi deest, tu benignissime Salvator, qui omnes ad te vocare dignatus es, dicens: Venite ad me omnes, qui labo-

Digitized by Google

ratis et onerati estis, et ego reficiam vos. Refice me te ipso, quia in te sunt omnes coeli deliciae ex copiosissimo flumine gaudiorum Dei cum tanta plenitudine emanantes, ut omnes digne ad te accedentes inexplicabili laetitia repleri possint. Uni intime tecum animam meam et fac me dignum, ut huic mensae supercoelesti cum debito virtutum ornatu assideam et dulcedine perfruar praesentis Divinitatis. Amen.

Oratio tertia.

Veni, Sancte Spiritus, amor Patris et Filii, mundator scelerum, curator vulnerum, fortitudo fragilium, maerentium consolator, fulgor intellectus et vindex libertatis. Veni e patria felicitatis, et cordis mei penetralibus tam potenter illabere, ut vitia omnia et defectus tuo igne consumas, et omnia peccata mea remittas. Emitte in animam meam lucis tuae radium, quo illuminante intellectum, quae tibi sunt placita, videam, quo affectum inflammante ad ea prosequenda tota virtute incumbam. Fac me dignum sacrae coenae convivam meque torrente tuae voluptatis inebria, ut coelesti suavitate in hac divinissima mensa degustata, nihil venenatae mundi dulcedinis libeat amplius degustare. Roboretur infirmitas mea fortitudine tua, vincat bonitas tua malitiam meam, et deformitas mea tua pulchritudine decoretur. Sursum erige me per aeternorum affectionem, copula tecum per amoris unitatem, conserva per finalem perseverantiam, ut tuo ductu revolet anima mea ad te,

Digitized by Google

principium et finem suum, a quo nunquam separetur. Amen.

Post sacram Communionem oratio prima.

Amo te, Domine Iesu, iucunditas mea et requies mea, amo te, summum et unicum bonum meum, ex toto corde, ex tota mente, ex tota anima, ex totis viribus meis; et si tu vides me in hoc deficere, saltem desidero amare te; et si satis id non desidero, saltem opto id multum desiderare. Succende, Domine, igne tuo ardentissimo viscera mea, et quandoquidem nonnisi amorem petis a me, da quod iubes, et iube quod vis. Nisi enim dederis mihi velle et perficere, peribo utique in infirmitate mea. Sonet vox tua in auribus meis, vox illa dulcissima et efficacissima: Volo; nam si vis, potes me mundare et illuminare, potes me ad supremum amoris gradum elevare. Sicut voluisti pro me pati et mori, ita etiam velis, ut appareat in me fructus passionis et mortis tuae! Memento verbi tui servo tuo, in quo mihi spem dedisti; tu enim dixisti: Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in eo. O dulcissimum verbum: Tu in me et ego in te! O quantus amor: Tu in me vilissimo peccatore et ego in te, Deus meus, cuius maiestas incomprehensibilis est! Unum est mihi necessarium, et hoc solum quaero: in te vivere, in te quiescere, a te nunquam separari. Felix est, qui te quaerit; felicior, qui te possidet; felicissimus, qui in hac possessione perseverat et moritur. O dies infelices, quos turpiter transegi

Digitized by Google

diligens vanitatem et recedens a te! Et nunc, Domine, qui venisti in hunc mundum, ut peccatores salvos faceres, redime animam meam in sola fiducia miserationum tuarum respirantem, et aufer a me omnia amoris tui impedimenta. Procul sit a me omnis terrena delectatio; nihil sapiat mihi, nihil me alliciat, nisi tu. Vive et regna semper in me, fidelissime amator animae meae, in te enim sunt omnia bona: et iam deinceps paratus sum, omnia potius mala perpeti, quam ut unquam cessem amare te. O Corpus sacratissimum, quinque vulneribus sauciatum! pone te ut signaculum super cor meum et imprime illi caritatem tuam; obsigna pedes meos, ut sequar vestigia tua; obsigna manus, ut bona semper opera exerceam; obsigna latus, ut ferventissimos amoris tui actus proferam in aeternum. O Sanguis pretiosissime, qui omnem hominem abluis et purificas, lava animam meam et pone signum in faciem meam, ut nullum praeter te amatorem admittam. O dulcedo cordis mei et vita animae meae, sicut tu in Patre et Pater in te est, ita ego per gratiam tuam unus tecum sim amore et voluntate mihique mundus crucifixus sit et ego mundo. Amen.

Oratio secunda.

Gratias tibi ago, benignissime Deus, quod me vilissimum peccatorem admittere dignatus sis ad vivificum tuae mensae convivium. Et quis sum ego pulvis et cinis, ut apponeres erga me Cor tuum, inclinans coelos tuos et descendens, ut Sanguine

Digitized by Google

tuo purissimo sordes meas lavares et deficientem prae fame animam meam non manna de coelo, sed carne tua immaculata reficeres et satiares? Si coeli coelorum te capere non possunt, et Angeli non sunt mundi in conspectu tuo: quis ego sum et quae domus mea, ut ad me venire et in me commorari volueris? Quid in me invenisti, rex tremendae maiestatis, quod a templo gloriae tuae traheret te et descendere faceret in abyssum miseriarum? Vos Angeli sancti, vos omnes electi Dei, venite, audite et narrabo vobis, quanta fecit Deus animae meae: cum enim essem pauper et abominabilis, nec auderem oculos meos levare ad coelum prae multitudine iniquitatum mearum, ille me de pulvere suscitavit et erexit de stercore, ut sederem cum Principibus et de mensa eius comederem. Gratias illi agite ex me, vos amici mei fidelissimi; ego enim puer sum, non annis, sed sensu, et nescio loqui, nec verba invenio, quibus possim, ut par est, tam copiosum munus gratiae extollere et praedicare. Quis enim amor infinitae caritati eius a me reddi potest, qui frigus et gelu dici, non autem amor mereatur? Quae laus, quae adoratio, quale obsequium meum erit, quod nullum non reddat infinita eius perfectio et dignitas, et ima ac summa indignitas mea? Sed tu, Domine, miserator et clemens immensae bonitatis, tu nosti figmentum meum: ne despicias humillimam gratiarum actionem, quam tibi offero de paupertate mea, et sacrificium laudis meae honorificabit te. Tua est magnificentia, tua est gloria, et tibi laus in perpetuas aeternitates pro tam excelso

Digitized by Google

et incomparabili beneficio. Tibi laudes concinant, tibi mecum gratias agant universi populi, tribus et linguae, omnes Angeli et Sancti tui, quoniam misericordia tua magnificata est super me, et miserationes tuae super omnia opera tua. Iubilent tibi omnes creaturae, quaecumque coeli, terrae et abyssi ambitu continentur: laudem tibi perpetuam dicant, quae a te exeuntes, in te refluant, omnium rerum principium et finem. Iubilent tibi et gratias agant cor meum et anima mea, vires, sensus, potentiae et omnia membra corporis mei: tibique soli sit honor et gloria, a quo, per quem et in quo sunt omnia, qui es Deus benedictus et laudabilis in saecula saeculorum. Amen.

Oratio tertia.

Servus tuus sum, Domine Deus meus, et pro tributo servitutis meae aliquid tibi offerre vellem, quod Maiestate tua dignum et acceptabile foret; sed excedit omnem facultatem meam debitum meum, quia tantum tibi debeo, quanti tu vales, qui infinitus es. Et ex me quidem nihil possum, nihil sum: habeo tamen ex gratia tua donum praeclarissimum, quod nullo modo recusare potes: habeo dilectissimum Filium tuum, Dominum Iesum Christum, qui ita se mihi communicavit, ut ego in illo et ille in me sit. Quare verba Prophetae tui aptissime usurpabo et dicam: Benedic, anima mea, Domino, et omnia, quae intra me sunt, nomini sancto eius. Ipse enim Filius tuus digne pro me nomini tuo benedicet teque amabit et glorificabit.

Digitized by Google

Ipsum igitur offero tibi velut thymiama suavissimi odoris ad maximam tui gloriam et honorem; in gratiarum actionem pro universis beneficiis tuis; in remissionem peccatorum meorum et totius mundi; ad impetrandum mihi et omnibus, pro quibus oravi et orare debeo, omnia subsidia vitae temporalis et aeternae, et pro animabus omnium fidelium defunctorum. Suscipe, Domine, cum hac sacratissima oblatione animam meam et corpus meum, omnes vires et affectus meos, ut sim perpetuum holocaustum iugiter ardens Maiestatis tuae. Praesta, ut deinceps nec membra nec sensus nec potentias nec vitam habeam, nisi ut te amem et serviam tibi. Tu sapientia mea, tu lux mea es; tu fortitudo mea et robur meum. Doce me, illumina me, corrobora me, nt cognoscam et faciam voluntatem tuam. Offero me tibi in servum perpetuum, meque totum resigno in beneplacitum tuum, abiecta de me omni cura et sollicitudine. Quidquid mihi evenire permiseris, a divina manu tua amantissime suscipiam. In tempore et in aeternitate id volo, quod tu ab aeterno de me decrevisti, sive prosperum illud sit sive adversum. Vivat semper et regnet super me beneplacitum tuum, quod in omni verbo, actione, cogitatione et levissimo quoque motu implere desidero. Domine, ante te omne desiderium meum, et gemitus meus a te non est absconditus. Desunt enim mihi verba, quibus explicem affectum meum; sed proicio me in ardentissimam fornacem amoris tui, quo succensus ad me venire dignatus es et mansionem apud me facere. Succende me, Domine,

Digitized by Google

inflamma cor meum, viscera combure, ut iugiter tibi ardeam, in te vivam et in te moriar. Amen.

4. Actus brevissimi ad sacram Communionem.

Ante sumptionem.

Actus fidei.

Domine Iesu Christe, qui es sacerdos in aeternum quique dixisti: Caro mea vere est cibus, et Sanguis meus vere est potus, credo firmissime te in venerabili Sacramento praesentem esse, verum Deum et hominem, salvatorem et iudicem meum, et Maiestatem tuam supremam cum Angelis et Sanctis humillime adoro. Adauge mihi fidem!

Actus spei.

In te solo spem meam colloco, dulcissime Iesu, quia tu es salus et virtus mea, tu refugium et firmamentum meum, tu fons omnium bonorum. Qui nunquam deseris sperantes in te, miserere mei! Dic animae meae: Salus tua ego sum.

Actus caritatis.

O auctor omnis caritatis, amantissime Iesu, qui coelesti ductus amore animam posuisti pro me misero peccatore, et ineffabili benignitate te ipsum in hoc Sacramento dedisti escam animarum, amo te, Deus meus, et ut nunquam cessem amare te, tu ipse inflamma amorem meum.

Digitized by Google

Actus contritionis.

Ah, Domine, quantum doleo, quod te offenderim, summum bonum! Propitius esto mihi peccatori! Poenitet me peccasse; cupio emendare, quod feci. Per merita pretiosi Sanguinis tui aufer a me omnes iniquitates meas, ut purificatus mente et corpore digne valeam ad Sancta Sanctorum introire.

Actus desiderii et humilitatis.

Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Salvator meus. Veni, Domine, et noli tardare! Totus bonus et amabilis, veni in cor meum! Est, fateor, habitaculum te indignum, sed tu, Domine misericors et clemens, exornare illud donis coelestibus ne dedigneris. O ignis consumens, combure, quod tibi in me displicet! O manna coeleste, gustem te et nunquam esuriam. Amen.

In ipsa sumptione.

Sis, mi Iesu, benedictus, * Iterumque benedictus * Sis, mi Iesu, millies.

Quod sis factus cibus, potus, * Immo quod sis meus totus * Sub hac panis specie.

In te credo, in te spero, * Amo te corde sincero, * Amo, amo, amo te.

Me ad tuos sterno pedes, * Vulnerum adoro sedes, * Latus tuum osculor.

Quidquid vis, hoc ego volo, * Quidquid non vis, ego nolo: * Me tibi subicio.

Quidquid loquar, cogitabo, * Agam, patiar, amabo * Te, Deus, in omnibus. Amen.

Digitized by Google

Post sumptionem.

Actus fidei et adorationis.

Adoro te cultu humillimo et reverentia profundissima, Domine Deus, Filius aeterni Patris, qui descendisti in hanc pauperem animam meam. Credo, Domine, te corpore et anima residere in corde meo, ut me dites et bonis beatorum repleas. Sis benedictus in saecula!

Actus spei.

O unica salus animae meae, Salvator mundi, in te spero; tibi adhaerere, Deo, mihi bonum est, ponere in te, Dominum coeli et terrae, omnem spem meam. Sis pars et hereditas mea in aeternum!

Actus caritatis.

Diligam te, Domine, fortitudo mea; diligam te, Deus, ex toto corde meo, ex tota mente mea et ex omnibus viribus meis. Supplico te, fac me sentire potentem amoris tui affectum, et eius ardor inflammet animam meam, ut nihil me separet a caritate tua, qui infinito amore mei mortuus es. Sis meus, sim tuus, ut vivam in aeternum in possessione gloriae tuae.

Actus gratitudinis.

Millies sis benedictus, benignissime Deus, pro infinita tua in me gratia. Ex intimo cordis affectu gratias ago et precor, ut sanctissima Mater tua cum omnibus Angelis et Sanctis concelebrent miserationes tuas, quas cum ipsis cantabo in saecula.

Digitized by Google

Actus petitionis.

Operare, precor, Domine Deus, operare in me, propter quod venisti ad me; da mihi beatos coelestis huius unionis fructus, vivifica me vita divina, sanctifica corpus et animam meam in honorem et gloriam tuam. Totum me tibi resigno et trado, qui suprema Maiestate das velle, posse et perficere; da quod iubes, et iube quod vis, pro tempore et aeternitate. Amen.

5. Orationes variae ante et post sacram Communionem.

Ante Communionem.

Oratio S. Thomae Aquinatis.

Omnipotens sempiterne Deus, ecce accedo ad sacramentum Unigeniti Filii tui, Domini nostri Iesu Christi. Accedo tamquam infirmus ad medicum vitae, immundus ad fontem misericordiae, caecus ad lumen claritatis aeternae, pauper et egenus ad Dominum coeli et terrae.

Rogo ergo immensae largitatis tuae abundantiam, quatenus meam curare digneris infirmitatem, lavare foeditatem, illuminare caecitatem, ditare paupertatem, vestire nuditatem: ut panem Angelorum, Regem regum et Dominum dominantium tanta suscipiam reverentia et humilitate, tanta contritione et devotione, tanta puritate et fide, tali proposito et intentione, sicut expedit saluti animae meae.

Digitized by Google

Da mihi, quaeso, Dominici Corporis et Sanguinis non solum suscipere sacramentum, sed etiam rem et virtutem sacramenti.

O mitissime Deus, da mihi Corpus Unigeniti Filii tui, Domini nostri Iesu Christi, quod traxit de Virgine Maria, sic suscipere, ut corpori suo mystico merear incorporari et inter eius membra connumerari. O amantissime Pater, concede mihi dilectum Filium tuum, quem nunc velatum in via suscipere propono, revelata tandem facie perpetuo contemplari: qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus per omnia saecula saeculorum. Amen.

Oratio S. Ambrosii.

Rogo te, Domine Iesu, mundi salvator, per ipsum sacrosanctum et vivificum mysterium Corporis et Sanguinis tui, quo quotidie in ecclesia tua pascimur et potamur atque unius divinitatis participes efficimur, da mihi virtutes sanctas, quibus repletus bona conscientia ad altare tuum accedam, ita ut haec coelestia sacramenta efficiantur mihi salus et vita. Tu enim dixisti ore tuo sancto et benedicto: Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Qui manducat me, vivet propter me, ipse manet in me et ego in eo. Ego sum panis vivus, qui de coelo descendi. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum.

Panis dulcissime, sana palatum cordis mei, ut sentiam suavitatem amoris tui. Sana illud ab omni languore, ut nullam praeter te sentiat dulcedinem,

Digitized by Google

nullum praeter te quaerat amorem, nullam praeter te amet pulchritudinem.

Panis candidissime, habens omne delectamentum et omnem saporem, qui nos de te semper reficis, comedat te cor meum, et dulcedine saporis tui repleantur viscera animae meae.

Manducat te angelus pleno ore in patria: manducet te peregrinus homo pro modulo suo, ne deficere possit in via, tali recreatus viatico.

Panis sancte, panis vive, panis pulcher, panis munde, qui descendisti de coelo et das vitam mundo: veni in cor meum et munda me ab omni inquinamento carnis et spiritus. Intra in animam meam, sana et sanctifica me interius et exterius. Esto tutamentum et continua salus corporis et animae meae.

Repelle a me insidiantes mihi hostes: recedant procul a potentia praesentiae tuae, ut foris et intus munitus per te, recto tramite ad regnum tuum perveniam, ubi non in mysteriis, sicut in hoc tempore agitur, sed facie ad faciem te videbimus, cum tradideris regnum Deo Patri et Deus eris omnia in omnibus. Tunc enim me de te satiabis satietate mirifica, ita ut neque esuriam neque sitiam in aeternum.

Alia eiusdem S. Ambrosii precatio.

Ad mensam dulcissimi convivii tui, pie Domine Iesu Christe, ego peccator de propriis meritis nihil praesumens, sed de tua confidens misericordia et bonitate, accedere vereor et contremisco. Nam cor

Digitized by Google

et corpus habeo multis criminibus maculatum, mentem et linguam non caute custoditam.

Ergo, o pia Deitas, o tremenda Maiestas, ego miser inter angustias deprehensus, ad te fontem misericordiae recurro, ad te festino sanandus, sub tuam protectionem fugio, et quem iudicem sustinere nequeo, salvatorem habere suspiro.

Tibi, Domine, plagas meas ostendo; tibi verecunda mea detego; scio peccata mea multa et magna, pro quibus damnari timeo.

Confido misericordiis et miserationibus tuis, quarum non est numerus.

Respice ergo in me oculis misericordiae tuae, pie Domine Iesu Christe, Rex aeterne, Deus et homo, crucifixe propter hominem. Exaudi me sperantem in te; miserere mei pleni miseriis et peccatis, tu, qui fons miserationis nunquam manare cessas.

Salve salutaris victima, pro me et omni humano genere in patibulo Crucis oblata; salve nobilis et pretiose Sanguis, de vulneribus crucifixi Domini mei Iesu Christi profluens et peccata totius mundi abluens.

Recordare, Domine, creaturae tuae, quam tuo Sanguine redemisti. Poenitet me peccasse; cupio emendare, quod feci.

Aufer ergo a me, clementissime Pater, omnes iniquitates et peccata, ut purificatus mente et corpore digne degustare merear Sancta Sanctorum. Et concede, ut sancta praelibatio Corporis et Sanguinis tui, quam ego indignus sumere intendo, sit peccatorum meorum remissio, sit delictorum perfecta

Digitized by Google

purgatio bonorumque sensuum regeneratio, operumque tibi placentium salubris efficacia, animae quoque et corporis contra inimicorum meorum insidias firmissima tuitio. Amen.

Alia ad sacram Communionem precatio.

Domine Iesu Christe, unde hoc mihi beneficium, quod tu Angelorum Dominus et coelorum gloria, a quo et ad quem omnia, ad me vermem impurum venire et me totum in hoc Sacramento tecum unire dignaris?

O quanta contritione, quali lacrimarum fonte, timore et reverentia quamque perfecta cordis et corporis puritate hoc sublime mysterium mihi percipiendum est, in quo tua caro virginea sumitur, et divina humanis et summa imis ineffabili modo miscentur!

Benedictus, qui venis in nomine Domini ad alendos pauperes ac pascendas oves in hoc deserto, et cui deliciae sunt, esse cum filiis hominum.

O bonitatem immensam, quod non modo iustos, sed etiam peccatores ad mensam tuam divinam invitas, nec solum sanos, sed etiam aegros huius efficacissimae medicinae participes reddis!

Peto et obsecro, piissime Domine et Salvator mundi, ut proprios huius Sacramenti fructus mihi largiens peccata praeterita deleas, a futuris praeserves, affectus ac motus vitiosos exstinguas, intellectum illustres, virtutes infundas ac augeas, adversus hostes ac tentationes robores, animi et corporis remedium praebeas, in vita et morte

Digitized by Google

auxiliaturus accedas, ac me denique mirabiliter in te transformes, ut unus tecum spiritus effici ac manere possim.

Nulla, quaeso, peccati haereat in me macula, quem tam augusto et salutari Sacramento reficies, quod contra peccatorum omnium venena praestantissimum est antidotum omnisque virtutis et gratiae copiam recte accedenti subministrat.

In ipso ad sacram Communionem accessu.

Domine, non sum dignus, ut sub tectum meum intres et in me velut sordido stabulo habites ac requiescas. Quoniam vero in hoc Sacramento Deus et homo manes absconditus, et sub specie panis a peccatoribus etiam infirmis tangi et manducari voluisti, propitius esto mihi, qui ad mensam tuam invitatus licet indignus accedo et eum sentire fructum desidero, de quo ipse dixisti: Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in eo; qui manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum.

Esto igitur mihi panis, qui dat vitam mundo et in hac vita peregrinantes sustinet et omne bonum egentibus praestat. Sit mihi Corporis et Sanguinis tui sumptio tam salutaris et efficax, ut cor meum in amore tuo hoc pane sanctissimo reficiatur, atque in omni gratia mihi necessaria confirmetur.

O Iesu, manna dulcissimum, me famelicum pasce. Tu panis de coelo descendens et mundo vitam praestans, in me mortem promerente vitam operare.

Digitized by Google

In periculis, in tenebris, in afflictionibus versor: tu laborantem ut promisisti excipe, et domum meam, sicut Zachaei, qui te gaudens excepit, visita cum nova benedictione, ut totus renovatus, tecum coniunctissime vivam, qui mihi omnia in omnibus esse amantissime decrevisti. En tu mihi et ego tibi; mane in me semper, Iesu dulcissime, spes, fortitudo et salus mea sempiterna. Amen.

Post Communionem.

Oratio S. Thomae.

Gratias tibi ago, Domine sancte, Pater omnipotens et aeterne Deus, qui me indignum famulum tuum, nullis meis meritis exigentibus, sed sola dignatione misericordiae tuae, satiare dignatus es pretioso Corpore et Sanguine Filii tui Domini nostri Iesu Christi. Te deprecor, ut haec sancta Communio non sit mihi reatus ad poenam, sed intercessio salutaris ad veniam; sit mihi armatura fidei et scutum bonae voluntatis. Sit vitiorum meorum evacuatio, concupiscentiae ac libidinis exterminatio: caritatis, patientiae, humilitatis, oboedientiae omniumque virtutum augmentatio, contra insidias inimicorum tam visibilium quam invisibilium firma defensio, motuum meorum tam carnalium quam spiritualium perfecta quietatio, in te uno ac vero Deo firma adhaesio atque finis mei felix consummatio. Et precor te, ut ad illud ineffabile convivium me peccatorem perducere digneris, ubi tu ipse es cum Filio tuo et Spiritu Sancto Sanctis tuis

Digitized by Google

lux vera, satietas plena, gaudium sempiternum, iucunditas consummata et felicitas perfecta.

Alia precatio post sacram Communionem.

Domine Iesu Christe, Deus meus, redemptor meus et salvator meus, cui totus Angelorum exercitus non sine timore ministrat, quas tibi laudes et gratiarum actiones offeram, quod me vilissimum maximumque peccatorem per te ipsum hodie visitare, consolari et alere dignatus es, cum in hostia consecrata, quam sumpsi, tu ipse totus cum carne, sanguine, anima et divinitate verissime continearis?

Benedictus tuus in carnem adventus, benedicta tua in cruce cruenta pro nobis oblatio, benedictus tuus erga nos amor, in hoc Sacramento instituendo et relinquendo incredibilis, ut eo ipso Angelorum pane animae nostrae in hoc exsilio alantur atque recreentur, tuque verus Emmanuel nobiscum usque ad consummationem saeculi tam suaviter quam veraciter perseveres.

Benedic, Domine, domum servi tui, ea removens, quae oculos tuos offendunt, et quae sunt deperdita restaurans novamque habitationem tibi gratam in me construens ex tuis meritis atque virtutibus infinitis. Concede mihi flagrantem amorem, quo te caste, sicut lectissimum animae meae sponsum, semper prosequar atque complectar. Concede spiritum oboedientiae, reverentiae et confidentiae, ut in omnibus angustiis meis atque periculis ad te, tamquam filius ad patrem, cito recurram. Concede in cultu tuo versari fortiter, ablegatis et exstinctis

Digitized by Google

cupiditatibus malis, ut hostium tentationes, desideria mala et peccatorum occasiones me non impediant, quo minus secundum spiritum tuum vitam instituam meam tibique serviam fideliter, cui me totum debeo. Tu solus mihi pax, gaudium et consolatio esse digneris; tu totus in me maneas, et ego nunquam a tua gratia me disiungam, sed in te spiritualiter transformer, tibi semper adhaeream, qui nobis factus es via, veritas et vita, in quo demum solo salus et resurrectio nostra. Tibi Cherubim et Seraphim, immo Sancti omnes laudem et gloriam concinant sempiternam.

Oratio S. Bonaventurae post Communionem.

Transfige, dulcissime Domine Iesu, medullas et viscera animae meae suavissimo ac saluberrimo amoris tui vulnere, vera serenaque et apostolica, sanctissima caritate, ut langueat et liquefiat anima mea solo semper amore et desiderio tui. Te concupiscat et deficiat in atria tua: cupiat dissolvi et esse tecum. Da, ut anima mea te esuriat panem Angelorum, refectionem animarum sanctarum, panem nostrum quotidianum supersubstantialem, habentem omnem dulcedinem et saporem et omne delectamentum suavitatis. Te, in quem desiderant Angeli prospicere, semper esuriat et comedat cor meum: et dulcedine saporis tui repleantur viscera animae meae. Te semper mens sitiat fontem vitae, fontem sapientiae et scientiae, fontem aeterni luminis, torrentem voluptatis, ubertatem domus Dei. Te semper ambiat, te quaerat, te inveniat, ad te tendat, ad te

Digitized by Google

perveniat, te meditetur, te loquatur et omnia operetur in laudem et gloriam nominis tui cum humilitate et discretione, cum dilectione et delectatione, cum facilitate et affectu, cum perseverantia usque in finem. Tu sis solus semper spes mea, tota fiducia mea, divitiae meae, delectatio mea, iucunditas mea, gaudium meum, quies et tranquillitas mea, pax mea, suavitas mea, odor meus, dulcedo mea, cibus meus, refectio mea, refugium meum, auxilium meum, sapientia mea, portio mea, possessio mea et thesaurus meus, in quo fixa et firma et immobiliter radicata semper sit mens mea et cor meum. Amen.

Alia post Communionem precatio.

Ineffabilem misericordiam tuam, Domine Iesu Christe, suppliciter oro, ut quod indignus suscepi Corporis et Sanguinis tui sacramentum, quo nihil admirabilius, excellentius, fructuosius, mihi sit purgatio scelerum, fortitudo fragilium, contra mundi pericula firmamentum: sit impetratio veniae, stabilimentum gratiae et medicina vitae: sit memoria tuae passionis, sit contra debilitatem fomentum, sit viaticum meae peregrinationis. Euntem me conducat, errantem reducat, revertentem suscipiat, titubantem teneat, cadentem erigat meque perseverantem demum in gloriam tuam laete introducat.

Ad haec, altissime Deus, Corporis et Sanguinis tui praesentia beatissima cordis mei palatum sic immutet, ut praeter te nullam unquam sentiat dulcedinem, nullam amet pulchritudinem, nullum

Digitized by Google

illicitum quaerat amorem, nullam desideret consolationem, nullam admittat delectationem, nullum curet honorem, nullam timeat adversitatem, sed me totum tibi uniat et in gratia tua conservet, donec ad te veniam, ac unus efficiar spiritus tecum in saecula saeculorum. Amen.

Hymnus pro gratiarum actione.

1. Ad quem diu suspiravi, * Iesum tandem habeo, * Hunc amplector, quem optavi, * Quem optavi, teneo! * Omnes meae exsultate * Facultates animae, * Exsultate, triumphate * Et ingresso plaudite!

2. Tristis eram et abiectus, * Eram sine gaudio, * Quia aberat dilectus, * Quem prae cunctis diligo; * Sed ut venit et intravit * Animae tugurium, * O quam dulce permeavit * Meum cor solacium!

3. Non sic terras umbris tectas * Gratus sol illuminat, * Non sic aestibus deiectas * Nimbus herbas recreat, * Sicut animam languentem * Refocillat Dominus, * Hanc tristantem et torpentem * Novis donat viribus.

4. Felix dies, felix hora, * Qua me, Iesu, visitas, * Pulchra nimis et decora * Lux, ad me qua properas. * Qui te tenet, habet satis, * Quia, qui te possidet, * Uberem felicitatis * Verae fontem obtinet.

5. Quis non tuam admiretur * Bonitatem, Domine, * Si, quod facis meditetur * Serio examine! *

Digitized by Google

Ad te ruo, ad me ruis * Et me sinis protinus * Immiscere meos tuis * Amplexus amplexibus.

6. Nihil eram, me creasti * Ex obscuro nihilo * Divinaeque me donasti * Rationis radio; * Pro me nasci voluisti * In deserto stabulo, * Et finire morte tristi * Vitam in patibulo.

7. Praeter dona, quibus ditas * Me diebus singulis, * Dapes hodie mellitas * Datis addis gratiis. * O voluptas cordis mei, * Iesu dilectissime, In me regna, Fili Dei, * Regna, regna libere!

8. In me proprium amorem * Tam potenter eneces, * Ut te amem et adorem * Solum, sicut dignus es; * In me tolle, quod est puris * Grave tuis oculis, * Ut sic arctius venturis * Tibi iungar saeculis.

9. Oriente sole mane, * Occidente vespera, * Bone Iesu, mecum mane, * Mecum semper habita! * Nil a te, nec mors nec vita, * Nil a te me separet; * Unio sit infinita, * Quam vis nulla terminet.

10. Canam donec respirabo * Gratiarum cantica, * Millies haec iterabo * In coelesti patria, * Quando te, remoto velo, * Sicut es, aspiciam, * Et cum Angelis in coelo * In aeternum diligam. Amen.

Oratio Clementis XI pro impetrandis virtutibus.

Credo, Domine, sed credam firmius; spero, Domine, sed sperem securius; amo, Domine, sed amem ardentius; doleo, Domine, sed doleam vehementius.

Adoro te ut primum principium; desidero te ut finem ultimum; laudo te ut benefactorem perpetuum; invoco te ut defensorem propitium.

Digitized by Google

Tua me sapientia dirige, iustitia contine, clementia solare, potentia protege.

Offero tibi, Deus, cogitanda, ut sint ad te; dicenda, ut sint de te; facienda, ut sint secundum te; ferenda, ut sint propter te.

Volo, quidquid vis; volo, quia vis; volo, quomodo vis; volo, quamdiu vis.

Oro, Domine, ut intellectum illumines, voluntatem inflammes, corpus emundes, animam sanctifices.

A superbia non inficiar, adulatione non afficiar, a mundo non decipiar, a satana non circumveniar.

Gratiam praesta memoriam purgandi, linguam fraenandi, oculos cohibendi, sensus coërcendi.

Defleam praeteritas iniquitates, repellam futuras tentationes, corrigam vitiosas propensiones, excolam idoneas virtutes.

Tribue mihi, bone Deus, amorem tui, odium mei, zelum proximi, contemptum saeculi.

Studeam superioribus oboedire, inferioribus subvenire, amicis consulere, nemini invidere.

Meminerim, o Iesu, mandati tui et exempli, inimicos diligendo, iniurias sufferendo, persequentibus benefaciendo, pro calumniatoribus orando.

Vincam voluptatem austeritate, iracundiam lenitate, tepiditatem pietate.

Redde me prudentem in consiliis, constantem in periculis, patientem in adversis, humilem in prosperis.

Fac, ut sim in oratione attentus, in epulis sobrius, in munere sedulus, in proposito firmus.

Digitized by Google

Curem habere sanctitatem interiorem, modestiam exteriorem, conversationem exemplarem, vitam regularem. Naturae invigilem domandae, gratiae fovendae, legi servandae, saluti promerendae.

Sanctimoniam assequar sincera peccatorum confessione, fervida Corporis Christi communione, continua mentis recollectione.

Discam a te, Deus, quam tenue, quod terrenum; quam grande, quod divinum; quam breve, quod temporaneum: quam durabile, quod aeternum.

Da mortem praeveniam, iudicium pertimeam, infernum effugiam, paradisum obtineam. Amen.

Postrema precatio ad Matrem Domini benedictam.

Commendo me tibi, serenissima vereque inclyta virgo Maria, coeli ac terrae regina, quae in tuo sacratissimo utero eundem Dominum et omnium creatorem, quem ego modo suscepi, de Spiritu Sancto conceptum digne portasti.

Precor te, Matrem Dei sanctissimam, ut pro me apud eundem Filium tuum intercedas, et quacumque ratione in summi Sacramenti huius sumptione deliqui, huius neglegentiae et indignitatis meae veniam impetres.

Tu semper casta, pura, innocens, post conceptum Filium etiam castior, purior et sanctior Deoque gratior evasisti. Utinam et ego tam divi Sacramenti perceptione ita sanctificer, ut deinceps cor et corpus meum ab omni letalis peccati macula tuear impollutum.

Digitized by Google

Tu concepto Filio de Spiritu Sancto, magnificas laudes Domino laete decantasti et in Deo salutari tuo mirabiliter exsultasti.

O si tuis efficacibus precibus id assequar, Virgo Mater, ut cum hac sacra communione novum et ardentem spiritum coniungam, ac semper in gratiarum actione pia verser tantoque redemptori et hospiti me nunquam ingratum, sed fidum in omnibus ministrum ostendam. Amen.

Alias orationes in honorem Domini et Sanctorum, ad impetrandas virtutes vel pro diversis ordinibus, vide, si tempus superest, in Parte VII et VIII.

Ad lucrandam indulgentiam plenariam.

Oratio coram imagine Crucifixi [1].



En ego, o bone et dulcissime Iesu, ante conspectum tuum genibus me provolvo ac maximo animi ardore te oro atque obtestor, ut meum in cor vividos fidei, spei et caritatis sensus, atque veram peccatorum meorum poenitentiam eaque emendandi firmissimam voluntatem velis imprimere, dum magno animi affectu et dolore tua quinque vulnera mecum ipse considero, ac mente contemplor, illud prae oculis habens, quod iam in ore ponebat tuo David Propheta de te, o bone Iesu: „Foderunt manus meas et pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa mea“ (Ps 21).

[1] Ind. plenaria (Pius IX).

Digitized by Google

Preces ad mentem Ecclesiae pro lucrandis indulgentiis.

Oratio praeparatoria.

Omnipotens, sempiterne Deus, cuius misericordia peccatis omnibus aeternaeque damnationis reatu me absolutum confido, quamvis temporalibus poenis obnoxius permaneam; cum vero his diluendis opera mea non sufficiant, ad inexhaustum meritorum unigeniti Filii tui, Domini nostri Iesu Christi, Sanctorumque thesaurum confugio, ut huius abundantia tenuitati et indigentiae meae subveniatur. Promptum me ad omnia, quae hunc in finem praestanda sunt, offero. Suscipe ea, o Pater misericordiarum, in unione passionis et mortis eiusdem Filii tui, et huius indulgentiae me licet indignum fac participem. Amen.

Pater noster etc.

Oratio ad Deum Patrem pro exaltatione s. matris Ecclesiae.

Memento, o Pater aeterne, congregationis tuae, quam possedisti ab initio. Agnosce Ecclesiam velut sponsam unigeniti Filii tui, pro qua ipse sanguinem suum profundere non dubitavit. Hanc, obsecro, sanctitatis decore, gratiarum opibus, hereditatis amplitudine ita exalta, ut digna compareat tali sponso tantoque redemptionis pretio. Respice benigne eiusdem sanctae matris filios eorumque numero universas gentes associa, ut omnes te, Deum Patrem, et quem misisti, Iesum Christum, una cum

Digitized by Google

Spiritu Sancto fide viva agnoscant, spe firma invocent et caritate perfecta complectantur. Amen.

Pater noster etc.

℣. Vide, Domine, et visita vineam istam.

℟. Et perfice eam, quam plantavit dextera tua.

Oremus.

Respice, quaesumus Domine, super hanc familiam tuam, pro qua Dominus noster Iesus Christus non dubitavit manibus tradi nocentium et crucis subire tormentum. Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus per omnia saecula saeculorum. Amen.

Oratio ad Deum Filium pro exstirpatione haeresum.

O Iesu, lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum: fac, oro, per inaestimabilem passionis et mortis tuae virtutem, ut pulsis haeresum et errorum tenebris veritatis tuae lumen omnes amplectantur et in optatum Ecclesiae tuae gremium confluant. O Pastor bone, qui animam tuam pro ovibus tuis posuisti, gregem tuum protege et contra vim insidiasque eorum defende, qui veniunt in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. Fac, ut unum omnes pastorem admittant et unum omnium sit ovile. Mane nobiscum, Domine, quoniam dixisti: „Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi.“ Ostende Ecclesiam tuam aedificatam esse super petram et portas inferi non praevalere adversus eam. Amen.

Digitized by Google

Pater noster etc.

℣. Ne tradas bestiis animas confitentes tibi.

℟. Et animas pauperum tuorum ne obliviscaris in finem.

Oremus.

Ecclesiae tuae, quaesumus Domine, preces placatus admitte, ut destructis adversitatibus et erroribus universis secura tibi serviat libertate. Per Dominum nostrum etc.

Oratio ad Spiritum Sanctum pro concordia christianorum principum.

O Sancte Spiritus, spiritus amoris et pacis, qui tot tamque diversas gentes in unitate fidei congregasti, largire christianis principibus eorumque consiliariis abundantiam tuae gratiae, novoque caritatis mandato, quod Iesus abiens ex hoc mundo discipulis suis dedit, eorum corda imbue, ut ex hoc omnes cognoscant eos in numero filiorum Dei censendos et christiano nomine dignos esse. Fac, ne ulla unquam cupiditate adducti quidquam moliantur, quod divinae tuae gloriae concordiaeque Ecclesiae adversetur, sed unitis potius viribus ad pacis aeternae visionem, ad coelestem Ierusalem populum sibi subiectum una secum perducere nitantur. Amen.

Pater noster etc.

℣. Fiat pax in virtute tua.

℟. Et abundantia in turribus tuis.

Digitized by Google

Oremus.

Deus, a quo sancta desideria, recta consilia et iusta sunt opera: da servis tuis illam, quam mundus dare non potest pacem, ut et corda nostra mandatis tuis dedita et hostium sublata formidine tempora sint tua protectione tranquilla. Per Dominum nostrum etc.

Divinum auxilium maneat semper nobiscum. Amen.

Digitized by Google

Pars VI.

Meditationes[1].

De Dei aeternitate.

1. Aeternus Deus et immutabilis *a)* principio caret et fine durationis. Cogita millies mille annos retro et in futurum — semper Deus erat et erit; *b)* immo nunquam *erat* nec *erit,* sed semper *est,* quia nec quidquam in eo praeterit nec quidquam accedit, nil perfectionis acquirere, nil amittere potest, omni caret successione et mutatione; sed *c)* quod est, habet, cogitat, vult, id est, habet, vult, cogitat ab aeterno; quia *d)* totam vitam perfectissime simul possidet et complectitur in uno momento, in uno (ut ita dicam) „Nunc", quod nunquam incipit vel praeterit, sed aeternaliter manet. 2. Quare *a)* in Deo confide, non in rebus terrenis vel hominibus. Ista enim cuncta mutantur, transeunt, fallunt, adiuvare vere nequeunt; Deus vero semper idem manens semper iuvare et salvare te potest. *b)* In Deo quaere felicitatem, non in rebus transitoriis. Nam istae nec veram nec manentem, multo minus aeternam possunt largiri beatitudinem; et quid iuvaret, si paucos dies esses felix, in aeternum postea miser futurus? *c)* Deum time, non homines. Isti siquidem Deo permittente pauca breviaque

---

[1] Excerptae ex libro cui titulus „Manna quotidianum sacerdotum", auctore *Jac. Schmitt.*

Digitized by Google

mala tibi possunt inferre, quae vera mala non sunt; Deus vero puniet te malis summis et sine fine duraturis. *d)* Imitare Dei immutabilitatem per constantiam in tuis propositis, exercitationibus, operibus coeptis et per firmissimam voluntatem, nunquam recedendi a Dei amore et mandatis.

De Dei omniscientia.

1. Deus omniscius, quia in se et per se unico actu, aeternaliter et perfectissime cognoscit *a)* se ipsum in tota immensitate ac plenitudine suae essentiae et perfectionis; *b)* omnia ullo modo possibilia; *c)* cuncta, quae unquam fuerunt, sunt et erunt; *d)* imprimis omnes actus liberos creaturarum (etiam actus mere internos, cogitationes, desideria etc.) praeteritos, praesentes, futuros, et abditissimas quasque conscientiae latebras, „profundum abyssi et hominum corda in absconditas partes“ (Eccli 23, 28). 2. Quia ergo Deus te et intimas cogitationes et actus tuos, qui homines penitus latent, perscrutatur: *a)* plus cura de Dei iudicio, quam de iudiciis hominum. *b)* Esto humilis nec sine timore, etsi a superioribus, confratribus et exteris lauderis. *c)* Nunquam mali quidquam cogita, desidera, perpetra, licet certus tibi videaris, neminem hominum, imprimis nec superiores in illius notitiam perventuros. *d)* Remane tranquillus et consolare, licet multi te ignorent, perperam de te iudicent, immo te calumnientur. *e)* Omnes actus, labores, functiones exerce, quasi sub oculis Dei. *f)* Purissimam semper habere satage intentionem.

De Dei omnipraesentia.

Deus immensus, ubique praesens 1. per substantiam. Nam Deus trinus totus, cum omnibus divinis perfectionibus, est in quovis loco reali vel possibili, est super quemvis locum, est in te ipso — admirare hanc immen-

Digitized by Google

sitatem, in omni loco reverere Deum praesentem et adora, esto et tu totus in Deo coram eo ambulans, ad eius servitium paratus eique totus dicatus. 2. Per scientiam. Nam omnia perfectissime cognoscit in mundo, in cordibus angelorum hominumque, in mente tua — cave ergo etiam in locis abditissimis atque in corde tuo ab eis, quae ipsius oculis displicent, officia tua imple, bonis actibus insta, licet a nullo homine videaris, lauderis, remunereris. 3. Per potentiam, quia omnibus dat esse, vitam, vires cunctaque habet absolute subdita voluntati suae — quare consolare in afflictionibus, angustiis etc.; noli timere pericula ac homines, qui sine Dei voluntate nil tibi possunt nocere; time eum, in cuius potestate semper et ubique versaris; noli confidere in hominibus, sed in omnipotenti omnipraesentis Dei praesidio.

De conformitate cum voluntate divina.

Perfecta resignatio et conformitas cum voluntate Dei 1. iustissima est et aequissima. *a)* Cunctae creaturae voluntati divinae se subiciunt; *b)* a Deo habemus cuncta, etiam voluntatem nostram — ergo ea uti debemus secundum voluntatem Dei; *c)* ad hoc creati sumus. 2. Ratio et compendium christianae perfectionis. Nam *a)* voluntas divina est perfectissima et sanctissima; si ergo ei conformamur, ipsi perfecti et sancti erimus. *b)* Perfectio in dilectione Dei et amicitia cum eo consistit. Iam vero dilectio probatur traditione nostri, h. e. nostrae voluntatis ad Deum; et „eadem velle et nolle, haec firma amicitia est“ (Hieron.). *c)* Perfectus est, qui Christo assimilatur. Christus autem plenissime se suamque voluntatem subiecit et conformavit voluntati Patris (Io 4, 34; 6, 38. Mt 26, 39). *d)* Qui voluntati divinae conformatur, fugit, quae Deus odit, facit et patitur, quae Deus vult. Ergo mandata observat, peccata fugit, virtutes cunctas exercet.

Digitized by Google

3. Veram affert quietem, pacem et felicitatem. *a)* Mala temporalia non conturbant, quia non ut mala accipiuntur, sed ut immissiones caritatis divinae, ut particulae crucis Christi et pignora futurae gloriae (Prv 12, 21. Rom 8, 17 sq 28). *b)* Aliud nolumus, nisi quod Deus vult; quod Deus vult, semper fit; ergo semper habemus, quod volumus. *c)* Vera felicitas non est „esca et potus, sed iustitia et pax et gaudium in Spiritu Sancto" (Rom 14, 17), id quod plena conformitate cum voluntate divina assequimur.

De fide.

Fidem debemus 1. diligentissime servare et custodire. *a)* Est enim thesaurus pretiosissimus, siquidem radix et fundamentum est omnis verae iustitiae, Dei notitiam nobis communicat, de maximis et gravissimis quaestionibus securissimam praebet instructionem, tutissimam exhibet agendi normam, roborat in tentationibus, consolatur in tribulationibus, Deo nos coniungit eiusque gratiae nos reddit participes, tot tantaque subministrat gaudia, viam ad coelum recludit. *b)* Quare anxie vitemus et arceamus, quae hunc thesaurum nobis possint eripere, ut lectionem librorum fidei infensorum, falsi nominis scientiam, conversationem cum fidei hostibus, superbiam sensuumque illecebras. 2. Nutrire, augere, exercere *a)* sacrae studendo scientiae; *b)* quotidie de fidei veritatibus meditando; *c)* actus fidei frequenter et fervide eliciendo. 3. Confiteri *a)* verbo, dum aperte eam profitemur, nunquam eius nos pudet, modeste, sed firmiter eam defendimus; *b)* facto, dum ad eius normam vitam nostram componimus.

Deus super omnia diligendus.

Diligis Deum 1. ex tota mente (intellectu), *a)* si per fidem intellectum plene Dei veracitati subicis; *b)* si

Digitized by Google

quam saepissime Deum recogitas; *c)* si eius perfectiones, beneficia, mandata studendo et meditando plenius in dies cognoscere satagis. 2. Ex tota anima (affectu), *a)* si gaudes de Deo, eius perfectione, beatitudine, honore, cultu — gaudia peccaminosa excludis — gaudia bona vel indifferentia ad Deum refers eique in acceptis habes; *b)* si doles de Dei offensionibus aliosque dolores propter Deum libenter toleras; *c)* si Dei honorem animarumque salutem ferventer desideras. 3. Ex toto corde, *a)* si cor studiumque tuum integre Deo consecras, ita ut nullam partem diabolo peccatoque concedas; *b)* si Deum plus diligis, quam cunctas creaturas, eique soli studes placere; *c)* si cuncta praeter Deum diligis propter eum et in eo. 4. Ex tota fortitudine (ex omnibus viribus), *a)* si omnes vires intendis, ut Dei voluntatem perficias; *b)* si labores tribulationesque pro Deo minime declinas; *c)* si te ipsum, possessiones tuas etc. libenter pro Dei honore impendis.

De incarnatione.

In incarnationis mysterio 1. Dei Filius *a)* Patri aequalis in maiestate, scientia, potentia — factus est homo, non angelus, immo parvulus inopsque infans; *b)* ut nos homines viles et ad statum bestiarum pene prolapsi — fieremus filii Dei, eius vitam participantes, similitudinem gerentes, heredes. 2. Dives, *a)* cuius est orbis et plenitudo eius, nullius egens, omnia in se habens — factus est pauper, nudus infans, pannis vestitus, in praesepi positus; *b)* ut nos pauperes, debitis onusti, diaboli mancipia, omni bono carentes — fieremus divites thesauro meritorum Christi, gratiae divitiis, facultate merendi. 3. Sanctus *a)* purissimus, omnibus perfectionibus plenissimus — factus est peccator quoad similitudinem, suspicionem, poenas; *b)* ut nos peccatores, tot tantisque facinoribus maculati — fieremus sancti, a peccatis liberi,

Digitized by Google

virtutibus ornati, Dei sanctitatem adumbrantes. 4. Beatus, *a)* sibi ipse sufficiens, infinito redundans gaudio — factus est homo dolorum, a praesepi usque ad crucem eum obruentium; *b)* ut nos homines dolorum, tot miseriis, angoribus, passionibus pressi — fieremus beati, hîc per pacem Deique dilectionem, illic per divinae beatitudinis participationem.

Nomen Iesu.

Nomen Iesu est nomen 1. plenum maiestate. *a)* Considera eius originem — a Patre est electum, ab angelo nuntiatum, a Maria et Ioseph impositum; significationem — commonefacit nos divinae maiestatis ac sanctitatis, peccati foeditatis, satisfactionis pro eo requisitae; gestatorem — qui est Dei Filius, Sanctus Sanctorum, Salvator mundi. *b)* Ideo est venerandum scl. cavendum ab eius abusu, semper reverenter ac devote pronuntiandum. 2. Plenum caritate et dulcedine. *a)* Commonefacit nos immensae, quam Deus nobis exhibuit, dilectionis; cunctorum, quae Iesus pro nobis fecit ac passus est; immensorum malorum, quibus nos eripuit, bonorum, quae nobis acquisivit. *b)* Ideo amandum, saepe scl. in memoriam revocandum, meditatione perscrutandum, in eo omnia opera inchoanda, prosequenda, perficienda. 3. Plenum potestate. *a)* Mirum valet in cor Patris, in hominum animos, contra daemones, innumeraque in eo sunt patrata miracula. *b)* Ideo invocandum in orationibus, in periculis ac tentationibus, in ultimo agone.

Christus pastor noster.

1. Christus est pastor noster, qui *a)* pascit nos doctrina, qua coelestia nobis aperit mysteria viamque ostendit; exemplo, quo doctrinam suam illustrat et in via ad coelum nos praecedit; gratia, qua ad ambulandum hanc viam nos

Digitized by Google

allicit et confortat; corpore suo, quo animam nostram nutrit. *b)* Defendit nos per praesentiam et custodiam, cum ubique et specialiter in Ss. Sacramento nobis adest, nos intuetur, lumen viresque nobis suggerit, inimicos arcet ac comprimit; per orationem, cum semper pro nobis interpellat, imprimis in missae sacrificio; per ministerium vicariorum suorum. *c)* Quaerit nos, si erravimus, sustinet scl. peccantes, luget, vocat perditos, benigne recipit, immo reportat revertentes. 2. Ergo *a)* simus oves, imitantes ovilem innocentiam, mansuetudinem, patientiam. *b)* Simus oves eius, dum eius vocem audimus, doctrinam et exemplum meditamur, sequimur, in quovis periculo ad eum confugimus, eius auxilium imploramus eique cooperamur, carne sua dignissime vescimur et, si ab eo per peccatum discessimus, quam celerrime revertimur et eo arctius ei inhaeremus.

De humilitate Domini.

1. Considera Christi humilitatem, qui *a)* excellentiam suam abscondit, omnipotentiam scl., dum apparet ut infans imbecillis — omniscientiam, dum interrogat doctores — sanctitatem, dum apparet sub specie peccatoris, circumciditur, baptizatur — divinitatem simulque humanitatem in Ss. Sacramento. *b)* Amat et quaerit latere et contemni. Vide, quid ad hunc finem fieri de se sinat: tractari se patitur ut filium Ioseph, subditum, mendicum, peccatorem, ut rem inanimem in sacramento; et quid ipse faciat: fugit, ubi rex est proclamandus, prohibet publicari miracula sua, eligit parentes pauperes, contemptam civitatem, pauperem et laboriosam vitae rationem, mortem ignominiosam. 2. Imitare hanc humilitatem, dum *a)* abscondis, quae gloriam vel potius vanitatem tuam possent augere, scl. gratias acceptas, scientiam, res bene gestas, successus in pastoratione; *b)* nunquam sine

Digitized by Google

necessitate de te loqueris, modeste taces aliosque sinis loqui; *c)* non quaeris, immo fugis loca honorifica, functiones laudem conciliantes; *d)* quiete libenterque sustines humiliationes a Deo immissas vel ab hominibus irrogatas.

De mansuetudine Domini.

1. Considera, admirare, imitare mansuetudinem Christi, qui *a)* benigne suaviterque conversabatur cum cunctis, etiam vilibus, rudibus, contemptis, parvulis, peccatoribus, neminemque a se arcebat aut repudiabat, immo pauperes, contemptos etc. alliciebat, ad se vocabat; *b)* miti aequoque (non irato) animo hilarique ac sereno vultu tolerabat aliorum defectus, importunitatem, molestias; *c)* conviciis, ludibriis, iniuriis, contumeliis non exacerbabatur, non deterrebatur a laboribus pastoralibus et beneficiis impendendis, non convicia pro conviciis etc. rependebat, sed patienter talia ferebat. 2. Imitando hanc mansuetudinem *a)* Christo similis eris Deoque placebis; *b)* animum ostendes sui victorem, passiones edomitas habentem; *c)* pacem acquires et „in patientia possidebis animam tuam"; *d)* virtutes clarissimas exercebis: mortificationem, humilitatem, caritatem etc.; *e)* multa peccata in te aliisque cavebis; *f)* subditos aedificabis et lucrifacies.

Christus manens nobiscum.

Christus promisit se mansurum nobiscum. Manet scl. 1. cum Ecclesia sua *a)* tamquam propheta doctrinam suam ei communicans et per Spiritum Sanctum in eius conservatione, traditione, promulgatione illi assistens; *b)* tamquam sacerdos iugiter se sacrificans, eius laudes, gratiarum actiones, petitiones Deo offerens, pro peccaminosis eius membris intercedens veniamque precans, brachium Dei ad puniendum et castigandum iam extensum prohibens ac retardans, per sacramenta illam sanctificans,

Digitized by Google

per eucharisticam praesentiam illam sibi iungens; *c)* tamquam rex legem suam promulgans, Ecclesiam gubernans et defendens. 2. Cum anima iusti *a)* per fidem et inspirationes illam illustrans; *b)* per multimodas gratias sanctificans; *c)* per protectionem et gubernationem defendens, dirigens, in coelum ducens; *d)* per corpus suum nutriens, sibi uniens, in se transformans. 3. Pro hac praesentia Christo debes *a)* intimam gratitudinem; *b)* firmam fidem inconcussamque fiduciam; *c)* reverentiam filialem et oboedientiam; *d)* sollicitum gratiarum usum.

De regno Christi.

1. Regnum Christi non est *„de hoc mundo“;* nam coelestis est eius *a)* origo — incarnatio Verbi divini et Spiritus Sancti descensus; *b)* finis — Dei cognitio et dilectio, hominum sanctificatio et beatificatio; *c)* rex — ipse coelorum dominator; *d)* lex — voluntas Dei supernaturaliter manifestata et promulgata atque coelesti gratiae auxilio observanda; *e)* merces — Dei intuitio ac fruitio; *f)* coelesti charactere insigniti virtuteque divina praediti sunt eius ministri. 2. Quare cum huius regni membrum, civis, minister sis, vita et operatio tua *a)* esse quidem debet *in hoc mundo* (nam in eo constitutus es et nonnisi durante tua in hoc mundo conversatione operari potes ac mereri); *b)* sed non *de hoc mundo* (h. e. non principiis et prudentiae huius saeculi insistens, humanis mediis confidens, sed principia fidei sequens prudentiamque Spiritus Sancti mediisque freta supernaturalibus); nec *c) cum hoc mundo* (scl. seiungi te oportet, nisi Dei honor animarumque salus contrarium postulat, a personis, negotiis, conversationibus, recreationibus saecularibus); nec *d) pro hoc mundo* (non decet, nec licet te quaerere divitias, voluptates, honores saeculares, sed coelestes).

Digitized by Google

De passione Domini.

Passionem Domini saepe considera in spiritu 1. vivae fidei et fervidae devotionis: *a)* ob oculos tibi ponens et quasi praesentia cernens singula passionis momenta; *b)* semper reminiscens et accurate volvens, quis passus sit, quid, a quibus, pro quibus, cur etc. 2. Tenerae compassionis. *a)* Compassione te moveri iam sentis, cum bestiam cruciari vides; *b)* quanto magis si hominem tibi carissimum dire pati videres; *c)* quid ergo, si vides Iesum, Deum, Redemptorem, benefactorem — pro te et propter te — ex mera dilectione — tam dira et prorsus infanda pati. 3. Profundae compunctionis. *a)* Tu enim vera es causa cruciatuum Redemptoris. *b)* Hic conspicere licet peccatorum malitiam, foeditatem, ingratitudinem, poenam. 4. Intimae dilectionis et gratitudinis. Vides enim *a)* cordis Iesu infinitam pulchritudinem, praeclarissimas virtutes; *b)* quanto te malo eripuerit, quanta beneficia comparaverit; *c)* idque ex mera et pura tui, peccatoris ingratissimi, dilectione. 5. Promptae imitationis. Nam *a)* „Christus passus est relinquens exemplum, ut sequamini vestigia eius“; *b)* ita discipulus Christi eris, baiulans crucem tuam post eum; *c)* fructum passionis eius plene acquires; *d)* alios quoque in eo acquirendo adiuvabis; *e)* cum compassus fueris, conglorificaberis.

Iesus spinis coronatus.

Iesus spinis coronatus. 1. Quid patiebatur? *a)* In corpore tormenta terribilia (caput, pars maxime sensibilis doloribusque obnoxia — per spinas grandes, durissimas, acutissimas — non solum vulnerabatur, sed ictibus insuper vehementibus quatiebatur); *b)* in honore ignominiam nefandam (illudebatur ut rex falsus, stultus, ridiculus — caedebatur in faciem — conspuebatur); *c)* in anima

Digitized by Google

dolorem intensissimum (irrisionem magis torquentem, quam corporales dolores — factam ab iis, quos tantopere diligebat — nemine consolante vel defendente). 2. Cur coronari voluit? *a)* Ut coronam per peccata perditam nobis recuperaret; *b)* ut satisfaceret pro peccatis capite perpetrari (vel ipsi adscribi) solitis, e. g. malis cogitationibus, superbia, pervicacia; *c)* ut doceret non aliter nos adepturos coronam gloriae, nisi patienter et constanter tulerimus coronam spineam (mortificationis).

Ecce homo!

Ecce homo! Vide in eo 1. Dei amorem *a)* Patris, qui unicum dilectissimumque tradidit Filium — in tot cruciatus tantamque ignominiam — pro servis vilissimis, contumacibus, rebellibus; *b)* Filii, qui tantos suscipit dolores, angores, ignominias — licet praevideat, vix ullam sibi habendam gratiam, immo novis peccatis rependendum. 2. Peccati horrorem, *a)* quod tam dire torquet Redemptorem amabilissimum; *b)* quod magis deformat et deturpat animam peccatoris, quam sputa et vulnera deformaverant corpus Salvatoris; *c)* quod nonnisi tantis Christi poenis poterat deleri. 3. Virtutum splendorem, imprimis *a)* oboedientiae, cum atrocissima, quae Pater ei destinaverat, subeat sine murmuratione, cunctatione, reluctatione; *b)* mansuetudinis et patientiae, cum de iniuriis infandis non irascatur, non ulciscatur, sed tacens lubensque eas perferat; *c)* humilitatis, cum ut hominem vilissimum, peccatorem, malefactorem scelestissimum tractari se sinat; *d)* caritatis, cum, nulla sui ipsius ratione habita, offensores ingratissimos tantopere diligat omniaque sustineat Patrique offerat pro eorum salute.

Iesus crucem baiulans.

Christus baiulans crucem. 1. Considera, *a)* quomodo Christus, innocentissimus, sanctissimus, qui nec ullum

Digitized by Google

peccatum commiserat nec ullam poenam meruerat — promptissima voluntate in humeros suscipit — crucem vere terribilem, tam ponderosam, prementem, torquentem — licet infirmus, viribus destitutus, cibo potuque tamdiu carens, doloribus vulneribusque exhaustus. *b)* Baiulat illam patienter sine querela, prompte sine reluctatione, libenter propter Dei honorem ac voluntatem nostramque redemptionem. 2. Sic et tu, *a)* qui minime es innocens, immo tam multa, tam gravia, tam inexcusabilia commisisti peccata; cui tot gratiae media praesto sunt, ex quibus haurire potes confortationem ac consolationem; cuique crux imponitur multo levior ac toties merita; *b)* illam suscipe et porta sicut Salvator tuus patienter, nullam effutiens querelam; prompte, sine repugnatione externa vel interna; libenter, cum ita Deum honores, Christum imiteris et laetifices, proximum aedifices, salutem certam uberrimamque mercedem tibi compares.

Iesus in cruce exaltatus.

Christus in cruce est exaltatus: 1. ut medius inter coelum terramque hanc illi reconciliaret (luens avaritiam nostram per extremam paupertatem, voluptates per acerbissimos dolores, superbiam per profundissimam humiliationem, inoboedientiam per perfectissimam oboedientiam); 2. ut expansis bracchiis omnes traheret ad se ipsum (dum; considerantes ineffabiles, quos pro nobis ex purissima, gratuitissima ac prorsus immensa caritate pertulit, labores et dolores, per fidem firmam ei appropinquamus, per spem confidenter ad eum confugimus, per gratitudinem, caritatem et in passionibus consociationem intime ei coniungimur); 3. ut et nos, calcantes terrena, ad coelum elevemur (per Christi crucifixi frequentem recordationem, meditationem et imitationem; per divitiarum,

Digitized by Google

honorum, voluptatum contemptum; per bonorum coelestium desiderium; per intentionem et vitam in coelum semper directam).

De cruce Domini.

Crux Christi sit tibi: 1. Memoriale caritatis, *a)* quam Iesus ostendit tibi (quam ingentia pro te fecit, tulit, idque ex puro amore); *b)* quam tu exhibere debes ipsi (saepe eius caritatem, passionem, mortem grato animo recolendo, peccata fugiendo, pro Christo laborando). 2. Refugium et asylum. *a)* Hic enim reperies peccatorum veniam, meritorum gratiarumque ad solvenda debita tua abundantiam, contra inimicos et tentationes adiutorium et refugium. *b)* Ergo hic quaere veniam, pete gratias, implora auxilium. 3. Monimentum deterrens a peccatis. *a)* Indicat tibi, quam acerbe Deus peccata punivit in Filio (multo magis puniet in te) et quam dire peccata tua Christum cruciarunt. *b)* Monet te dolere de peccatis praeteritis, cavere a futuris. 4. Viae dux, ostendens, *a)* qua via Christus coelum petierit (oboedientia, mortificatione, patientia, inimicorum dilectione etc.); *b)* quam igitur viam tu quoque ingredi et tenere debeas, ut Christum sequaris coelumque assequaris.

De sanctissimo Sacramento.

Eucharistia est 1. sacramentum fidei, *a)* quia plurima fidei dogmata ac gravissima mysteria in ea partim veluti continentur, partim supponuntur, et per eam nova quasi luce perfunduntur; *b)* quia difficillima est intellectu, sensibus, experientiae, naturae legibus repugnare videtur, humanae superbiae adversatur, ideoque plenam rationis subiectionem ac firmissimam requirit fidem; *c)* quia fidei maxima praebet adiumenta. 2. Sacramentum spei, siquidem spem nostram roborat, dum *a)* patefacit nobis,

Digitized by Google

quantopere Deus nos diligat nostramque desideret salutem; *b)* ob oculos quasi ponit, quae Iesus pro nobis nostraque redemptione fecit et tulit et quam carae ac pretiosae in eius oculis nostrae sunt animae, ideoque eius auxilium nobis quasi oppignorat; *c)* maximas nobis gratias suppeditat; *d)* pignus est futurae gloriae. 3. Sacramentum caritatis, *a)* quia in hoc sacramento infinita Dei erga nos caritas elucet (considera, quam magna facit, quam indigna suffert, pro vilissimis peccatoribus, sine ullo emolumento, ex pura incomprehensibili dilectione); *b)* quia ad Deum diligendum efficacissime nos provocat et adiuvat; *c)* quia fraternae inter nos caritatis est symbolum et incitamentum.

De Communione spirituali.

Communio spiritualis est 1. Deo gratissima. Nam *a)* eo sanctius Deoque gratius est desiderium, quo sanctius illud, quod desideras. Atqui hic desideratur sanctissimum. *b)* Actus in Communione spirituali eliciti sunt actus illarum virtutum (fidei, caritatis, contritionis etc.), quae Deo maxime placent. *c)* Deus miraculis nonnunquam ostendit, quam grata sit ei Communio spiritualis (s. Stanislaus, s. Catharina Senensis etc.). 2. Utilis, cum *a)* non solum, sicut quodvis opus bonum, gratiam meritumque augeat, sed *b)* similem habeat cum reali Communione effectum, imprimis *c)* caritatem erga Iesum foveat ac nutriat simulque *d)* ad realem Communionem optime cor praeparet. 3. Facilis, cum *a)* fieri possit quovis loco et tempore; *b)* saepe iterari et a non ieiunis; *c)* praeparationem diuturnam minime requirat.

Venite ad me omnes.

Considera verbum Christi: „Venite ad me omnes“ etc. (Mt 11, 28), applicatum ad s. Communionem, et perpende:

Digitized by Google

1. Quid Iesus a nobis requirit? *a)* „Venite.“ Ergo relinquite alia, quae vos arcent a me (peccata, desideria terrena etc.) — venite integri, mente per fidem illuminata et ad me nitente, corde per dilectionem incenso et ad me recipiendum parato. *b)* „Ad me.“ Ergo ad Deum vestrum reverenter, ad Redemptorem vestrum fiducialiter, ad Iudicem vestrum humiliter et contriti. *c)* „Discite a me.“ Venite hoc fine, ut similes mei efficiamini — ergo prompti ad deponenda peccata, impugnandas pravas inclinationes, exercendas virtutes. 2. Quid Iesus promittit? *a)* „Ego reficiam vos“, h. e. restituam vobis pristinam innocentiam, pulchritudinem, dilectionem — reficiam mentem per illuminationem, voluntatem per gratiae sanctificantis augmentum gratiasque actuales confortantes etc. *b)* „Qui laboratis et onerati estis.“ Onera vestra, sub quibus gemitis, peccata, concupiscentiam, tentationes, aut tollam aut in eis portandis et superandis vos adiuvabo — labores vestros faciliores et per benedictionem meam fructuosos reddam. *c)* „Invenietis requiem animabus vestris.“ Pro praeterito condonationem admissorum — pro praesenti pacem conscientiae — pro futuro spem certissimam et laetissimam.

De sanctissimo Corde Iesu.

Cor Iesu in ss. Sacramento est 1. obiectum dignissimum amoris et gaudii nostri, siquidem oceanus est omnis pulchritudinis et bonitatis, fornax ardentissimae erga nos caritatis, thesaurus omnium bonorum, quae nos hic et illic possunt beatificare. Quare hoc cor divinum tenerrimo prosequamur amore, perpetua gratitudine et in eo gaudium consolationemque quaeramus. 2. Speculum et exemplar cunctarum virtutum, imprimis puritatis, caritatis, mansuetudinis, humilitatis, zeli (quas singulas percurrens considera, quam praeclare cor Iesu eas exercuerit

Digitized by Google

in vita sua mortali et quomodo adhuc resplendeant in vita sua sacramentali). Quare illud saepe meditando suspiciamus, cor nostrum cum eo comparemus, imitando ei assimilari satagamus. 3. Fons omnium gratiarum, purgantium a peccatis malisque inclinationibus, confortantium contra tentationes et ad pugnas et labores, unientium cum hoc divino corde et eius intentionibus. Quare hunc fontem ardenter sitiamus, eum saepe requiramus, avide ex illo hauriamus.

De imitatione Christi.

1. Imitare, sequere Christum. Nam hoc est *a)* honorificum, gloriosum (propter ducis excellentiam, viae praestantiam, finis eminentiam); *b)* facile et iucundum (Christus praeit, minus requirit quam mundus, largissimum offert adiutorium iucundissimamque dapem et consolationem, praestantissimos iungit socios); *c)* utilissimum (quantam acquiremus Dei benevolentiam, protectionem, mercedem); *d)* necessarium (Christianus debet esse alter Christus, h. e. Christo similis, Christi imitator; Iesus est unica via, in qua si non ambulaveris, finem non assequeris; qui non est conformis unigenito Dei Filio, non est praedestinatus [Rom 8, 29]). 2. Ut imitari eum possis, opus est, ut *a)* continuo eum respicias, eius doctrinam firmiter credas et in dies melius pernoscas, eius exemplum mediteris vitamque tuam cum eo comparans perlustres et emendare studeas; *b)* impedimenta, quae sequelae obstant, removeas (peccata, malas consuetudines, pravas inclinationes); *c)* media necessaria adhibeas, imprimis post bonam praeparationem, devote atque cum ardenti te ei assimilandi studio communices; *d)* quotidie animum resumas et alacriter progrediaris.

Digitized by Google

De rosario.

Rosarium B. V. debemus 1. aestimare, cum *a)* Sancti in tam magno pretio illud habuerint — Ecclesia tot laudibus extollat, indulgentiis insigniat — Deus ipse per tot miracula totque concessas gratias aestimationem suam, ut ita dicam, manifestaverit manifestetque; *b)* cum rosarium sit precatio vere catholica (quoad originem, res contentas, usum cunctis locis temporibusque obtinentem), Deo gratissima (cuius magnalia et beneficia recolit, laudes continet, cultum promovet), B. V. Mariae acceptissima (cuius venerationem intendit, invocationem promovet, imitationem proponit), utilissima et efficacissima (orationis bonae proprietates quasi continens et adiuvans, meditationem cum oratione vocali coniungens, gratias largas obtinens). 2. Recitare *a)* frequenter (si fieri poterit, quotidie); *b)* reverenter et attente; *c)* devote (mysteria meditando, Christi et B. V. exemplum considerando, proposita concipiendo).

De recta intentione.

Recta intentio in nobis 1. si adest, magna profert commoda. *a)* Opera nostra reddit Deo placentia; *b)* magnum eis confert valorem proindeque *c)* uberem nobis conciliat Dei amorem, largas gratias, grandem mercedem; *d)* labores, difficultates, passiones leviores reddit utque eos libentius laetiusque sustineamus, multum adiuvat. 2. Si deest, tristes nascuntur sequelae. *a)* Omnia, quae modo enumerata sunt, commoda amittimus — qualis iactura pro tota aeternitate! *b)* Tepidi sumus magisque in dies evadimus; *c)* crescit amor proprius, indulgebimus passionibus ideoque in multa facile peccata impingemus. 3. Ut adsit, idonea adhibeamus media. *a)* Quotidie in precibus matutinis optimam intentionem sollicite elicia-

Digitized by Google

mus; *b)* eam repetamus ante graviora saltem negotia, in laboribus difficilioribus et passionibus, in tentationibus ad proprium amorem vanamque gloriam spectantibus vel allicientibus; *c)* in precibus vespertinis examinemus nos, qua intentione functiones nostras exercuimus, labores passionesque pertulimus, colloquia et recreationes nostras instituimus.

Sanctifica te.

Sanctifica te! Hoc est munus tuum 1. gravissimum, non patiens excusationem. *a)* Quo gravius et magis necessarium est aliquod negotium, eo minus admittit excusationem. *b)* Atqui negotium sanctificationis tuae est gravissimum in se (quia agitur de aeterna beatitudine aut damnatione), comparatum cum quibusvis aliis, immo unice et absolute necessarium: nam si hoc bene gesseris, nil aliud potest tibi nocere, si neglexeris, nil aliud potest tibi prodesse, te salvare. 2. Urgentissimum, non patiens dilationem. *a)* Negotium aliquod est urgens, si sub magna poena vel damno praecipitur et serius certe vel verosimiliter fieri nequit. *b)* Atqui tale est negotium sanctificationis tuae, quia sub gravissima poena tibi impositum est, nec scis, utrum postea habeas tempus, vires, gratiam ad illud perficiendum. 3. Personalissimum, non patiens substitutionem. *a)* Multa negotia potes aliis mandare, non vero gravissima tibique personaliter iniuncta. *b)* Atqui negotium sanctificationis tuae non solum est gravissimum, sed tibi personalissime iniunctum, quia agitur de anima tua, quae tuis solummodo vel virtutibus salvabitur vel vitiis perdetur, et tu solus de ea rationem reddes ac iudicaberis.

De vita interiore.

1. Diligentissime nos vitae interiori et collectae studeamus. Hoc postulat *a)* Christi, Apostolorum cunctorum-

Digitized by Google

que sanctorum sacerdotum exemplum. *b)* Status, dignitas, functiones nostrae. *c)* Operatio, quae, ut fructuosa fiat, mentem bene collectam requirit. *d)* Salus nostra. Nam vita interna et collecta sexcentis nos eripit periculis, ab innumeris nos servat peccatis, spiritum orationis virtutesque promovet, multas acquirit gratias, pacem laetitiamque conciliat, salutem certiorem facit; dum vita dissipata contrarium praestat (prout, singula discurrendo, facile videbis). 2. Quare ut hanc vitam collectam assequaris: *a)* ordinem strictum tibi propone eumque religiose custodi; *b)* in orationibus persolvendis accuratissimus esto; *c)* meditationi et lectioni sacrae sedulo incumbe; *d)* conversationes recreationesque tuas examina cunctasque, quae nocivae sunt aut periculosae nimisque dissipantes, amove; *e)* saepe intentionem bonam elice, precibus iaculatoriis insiste talesque etiam inter labores et recreationes noli neglegere; *f)* magna devotione cor Iesu, B. Virginem sanctumque Ioseph cole et imitari stude.

Cura minima.

Cura etiam minima. Nam 1. minima in servitio tanti Domini non sunt parva. *a)* Quanta diligentia curant aulici, ut minima regis desideria impleant, minimas eius molestias et offensiones caveant! *b)* Dominus, cuius aulici nos sumus, infinite maior est, sanctior, benignior etc. *c)* Ergo etc. 2. In parvis quodammodo maiorem ostendere possumus Dei dilectionem. *a)* Gravia parentum mandata implere, a gravibus eorum offensionibus cavere nondum magnae dilectionis signum est — hoc omnes filii faciunt, qui mali et ingrati non sunt. *b)* Tenera dilectio in parvis parentum desideriis advertendis et implendis, in minima eorum contristatione arcenda probatur. *c)* Sic quoad Deum. 3. A minimis saepe magna, maxima pendent. *a)* Quot sancti parvis gratiis bene adhibitis ad

Digitized by Google

sanctitatem, quot damnati parvis gratiis neglectis parvisque peccatis ad damnationem primum posuerunt gradum! *b)* Per parvas gratias parvaque opera bona gratiae, virtutum, pacis et dilectionis, mercedis augmentum acquiris; per parva peccata haec neglegis, Dei displicentiam et poenam tibi adsciscis et ad maiora peccata quasi praepararis. 4. Etiam de minimis iudicabimur, mercede vel poena afficiemur. *a)* Potum aquae fridigae praebens non perdet mercedem. *b)* De omni verbo otioso reddent rationem homines nec exibunt, nisi solverint ultimum quadrantem.

De oratione in nomine Iesu.

Oras in nomine Iesu: 1. si Iesus in te est per gratiam sanctificantem; 2. si Iesu orantis exemplum tibi proponis et quam exactissime imitari studes; 3. si cogitationes ac desideria tua occupata sunt circa Iesum, non circa res alienas (h. e. si sensus custodis, dissipationes arces eisque non cedis aut consentis, cum omni attentione ac devotione orare satagis); 4. si ea petis, quae intentionibus Iesu conformia sunt, ad Dei honorem et animae tuae salutem conducunt, et in Dei voluntatem te plene resignas (praesertim quoad bona malaque temporalia); 5. si persuasum tibi habes, te ea, quae petis, non solum non mereri, sed potius exauditione indignum, poena vero ac reiectione dignum esse, ideoque non tuis innixus meritis, sed per Christi merita ac vulnera humillime oras; 6. si de promissionibus Iesu, de divina potentia, benignitate, fidelitate nil dubitans te exaudiendum firmissime confidis; 7. nec deficis a confidentia et oratione, licet non statim exaudiaris, sed constanter ac perseveranter orare pergis.

De humilitate in oratione.

In orationibus tuis, exemplum secutus publicani, humilitati stude. 1. Nam *a)* Deus ipse humilem postulat

Digitized by Google

orationem eique exauditionem promittit et praestat. *b)* Sancti hoc et verbis inculcarunt et exemplis. *c)* Num tu libenter exaudires petentem, qui modo superbo et impudenti tuum imploraret auxilium? Sic Deus etc. *d)* Qui humiliter orat, simul ex corde orat, instanter, confidenter, perseveranter et cum debita in voluntatem divinam resignatione. *e)* Qui sine humilitate orat, Deum offendit et, si Deus eum exaudiret, eius nutriret superbiam. 2. Quare *a)* generatim humilitati stude, saepe perpendendo tuam vilitatem, infirmitatem, pravitatem, actusque exerce humiliationis. *b)* Ante orationem hinc Dei infinitam maiestatem et sanctitatem, illinc tuam vilitatem innumeraque peccata quam vivacissime tibi repraesenta. *c)* Corporis quoque situ et habitu te humilia. *d)* Indignum te prorsus reputa, qui cum Deo loquaris beneficiumque, quod petiturus es, impetres. *e)* Ad divinam solummodo misericordiam Christique merita provoca Deique voluntati te plene resigna.

De cognitione sui ipsius.

Considera cognitionis tui ipsius 1. necessitatem *a)* ad emendationem (nam si peccata non cognoscis, quomodo contritionem habebis, confiteberis, emendaberis?); *b)* ad peccata cavenda (quia si te non nosti, pericula et tentationes non cognosces nec vitabis nec superabis); *c)* ad humilitatem acquirendam; *d)* ad lucrandas virtutes. 2. Difficultatem. *a)* Ipsi nos decipimus (bona nostra nobis adscribimus et superaestimamus; peccata videre nolumus, excusamus; quae in aliis bene cognoscimus et vituperamus, in nobis non advertimus, ex radicibus bonis provenire putamus, immo virtutum specie supervestimus). *b)* Alii nos fallunt, veritatem nobis dicere verentes, adulantes. *c)* Satan nos decipit, interiorem statum nobis velando, laxa principia nobis suggerendo, immo quando-

Digitized by Google

que bona, sed inutilia proposita in nobis excitando, quae superbiam nostram augent. 3. Media. *a)* Optimam fovere voluntatem, nos cognoscendi; *b)* attente legere serioque meditari verbum Dei, vitas Sanctorum; *c)* oratio fervens ad Spiritum Sanctum; *d)* ad nos ipsos, inclinationes, motus primo-primos, affectus attendere; *e)* conscientiam quotidie examinare; *f)* bonos confratres rogare, ut ipsi nos moneant; vituperationem libenter accipere proque ea gratias agere; *g)* saepe sacerdoti vere religioso et prudenti confiteri.

De mortificatione.

Mortificatio adolescenti ad sacerdotium vocato necessaria est ad propriam sanctificationem. Nam sine ea 1. peccata *a)* non deponet; vix enim cum vero dolore firmoque proposito ea confitebitur, media ad ea corrigenda et vitanda non adhibebit. *b)* Pro eis non satisfaciet; satisfacere enim nequit nisi per opera poenitentiae, quae cuncta postulant, ut sibi ipsi vitiosisque inclinationibus vim inferat. *c)* In nova impinget; nam pravae inclinationes, nisi eis (per mortificationem) obsistatur, validiores in dies efficiuntur, nova suggerunt peccata. 2. Gratiis non adiuvabitur. Nam *a)* multas gratias non accipiet, quas Deus dare solet tamquam mercedem pro abnegatione nostri, pro sacrificiis propriae voluntatis; *b)* multis ipsi oblatis non utetur, quia gratia datur, ut vincamus naturam, ergo sine pugna et labore nobis non proficit. 3. Media sanctificationis (meditationem, examen conscientiae, confessionem frequentem etc.) aut non aut minus recte et perfecte adhibebit, siquidem cuncta requirunt laborem et propriae voluntatis pigritiaeque impugnationem. 4. Solidas virtutes non acquiret, quae non acquiruntur nisi per diligentem gratiarum usum, contrariarum inclinationum superationem, actus frequenter

Digitized by Google

repetitos. „Tantum proficies, quantum tibi ipsi vim inuleris.“ 5. Spiritum orationis et interioris vitae non habebit. Nam intus colligi sursumque levari non possumus, nisi sensualibus cor occludamus et a terra cogitationes et desideria avellamus.

De castitate.

Media ad conservandam castitatem. 1. Magnam concipe castitatis aestimationem, impudicitiae abominationem. Quare saepius meditare de illius dignitate, pulchritudine, necessitate, fructibus, praemio; deque huius indignitate, foeditate, sequelis, damnatione. 2. Stude humilitati. Nam sine ea, ut nullam virtutem, sic nec castitatem habebis, Dei gratia carebis, diffidentiam in te, vigilantiam, orationem negleges sicque certissime cades. 3. Cole mortificationem, imprimis *a)* in custodia sensuum et imaginationis; *b)* in cibi potusque parcitate („potus vini ventrisque saturitas seminarium libidinis est“, S. Hieron.); *c)* in fugiendo otio („multam malitiam docuit otiositas“, Eccli 33, 29). 4. Fuge occasiones et pericula, imprimis conversationem familiarem cum mulieribus (domesticis, extraneis). 5. Orationi sedulo incumbe (Sap 8, 21): *a)* generatim spiritum fove orationis; *b)* saepe gratiam specialem pete ad hanc virtutem servandam; *c)* B. Virginem ss. Iosephum, Aloysium etc. praeprimis cole, invoca, imitare.

De tentationibus.

Considera, quid praecipue observandum tibi sit quoad tentationes. 1. Ante tentationem. *a)* Noli temere in talem te praecipitare, sed quas evitare potes, fuge; memor, quam potentes sint adversarii tui (mundus, diabolus, caro), quam infirmus tu ipse, teque non posse sperare divinum auxilium, si periculis voluntarie et sine causa te exponis. *b)* Quoad tentationes, quas vitare nequis,

Digitized by Google

noli esse timidus, pusillanimis (alioquin turbaris, non clare vides, animo destitueris faciliusque superaris), sed firmam in Domino fove fiduciam. *c)* Semper vigila et ora. 2. In tentatione. *a)* Principiis statim obsta nec lude vel transige cum tentatione. *b)* Recordare praesentiae Domini earumque veritatum, quae maxime a peccando te possunt deterrere, imprimis mortis et inferni, necnon propositorum promissionumque tuarum. *c)* Statim et saepius divinum auxilium, suffragia B. Virginis et Angeli tutelaris implora. 3. Post tentationem. *a)* Si cecideris, noli despondere animum, sed statim surge, conterere, emendationem propone, veniam implora. *b)* Si victor exstiteris, gratias age, noli securum te putare, sed ad ulteriora certamina te accinge, renovando proposita, vigilantiam, orationem.

De vigilantia.

1. Vigilantia nobis necessaria. *a)* Dominus eam Apostolis et in eis nobis saepe serioque inculcavit. *b)* Circumdati sumus multis hostibus, expositi multis periculis, pervii multis tentationibus. *c)* Etiam hostes nostri semper vigilant illisque praecipue ad nos nostrosque aggrediendos utuntur momentis, quibus vigilantiam neglegimus (Mt 13, 25). 2. Ad vigilantiam requiritur, *a)* ut nunquam nos securos existimemus, sed semper timeamus, tentationes praevidere studeamus; *b)* ut nonnisi necessitate quadam compulsi et cauti loca, occasiones etc. ingrediamur, ubi insidiae nobis struuntur; *c)* ut tempore quietis praeparemus media et arma ad futuras tentationes superandas; *d)* ut portas, per quas inimicus animam posset ingredi, h. e. sensus nostros, diligenter custodiamus; *e)* ut loca debilia aggressibusque magis exposita, h. e. passionem dominantem ceterasque

Digitized by Google

inclinationes, praecipua cautela observemus; *f)* ut in minima incursione statim arma arripiamus et resistamus.

De vanis gaudiis.

1. Mundi gaudia et oblectamenta *a)* vana sunt, quia nec veram praebent felicitatem (cum cor nostrum ad altiora creatum satiare nequeant) nec perfectam (utpote multis mixta amaritudinibus doloribusque) nec permanentem (cum brevissima sint, taedio mox afficiant, morte cuncta tollantur); *b)* saepe nociva et perniciosa, cum cor nostrum a Deo eiusque amore et servitio abstrahant, spiritum devotionis, compunctionis, collectionis ac vitam internam non uno nomine impediant, inclinationes pravas excitent et augeant, saepissime sine peccato haberi nequeant, in ulteriora peccata trahant dirissimisque aut inferni aut purgatorii cruciatibus puniantur. 2. Quare *a)* a gaudiis illicitis proximamque peccandi occasionem involventibus sollicite caveamus; *b)* in fruendis licitis nunquam continentiae, vigilantiae, mortificationis et gratitudinis erga Deum obliviscamur; *c)* vera gaudia in pace bonae conscientiae, oratione, conversatione cum Iesu sacramentali, in animabus salvandis, in laboribus cum et pro Iesu ferendis etc. quaeramus; *d)* coelestis beatitudinis desiderium continenter foveamus.

De iudiciis temerariis.

Temeraria iudicia sunt 1. peccata. *a)* Dei mandato contraveniunt: „Nolite iudicare“ (Mt 7, 1. Cf. Rom 14, 4. 1 Cor 4, 5). *b)* Iura Dei violant. Deo soli competit possibilitas ac ius de quibuscumque iudicandi; nobis nec fas est nec facultas, cum nobis desit notitia sufficiens factorum, motivorum et cordium. *c)* Proximum laedunt, tum in ratione iustitiae, cum proximus ius habeat ad bonam aestimationem, etiam in nostro iudicio; tum in

Digitized by Google

ratione caritatis, quia lex principalis violatur: Quod tu non vis tibi fieri, nec alteri facias. 2. Peccatorum soboles. Oriuntur enim *a)* generatim ex prava animi dispositione (qui ipse bonus est, bona de aliis suspicatur et facile credit; qui ipse malus est, contrarium facit); *b)* speciatim ex superbia, zelotypia, invidia, animi abalienatione, odio etc. 3. Peccatorum (ulteriorum) radices. *a)* Inducunt enim in laesionem famae, detractionem, calumniam scandalumque connexum. *b)* Saepe procreant rixas, odia, inimicitias. *c)* Non raro causa (saltem remota) sunt damnorum in bonis temporalibus.

Nos viatores.

Sumus viatores. 1. Nam *a)* terra ista locus peregrinationis est, ubi a vera patria exsulamus, manere non possumus; *b)* ad „manentem civitatem", coelestem patriam tendimus; *c)* per viam arctam, difficilem, periculosam. 2. Ideo sicut prudentes viatores *a)* viam quaeramus et eligamus non latiorem, commodiorem, iucundiorem, sed breviorem et securiorem; *b)* sarcinis non necessariis ne oneremur, h. e. bonis temporalibus, quatenus ad victum et ad sustentandos pauperes eis non indigemus, nullatenus inhiemus aut ea colligamus; *c)* negotiis ad iter nostrum non pertinentibus, sed illud potius impedientibus vel tardantibus ne implicemur; *d)* in locis amoenis et delectantibus (h. e. voluptatibus, delectationibus, recreationibus terrenis, praesertim peccaminosis, periculosis, spiritum devotionis laedentibus aut impedientibus) ne moremur; *e)* finem itineris ne unquam ex oculis dimittamus et saepe viam confectam cum eo comparemus, explorantes conscientiam et scrutantes, utrum coelo magis magisque appropinquemus; *f)* patriae desiderium saepe excitemus; *g)* difficultates animose superemus, strenue et concitatis gressibus progrediamur.

Digitized by Google

De contritione.

Ut veram, profundam, efficacem elicias semperque teneas contritionem, considera: Quid per peccatum mortale 1. fecisti? *a)* Infinitam Dei maiestatem sprevisti; *b)* Domino et Creatori oboedientiam negasti, rebellis contra eum exstitisti; *c)* summo Bono per amentiam inexplicabilem rem vilissimam et abominabilem praeposuisti sicque illud contempsisti; *d)* Patri benefactorique optimo pro caritate infinita innumerisque beneficiis atrocissimam iniuriam rependisti; *e)* Redemptoris tui passionem causasti, inutilem reddidisti, ingratitudine rependisti, innovasti eique fidem turpissime fregisti; *f)* Spiritum Sanctum contristasti, eiecisti, eius templum profanasti. 2. Quid amisisti? *a)* Dei amorem et amicitiam; *b)* animae pulchritudinem et splendorem; *c)* conscientiae quietem et pacem; *d)* largissimas gratias, merita collecta merendique facultatem; *e)* infinitam coeli gloriam et beatitudinem. 3. Quid promeritus es? *a)* Hic Dei iram suppliciaque multiplicia; *b)* post mortem dirissimam in iudicio confusionem, atrocissimos aeternosque in inferno cruciatus.

De recogitatione aeternitatis.

Recogitatio aeternitatis dat 1. sapientiam in deliberationibus, consiliis, actibus. Efficiet siquidem, ut *a)* omnia in luce aeternitatis consideres et secundum verum valorem aestimes; *b)* finem tuum prae oculis semper habeas; *c)* media ad finem conducentia, non vetita et nociva, adhibeas. 2. Fortitudinem in probationibus, tentationibus, passionibus. Firmiter enim tenebis: *a)* „Non habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus“; *b)* momentaneum, quod delectat, aeternum, quod cruciat; *c)* „non sunt condignae passiones huius temporis ad futuram gloriam, quae revelabitur in nobis“. 3. Zelum, rectam intentionem et constantiam in officiis exsequendis, bonis

Digitized by Google

operibus faciendis. Memor siquidem eris: *a)* laboro pro aeternitate; *b)* „uniuscuiusque opus manifestum erit“; *c)* pro brevi labore aeterna mihi promittitur merces, respondens caritatis fervori, intentionis puritati, laboris magnitudini.

De tempore.

1. Tempus est *a)* pretiosum, cum tanto pretio (sanguine scl. Christi) emptum sit; adeoque necessarium, ut sine eo nil possis facere, nullum comparare meritum, nullam agere poenitentiam; cum per tempus alia omnia possis tibi comparare (bona terrena, remissionem peccatorum, gratiam, merita, coelum ipsumque Deum), per omnia vero alia (e. g. pro innumerabili pecunia) tempus emere nequeas. *b)* Breve et incertum. Anni praeteriti quam rapide sunt elapsi; tempus praesens in momento fugit; utrum pro futuro et quantum tempus tibi concedatur, prorsus nescis. *c)* Irreparabile. Pecuniam ereptam, honorem amissum, sanitatem perditam forsitan poteris recuperare — tempus perditum nunquam redibit. 2. Ideo *a)* deplora tempus amissum, poenitentiam age, satisfac, quantum potes, per duplicatum fervorem. *b)* Bene utere tempore praesente (otium fugiendo, ordinem diurnum observando, officio tuo religiose satisfaciendo, bona opera studiose perficiendo). *c)* Noli confidere in futuro (poenitentiam procrastinando, labores debitos differendo, praeparationem ad mortem neglegendo).

De peccato.

Considera peccati gravitatem, foeditatem, malitiam ac poenas 1. in angelis lapsis: qui *a)* ante lapsum quam excelsi erant quoad naturam, pulchri ac divites per gratiam, gloriosi ac felices! *b)* Post lapsum hisce cunctis (excepta natura) privati, maculati, Deo exosi, ineffabilibus tormentis addicti. *c)* Hanc terribilem mutationem

Digitized by Google

unum effecit peccatum, internum, unico momento commissum, cum nullum peccatum eiusque poena ad deterrendum praecessisset. 2. In Adam, *a)* qui ante peccatum donis praeclarissimis instructus familiariter cum Deo conversabatur, paradisi amoenitate fruebatur coelique iure gaudebat. *b)* Unicum commisit peccatum, sensualitatem secutus, seductioni cedens. *c)* Qualis iactura, quanta mala pro corpore et anima, ipsi totique prosapiae ex hoc pullularunt! 3. In Christo. *a)* Quid patitur? *b)* Quis? Infinite sanctus, dilectissimus Dei Filius. *c)* Cur? Pro peccatis, quae non ipse fecerat, sed pro quibus sponsorem se fecit. *d)* Quomodo puniemur nos servi vilissimi pro peccatis propriis, quibus insuper sanguinem Christi conculcavimus? 4. In aliquo damnato, qui *a)* forte maiores gratiás maioremque, quam tu, virtutis gradum assecutus erat; *b)* unicum commisit peccatum mortale et *c)* inenarrabilia nunc et in aeternum sustinet tormenta.

De morte.

Considera verbum Apostoli (Hebr 9, 27): „Statutum est hominibus semel mori, post hoc autem iudicium." 1. „Statutum est." *a)* „Ab initio non fuit sic", sed mors statuta est in poenam peccati; quam horrendum ergo peccatum, quod tam horrendam post se trahit sequelam et poenam! *b)* Statutum non est, ubi, quando, in quo statu sis moriturus, immo hoc plane incertum est. 2. „Hominibus", h. e. *a)* cunctis hominibus, nullo excepto; *b)* quin ullum medium, ulla medicina, ulla potestas humana mortem possit arcere. 3. „Mori", h. e. relinquere *a)* cuncta terrena, voluptates, divitias, honores, amicos et propinquos; *b)* proprium corpus; *c)* vitam et cum ea tempus laborandi, merendi, poenitendi, salvandi animam. 4. „Semel." *a)* Si pluries posses mori, res esset minus periculosa et tremenda; *b)* iam vero semel morieris,

Digitized by Google

idque unico momento tibi plane ignoto — et ab hoc momento pendet aeternitas! Nam: 5. „Post hoc iudicium.“ Ergo statim post mortem iudicaberis, h. e. *a)* cunctae tuae cogitationes, desideria, actiones, omissiones, effectus inde secuti tibi proponentur et ponderabuntur; *b)* sententia dicetur decretoria, in aeternum valitura; statimque *c)* ad effectum perducetur.

De praeparatione ad mortem.

Ut bene praepares te ad mortem, fac, quod tempore mortis 1. facere non poteris. *a)* Tunc siquidem non poteris facere poenitentiam, diluere peccatorum poenas, emendare vitam. *b)* Quod tamen prorsus est necessarium. *c)* Ergo nunc conscientiam scrutare, veram profundamque elice contritionem, sincerissime confitere, proposita firma concipe et exsequere, operibus satisfactoriis vaca. 2. Facere debebis. *a)* Tunc nolens volens mundum cogeris relinquere, renuntiare divitiis, excidere honoribus, carere voluptatibus, remanere solitarius. *b)* Quod si nunc feceris, innumera vitabis peccata et pericula, immensa comparabis merita, infinitam assequeris mercedem. *c)* Ergo cor tuum avelle a bonis gaudiisque terrenis, pecuniam in pia opera eroga, laudem honoresque ne quaeras, ab illicitis periculosisque abstine recreationibus, sacrae solitudini stude. 3. Fecisse optabis. *a)* Quanto tunc tibi esset solacio, si tempus gratiasque bene adhibuisses, multa magnaque opera bona fecisses, pro animabus strenue laborasses, officia ad amussim implesses, dolores patienter tulisses. *b)* Nunc haec omnia facere potes, sed quamdiu — nescis. *c)* Ergo quam celerrime ac studiosissime, quae tibi facienda sunt, meditare, propone, exsequere.

Digitized by Google

Pars VII.

I. Hymni et Preces per annum et festa Domini.

1. Tempore Adventus.

Hymnus.

1. Verbum supernum prodiens, * A patre olim exiens, * Qui natus orbi subvenis * Cursu declivi temporis.

Illumina nunc pectora * Tuoque amore concrema, * Audita per praeconia * Sint pulsa tandem lubrica.

Iudexque cum post aderis, * Rimari facta pectoris, * Reddens vicem pro abditis * Iustisque regnum pro bonis.

Non demum arctemur malis * Pro qualitate criminis, * Sed cum beatis compotes * Simus perenne coelites.

Laus, honor, virtus, gloria * Deo Patri cum Filio * Sancto simul Paraclito * In sempiterna saecula. Amen.

Hymnus.

2. Veni, veni, Emmanuel! * Captivum solve Israel, * Qui gemit in exsilio, * Privatus Dei Filio. * Gaude, gaude, Emmanuel * Nascetur pro te, Israel!

Veni, o Iesse Virgula! * Ex hostis tuos ungula, * De specu tuos tartari * Educ, et antro barathri. * Gaude, gaude, Emmanuel etc.

Veni, veni, o Oriens! * Solare nos adveniens, * Noctis depelle nebulas, * Dirasque noctis tenebras. * Gaude, gaude, Emmanuel etc.

Digitized by Google

Veni, Clavis Davidica! * Regna reclude coelica, * Fac iter tutum superum, * Et claude vias inferum. * Gaude, gaude, Emmanuel etc.

Veni, veni, Adonai! * Qui populo in Sinai * Legem dedisti vertice, * In maiestate gloriae. * Gaude, gaude, Emmanuel etc.

Ant. Quales oportet vos esse in sanctis conversationibus et pietatibus, exspectantes et properantes in adventum diei Domini? — Propter quod satagite immaculati et inviolati ei inveniri in pace (2 Petr 3).

℣. Rorate coeli desuper, et nubes pluant iustum.

℟. Aperiatur terra et germinet Salvatorem.

Oremus. Excita, quaesumus Domine, potentiam tuam et veni, ut ab imminentibus peccatorum nostrorum periculis te mereamur protegente eripi, te liberante salvari.

Excita, Domine, corda nostra ad praeparandas Unigeniti tui vias: ut per eius adventum purificatis tibi mentibus servire mereamur.

Aurem tuam, quaesumus Domine, precibus nostris accommoda, et mentes nostras gratia tuae visitationis illustra.

Excita, quaesumus Domine, potentiam tuam et veni, et magna nobis virtute succurre, ut per auxilium gratiae tuae, quod nostra peccata praepediunt, indulgentia tuae propitiationis acceleret, qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti Deus per omnia saecula saeculorum. Amen.

Digitized by Google

2. In Natali Domini.

Hymnus Venantii Fortunati.

3. Agnoscat omne saeculum, * Venisse vitae praemium: * Post hostis asperi iugum * Apparuit redemptio.

Isaias quae concinit, * Completa sunt in Virgine; * Annuntiavit Angelus, * Sanctus replevit Spiritus.

Maria ventre concipit * Verbi fideli semine; * Quem totus orbis non capit, * Portant puellae viscera.

Radix Iesse floruit, * Et virga fructum edidit: * Fecunda partum protulit, * Et virgo Mater permanet.

Praesepe poni pertulit, * Qui lucis auctor exstitit: * Cum Patre coelos condidit, * Sub Matre pannos induit.

Legem dedit qui saeculo, * Cuius decem praecepta sunt, * Dignando factus est homo, * Sub legis esse vinculo.

Adam vetus quod polluit, * Adam novus hoc abluit; * Tumens quod ille deicit, * Humillimus hic erigit.

Iam nata lux est et salus, * Fugata nox et victa mors, * Venite, gentes, credite: * Deum Maria protulit.

Iesu, tibi sit gloria, * Qui natus es de Virgine, * Cum Patre et almo Spiritu * In sempiterna saecula. Amen.

Hymnus.

4. Iam radix Iesse floruit, * Et virga fructum genuit: * O ter beatum nuntium! * Solamen dulce mentium! * Alleluia, alleluia!

Salvator mundo datus est, * Et Deus homo factus est, * Hanc diem fecit Dominus, * Quem cernimus nunc comminus! * Alleluia, alleluia!

Maria Iesum edidit, * Nec Virgo florem perdidit: * Astra sonate laudibus, * Terra resultet plausibus: * Alleluia, alleluia!

Digitized by Google

Pastores, gregem linquite, * Ad cunas cito currite, * Natum puellum visite, * Cum Angelis concinite: * Alleluia, alleluia!

De Saba Reges, surgite, * Quo stella ducit, pergite, * Offerte dona parvulo, * Genu curvate Iesulo: * Alleluia, alleluia!

Sit Trinitati gloria, * Per quam haec facta gratia, * Cum Matre natum Iesulum * Collaudet omne saeculum: * Alleluia, alleluia!

Ant. Transeamus usque Bethlehem, et videamus hoc verbum, quod factum est, quod Dominus ostendit nobis.

℣. Ecce Deus noster iste.

℟. Exspectavimus eum, et salvabit nos.

Oremus. Concede, quaesumus omnipotens Deus, ut nos Unigeniti tui nova per carnem nativitas liberet, quos sub peccati iugo vetusta servitus tenet.

Immensae maiestati tuae, misericors Deus, hostiam laudis et gratiarum actionis offerimus, coaeternum tibi Filium pronis mentibus adorantes, qui propter nos infans et egenus factus in praesepio iacere voluit et pannis involvi, Iesus Christus, Dominus noster.

Praesta, quaesumus omnipotens Deus, ut natus hodie Salvator mundi, sicut divinae nobis generationis est auctor, ita et immortalitatis sit ipse largitor, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus per omnia saecula saeculorum. Amen.

Digitized by Google

3. In honorem SS. Nominis Iesu.

Iubilus S. Bernardi.

1.

5. *Iesu, dulcis memoria,* * Dans vera cordis gaudia; * Sed super mel et omnia * Eius dulcis praesentia.

Nil canitur suavius, * Auditur nil iucundius, * Nil cogitatur dulcius * Quam Iesus, Dei Filius.

Iesu, spes poenitentibus, * Quam pius es petentibus, * Quam bonus te quaerentibus, * Sed quid invenientibus!

Nec lingua valet dicere, * Nec littera exprimere, * Expertus potest credere, * Quid sit Iesum diligere.

Sis, Iesu, nostrum gaudium, * Qui es futurus praemium: * Sit nostra in te gloria * Per cuncta semper saecula. Amen.

2.

6. *Iesu, rex admirabilis* * Et triumphator nobilis, * Dulcedo ineffabilis, * Totus desiderabilis.

Quando cor nostrum visitas, * Tunc lucet ei veritas, * Mundi vilescit vanitas, * Et intus fervet caritas.

Iesu, dulcedo cordium, * Fons vivus, lumen mentium, * Excedens omne gaudium * Et omne desiderium.

Iesum omnes agnoscite, * Amorem eius poscite: * Iesum ardenter quaerite, * Quaerendo inardescite.

Te nostra, Iesu, vox sonet, * Nostri te mores exprimant: * Te corda nostra diligant * Et nunc et in perpetuum. Amen.

3.

7. *Iesu, decus angelicum,* * In aure dulce canticum, * In ore mel mirificum, * In corde nectar coelicum.

Qui te gustant, esuriunt, * Qui bibunt, adhuc sitiunt: * Desiderare nesciunt * Nisi Iesum, quem cupiunt.

Digitized by Google

O Iesu, mi dulcissime, * Spes suspirantis animae, * Te quaerunt piae lacrimae, * Te clamor mentis intimae.

Mane nobiscum, Domine, * Et nos illustra lumine, * Pulsa mentis caligine, * Mundum replens dulcedine.

Iesu, flos Matris Virginis, * Amor nostrae dulcedinis, * Tibi laus, honor nominis, * Regnum beatitudinis.

Aeterna sapientia, * Tibi Patrique gloria, * Cum Spiritu Paraclito * In sempiterna saecula. Amen.

Ant. In nomine Iesu omne genu flectatur coelestium, terrestrium et infernorum, et omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei Patris (Phil 2).

℣. Sit nomen Domini benedictum.

℟. Ex hoc, nunc et usque in saeculum.

Oremus. Domine Iesu, cuius nomen nemo dicere potest nisi in Spiritu Sancto: concede, quaesumus, ut in eodem Spiritu sacratissimum nomen tuum invocantes salvos facias a peccatis.

Omnipotens, sempiterne Deus, dirige actus nostros in beneplacito tuo, ut in nomine dilecti Filii tui mereamur bonis operibus abundare.

Domine Iesu Christe, qui dixisti: In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem, da, ut sublimis illa caritas, quae anima nostrae vocationis et vita est, ita nos urgeat, ut nos dignos exhibeamus, qui numero discipulorum tuorum simus inserti.

Sanctissimae humanitatis tuae ipsa divinitate unctae exemplar nostros semper versetur ob oculos, ut tuam agendi rationem studiose imitemur, cuius

Digitized by Google

praeclaram vocationem in hominum capturam suscepimus, qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti Deus per omnia saecula saeculorum. Amen.

4. In Epiphania Domini.

Hymnus Missalis Parisiensis.

8. Ad Iesum accurrite, * Corda vestra subdite * Regi novo gentium.

Stella foris praedicat, * Intus fides indicat * Redemptorem omnium.

Huc afferte munera * Voluntate libera: * Munera sed cordium.

Haec erit gratissima * Salvatori victima, * Mentis sacrificium.

Offert aurum caritas * Et myrrham austeritas * Et thus desiderium.

Auro rex agnoscitur: * Homo myrrha colitur: * Thure Deus gentium.

Iudaeae, gaudentibus * Non invide gentibus, * Retectum mysterium.

Post custodes ovium * Se Magi fidelium * Iungunt in consortium.

Qui Iudaeos advocat * Christus, gentes convocat * in unum tugurium.

Bethlehem fit hodie * Totius ecclesiae * Nascentis exordium.

Regnet Christus cordibus, * Et victis rebellibus * Proferat imperium. Amen.

Ant. Invenerunt Magi Puerum cum Maria matre eius, et procidentes adoraverunt eum.

℣. Adorabunt eum omnes reges terrae.

℟. Omnes gentes servient ei.

Digitized by Google

Oremus. Deus, qui hodierna die Unigenitum tuum gentibus stella duce revelasti, concede, ut qui iam te ex fide cognovimus, usque ad contemplandam speciem tuae celsitudinis perducamur.

Deus, qui nos ineffabili misericordia de tenebris in admirabile lumen tuum vocare dignatus es, auge in nobis fidei gratiam, quam dedisti, ut eum in Sacramento adorantes, quem Magi venerati sunt in cunabulis, ipsi munera de cordibus nostris Deo digna promamus.

Deus, cuius Unigenitus in substantia nostrae carnis apparuit, praesta quaesumus, ut per eum, quem similem nobis foris agnovimus, intus reformari mereamur, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus per omnia saecula saeculorum. Amen.

5. Tempore Quadragesimae et Passionis.

Hymnus S. Ambrosii.

9. Ex more docti mystico, * Servemus hoc ieiunium * Deno dierum circulo, * Ducto quater notissimo.

Lex et Prophetae primitus * Hoc praetulerunt, postmodum * Christus sacravit, omnium * Rex atque factor temporum.

Utamur ergo parcius * Verbis, cibis et potibus, * Somno, iocis et arctius * Perstemus in custodia.

Vitemus autem noxia, * Quae subruunt mentes vagas, * Nullumque demus callidi * Hostis locum tyrannidi.

Flectamus iram vindicem, * Ploremus ante iudicem, * Clamemus ore supplici, * Dicamus omnes cernui:

Nostris malis offendimus * Tuam, Deus, clementiam: * Effunde nobis desuper, * Remissor, indulgentiam.

Digitized by Google

Memento, quod sumus tui, * Licet caduci plasmatis, * Ne des honorem nominis * Tui, precamur, alteri.

Laxa malum, quod fecimus, * Auge bonum, quod poscimus, * Placere quo tandem tibi * Possimus hic et perpetim.

Praesta, beata Trinitas, * Concede, simplex Unitas, * Ut fructuosa sint tuis * Ieiuniorum munera. Amen.

Ant. Proicite a vobis omnes praevaricationes vestras, et facite vobis cor novum et spiritum novum, quia nolo mortem morientis, dicit Dominus: revertimini et vivite (Ez 18).

℣. Adiuva nos, Deus salutaris noster.

℟. Et propitius esto peccatis nostris propter nomen tuum.

Oremus. Deus, qui non mortem, sed poenitentiam peccatorum desideras, fragilitatem condicionis humanae benignissime respice et concede: ut qui nos cinerem esse et propter pravitatis nostrae meritum in pulverem reversuros cognoscimus, peccatorum omnium veniam et praemia poenitentibus repromissa misericorditer consequi mereamur.

Deus, qui nos salutari providentia, ut a mortifero peccati sopore excitares, diem et horam mortis nescire voluisti: concede nobis ita vigilare omni tempore orantes, ut absque peccati macula de hoc mundo exire et in sinu misericordiae tuae requiescere mereamur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Oremus. Deus, qui Ecclesiam tuam annua quadragesimali observatione purificas, praesta, ut quod a te obtinere abstinendo nititur, hoc bonis operibus exsequatur.

Digitized by Google

Deus, misericordiae dator et totius bonitatis auctor, qui ieiuniis, orationibus et eleemosynis peccatorum remedia et virtutum omnium tribuis incrementa: te humili devotione precamur, ut qui ad haec agenda saluberrimam dedisti doctrinam, ad complendum indefessam tribuas efficaciam.

Deus, nostrum refugium in laboribus, virtus in infirmitatibus, adiutorium in tribulationibus, solamen in fletibus: parce populo tuo, ut dignis flagellationibus castigatus, in tua miseratione respiret. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus per omnia saecula saeculorum. Amen.

In honorem sanctae Crucis.

Hymnus Venantii Fortunati.

10. Pange, lingua, gloriosi * Lauream certaminis, * Et super Crucis trophaeo * Dic triumphum nobilem, * Qualiter Redemptor orbis * Immolatus vicerit.

Lustra sex qui iam peregit, * Tempus implens corporis, * Sponte libera Redemptor * Passioni deditus, * Agnus in Crucis levatur * Immolandus stipite.

Felle potus ecce languet; * Spina, clavi, lancea * Mite corpus perforarunt, * Unda manat et cruor: * Terra, pontus, astra, mundus, * Quo lavantur flumine!

Crux fidelis, inter omnes * Arbor una nobilis, * Nulla silva talem profert * Fronde, flore, germine: * Dulce ferrum, dulce lignum, * Dulce pondus sustinent.

Flecte ramos, arbor alta, * Tensa laxa viscera, * Et rigor lentescat ille, * Quem dedit nativitas, * Et superni membra Regis * Tende miti stipite.

Digitized by Google

Sola digna tu fuisti, * Ferre mundi victimam, * Atque portum praeparare, * Arca mundo naufrago, * Quem sacer cruor perunxit, * Fusus Agni corpore.

Sempiterna sit beatae * Trinitati gloria, * Aequa Patri Filioque, * Par decus Paraclito: * Unius Trinique nomen * Laudet universitas. Amen.

Hymnus S. Bonaventurae.

11. Recordare sanctae Crucis, * Qui perfectam viam ducis, * Delectare iugiter. * Sanctae Crucis recordare, * Et in ipsa meditare * Insatiabiliter.

Cum quiescis aut laboras, * Quando rides, quando ploras, * Doles sive gaudeas: * Quando vadis, quando venis, * In solaciis, in poenis, * Crucem corde teneas.

Crux in omnibus pressuris * Et in gravibus et duris * Est totum remedium: * Crux in poenis et tormentis * Est dulcedo piae mentis * Et verum refugium.

Crux est porta paradisi, * In qua Sancti sunt confisi, * Qui vicerunt omnia. * Crux est mundi medicina, * Per quam bonitas divina * Facit mirabilia.

Crux est salus animarum. * Verum lumen et praeclarum * Et dulcedo cordium. * Crux est vita beatorum * Et thesaurus perfectorum * Et decor et gaudium.

Crux est speculum virtutis, * Gloriosa dux salutis, * Cuncta spes fidelium. * Crux est decus salvandorum * Et solacium eorum * Atque desiderium.

Crux est arbor decorata, * Christi sanguine sacrata, * Cunctis plena fructibus: * Quibus animae eruuntur, * Cum supernis nutriuntur * Cibis in coelestibus.

Specialem fer amorem * Et praecipuum honorem * Cruci salutiferae. * Cum fervore medullarum, * Nixu virium tuarum * Velis hanc diligere.

Digitized by Google

Diligenter pone mentem * Super Christum patientem, * Et ei condoleas. * Christi mortem, christiane, * Plange sero atque mane, * Et in planctu gaudeas.

Quam despectus, quam deiectus * Rex coelorum est effectus, * Ut salvaret saeculum! * Esurivit et sitivit, * Pauper et egenus ivit * Usque ad patibulum.

Cum deductus est Immensus * Et in Cruce tunc suspensus, * Fugerunt discipuli. * Manus, pedes perfoderunt * Et aceto potaverunt * Summum Regem saeculi.

Cuius oculi beati * Sunt in Cruce obscurati, * Et vultus expalluit. * Suo corpori tunc nudo * Non remansit pulchritudo, * Decor omnis aufugit.

Propter hominum peccata * Sua caro cruciata * Fuit inter verbera. * Membra sua sunt distenta * Propter aspera tormenta * Et illata vulnera.

Inter magnos cruciatus * Est in Cruce lacrimatus * Et emisit spiritum. * Suspiremus et fleamus, * Toto corde doleamus * Super Unigenitum.

Crucifixe, fac me fortem, * Ut libenter tuam mortem * Plangam, donec vixero. * Tecum volo vulnerari, * Te libenter amplexari * In Cruce desidero. Amen.

Ant. Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis, ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam aeternam (Io 3).

℣. Eum, qui non noverat peccatum, Deus pro nobis peccatum fecit.

℟. Ut nos efficeremur iustitia Dei in ipso.

Oremus. Respice, quaesumus Domine, super hanc familiam tuam, pro qua Dominus noster Iesus Christus non dubitavit manibus tradi nocentium et Crucis subire tormentum, qui tecum vivit et regnat

Digitized by Google

in unitate Spiritus Sancti Deus per omnia saecula saeculorum. Amen.

Via Crucis.

Praemonitum I. Opus iniunctum ad indulgentias lucrandas est meditatio quamvis brevis de passione Domini. (Clemens XII: Avvertimenti necessarii d. d. 3. Aprilis. 1731.)

Praemonitum II. „Non quidem necessarium, expediens tamen est, legere meditationes seu preces illas passionis mysteriis correspondentes.“ (S. Congr. Indulg. d. d. 16. Febr. 1839.)

Praemonitum III. Commendatur recitatio unius Pater et Ave. „Recitatio orationis Dominicae et angelicae salutationis tam pro unaquaque Viae Crucis statione, quam sexies istas preces iterare post absolutas omnes stationes est tantum laudabilis consuetudo a nonnullis inducta, minime vero necessaria ad lucrifaciendas huius Viae Crucis indulgentias.“ (S. Congr. Indulg. d. d. 2. Iunii 1838.)

Praemonitum IV. „De una ad aliam stationem transeundum est, quantum id permittit sive multitudo personarum, sive angustia loci, in quo stationes erectae sunt.“ (S. Congr. Indulg. d. d. 30. Sept. 1837 et 26. Febr. 1841.)

Praemonitum V. In *publico* Viae Crucis exercitio methodus a S. Leonardo a Portu Mauritio proposita rite servatur, ut videlicet unoquoque de populo suum locum tenente sacerdos cum duobus clericis sive cantoribus circumeat, ac sistens in qualibet statione ibique recitans peculiares consuetas preces, ceteris alternatim respondentibus. (Decr. S. Congr. Indulg. d. d. 23. Iulii 1757.)

Praemonitum VI. Ad lucrandas indulgentias aliquis saltem corporis motus secundum Benedictum XIV requiritur.

Digitized by Google

Oratio praeparatoria.

Suscipe, sancta Trinitas, hoc servitutis meae obsequium, quod ad divinae maiestatis tuae gloriam et in honorem salutiferae passionis Domini nostri Iesu Christi, in satisfactionem peccatorum meorum, ad impetrandam requiem defunctis et vivis gratiam humillime offero. Vehementer doleo, quod te, Deum meum et summum bonum, unquam offenderim. Parce, Domine, et ignosce peccata mea, quae abominor et emendare cupio, per merita eiusdem Redemptoris nostri Iesu Christi, cui cum Deo Patre et Spiritu Sancto laus sit, honor et gloria in sempiterna saecula. Amen.

Introibo viam Crucis: * Iesu, fac me tuae lucis * Illustrari radio.

Esto mihi ductor viae, * Et transfige, Iesu pie, * Cor doloris gladio.

In te credo, spero, Deus. * Amo te, o amor meus, * Da dolenti veniam.

Statio I.

Iesus condemnatur ad mortem.

Ant. ℣. et ℟.: Iesu Christe! Te adoro et per sanctam Crucem oro: Miserere redemptorum.

℣. Condemnatur iudex Deus * Tamquam latro mortis reus * Crucis ad supplicium.

℟. Eris brevi iudex meus: * Iesu, parce, quando reus * Sistar ad iudicium.

℣. Kyrie eleison! ℟. Christe eleison!

℣. Kyrie eleison! Pater noster. Ave Maria.

℣. Adoramus te, Christe, et benedicimus tibi.

℟. Quia per Crucem tuam redemisti mundum.

Digitized by Google

Oremus. Domine Iesu Christe, qui de coelis ad terram descendisti et Sanguinem tuum pretiosissimum in remissionem peccatorum nostrorum fudisti: te humiliter deprecamur, ut in die iudicii ad dexteram tuam audire mereamur: Venite benedicti. Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti Deus per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

Ant. ℣. et ℟.: Parce mihi, parce cunctis, dona requiem defunctis, vivis praebe gratiam. Amen.

Statio II.

Iesus suscipit Crucem.

Ant. ℣. et ℟.: Iesu Christe, te adoro etc. *(ut supra).*

℣. Quanta cordis voluptate, * Quanta Crucem caritate * Tollis, Iesu, bone dux!

℟. Subsequor te, meum ducem, * Laetus tollam omnem crucem, * Dicam: Ave, bona Crux!

℣. Kyrie eleison etc. *(ut supra).*

Statio III.

Iesus prima vice cadit sub Cruce.

℣. Cadit insons agnus fessus, * Gravi mole Crucis pressus * Criminumque pondere.

℟. Iesu, fac, ut firmus vadam, * Et ne ultra praeceps cadam * Scelerum sub onere.

Statio IV.

Iesus obviat Matri.

℣. Vale dicit dulci nato, * Trabe Crucis onerato * Mater corde saucia.

℟. Ah! occurre morienti * Mihi, Mater, et clienti * Affer opem obvia.

Digitized by Google

Statio V.

Simon Cyrenaeus angariatur.

℣. Portat Simon vi adactus, * Non libenter, sed coactus * Sanctae Crucis onera.

℟. Lubens, volens ego feram * Et cum Iesu gaudens geram * Cuncta crucis pondera.

Statio VI.

Veronica Iesu sudarium porrigit.

℣. Iesu, sponse! tuum vultum * Quam deformem et incultum * Pinxit amor sanguine!

℟. Veni, sponsa, contemplare * Sponsi genas et mirare * Tuo tinctas crimine.

Statio VII.

Iesus ad portam cadit secundo.

℣. O quam grave Crucis onus! * Iam secundo pastor bonus * Procidit in faciem.

℟. Iesu, fac, ut tibi vivam, * Et evitem recidivam * Lubricamque glaciem.

Statio VIII.

Iesus filias Ierusalem flentes alloquitur.

℣. Filiae, non me lugete, * Super vosmet ipsas flete * Et natorum scelera.

℟. Iesu! poenitens lugebo, * Detestabor et deflebo * Tenebrarum opera.

Statio IX.

Iesus ad montem Calvariae cadit tertio.

℣. Terna vice virtus Dei * In salutem servi rei * Gravi casu labitur.

Digitized by Google

℟. Cur relabor in delicta, * Cogitata, facta, dicta, * Quibus Iesus sternitur?

Statio X.

Iesus vestibus nudatur.

℣. Coram plebe denudatus * Agnus stat immaculatus, * Matre natus Virgine.

℟. En, lascive, auctor scaenae * Tam pudendae, pondus poenae * Pro patrato crimine.

Statio XI.

Iesus Cruci affigitur.

℣. Manus Iesu perforantur, * Pedes eius terebrantur * Crucis in patibulo.

℟. Me distentae manus istae * Amplexentur, Iesu Christe, * Mortis in articulo.

Statio XII.

Iesus in Cruce moritur.

℣. Pater, tibi me commendo, * Clamat Iesus moriendo, * Et emisit spiritum.

℟. Iesu, tibi me commendo, * Gratus amans cor rependo, * Da felicem exitum.

Statio XIII.

Iesus de Cruce deponitur.

℣. Quantus dolor! dulcem natum, * Mea manu trucidatum, * Mater gerit gremio.

℟. Ah! quid feci? Mater bona, * Parce reo et condona * Poenitenti filio.

Statio XIV.

Iesus sepelitur.

℣. In sepulcro Verbum tacet, * Morte victa Vita iacet, * Ne aeternum moriar.

Digitized by Google

℟. Iesu! precor, spe repletus, * Fac, ut e sepulcro laetus * Tecum coelis oriar.

(Post ultimam stationem dic:)

Oremus. Deus, qui pro redemptione mundi voluisti nasci, circumcidi, a Iudaeis reprobari, a Iuda traditore osculo tradi, vinculis alligari, sicut agnus innocens ad victimam duci, atque conspectibus Annae, Caiphae, Pilati et Herodis indecenter offerri, a falsis testibus accusari, flagellis et opprobriis vexari, sputis conspui, spinis coronari, colaphis caedi, harundine percuti, facie velari, vestibus exui, cruci clavis affigi, in cruce levari, inter latrones deputari, felle et aceto potari et lancea vulnerari: tu, Domine, per has sanctissimas poenas tuas, quas ego indignus recolo, et per sanctam Crucem et mortem tuam libera me a poenis inferni et perducere digneris, quo perduxisti latronem tecum crucifixum. Qui cum Patre et Spiritu Sancto vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

(Adduntur quinque Pater ... Ave ... Gloria Patri[1].)

Hymnus S. Bernardi ad faciem Christi in Cruce pendentis.

12. Salve, Caput cruentatum, * Totum spinis coronatum, * Conquassatum, vulneratum, * Harundine sic verberatum, * Facie sputis illita.

Salve, cuius dulcis vultus, * Immutatus et incultus, * Immutavit suum florem, * Totus versus in pallorem, * Quem coeli tremit curia.

---

[1] Ind. 300 d. semel quotidie; plenaria semel in mense (Pius VII).

Digitized by Google

Omnis vigor atque viror * Huic recessit, non admiror: * Mors apparet in aspectu, * Totus pendens in defectu, * Attritus aegra macie.

Sic affectus, sic despectus, * Propter me sic interfectus: * Peccatori tam indigno * Cum amoris in te signo * Appare clara facie.

In hac tua passione * Me agnosce, pastor bone, * Cuius sumpsi mel ex ore, * Haustum lactis ex dulcore * Prae omnibus deliciis.

Non me reum asperneris, * Nec indignum dedigneris, * Morte tibi iam vicina, * Tuum caput hic inclina, * In meis pausa bracchiis.

Tuae sanctae passioni * Me gauderem interponi, * In hac Cruce tecum mori, * Praesta Crucis amatori, * Sub Cruce tua moriar.

Morti tuae tam amarae * Grates ago, Iesu care, * Qui es clemens, pie Deus, * Fac, quod petit tuus reus, * Ut absque te non finiar.

Dum me mori est necesse, * Noli mihi tunc deesse: In tremenda mortis hora * Veni, Iesu, absque mora * Tuere me et libera.

Cum me iubes emigrare, * Iesu care, tunc appare, * O amator amplectende, * Temet ipsum tunc ostende * In Cruce salutifera. Amen.

Ant. Vidimus eum despectum et novissimum virorum, virum dolorum et sciéntem infirmitatem. Et nos putavimus eum quasi leprosum et percussum a Deo et humiliatum. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra. Disciplina pacis nostrae super eum, et livore eius sanati sumus (Is 53).

℣. Te ergo quaesumus, famulis tuis subveni.

℟. Quos pretioso Sanguine redemisti.

Digitized by Google

Oremus. Domine Iesu Christe, Fili Dei vivi, pone passionem, Crucem et mortem tuam inter iudicium tuum et animam meam, nunc et in hora mortis meae. Largiri mihi digneris gratiam et misericordiam, vivis veniam, defunctis requiem, Ecclesiae tuae pacem, omnibusque pretioso tuo Sanguine nobis redemptis in die resurrectionis vitam et gloriam sempiternam.

Effunde, quaesumus Domine, super famulos tuos Spiritum gratiae et precum, ut ad eum aspicientes, quem peccatis suis confixerunt, Iesum in Cruce exaltatum, pie doleant, cito sanentur et vivant. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

Oratio ad quinque vulnera Christi.

Ad s. vulnus pedis sinistri.

Salve, o benedictum vulnus sinistri pedis tui, mi Iesu, quod in spiritu reverenter exosculor, te ex animo rogans, ut huius tui sacratissimi vulneris merito evellas pedes meos a laqueo, quem statuerunt mihi inimici mei, et a lapsu animam meam praeserves. Non veniat mihi pes superbiae, nec ambulem in mirabilibus super me; sed in animo contrito et spiritu humilitatis a te suscipiar.

Ad sacrum hoc vulnus tuum depono et offero omnem afflictionem meam, ut hanc cum Cruce et passione tua coniungas gratiamque largiaris, qua omnes adversitates et miserias amore tui superem tuaeque me semper voluntati conformem. Amen. Pater noster.

Digitized by Google

Ad s. vulnus pedis dexteri.

Salve, o benedictum vulnus dexteri pedis tui, mi Iesu, quod in spiritu reverenter exosculor, te ex animo rogans, ut huius tui sacratissimi vulneris merito dirigas pedes meos ad currendam viam mandatorum tuorum, ut transeam de virtute in virtutem, donec videam te, Deum ac Dominum meum, in Sion.

Ad hoc sanctum vulnus tuum depono et offero omnem fortunam ac felices successus meos, quos mihi divinae providentiae tuae dispositio clementer indulsit: ne illorum insolentia elatus animus te, summum bonum meum, ad iram unquam provocet Amen. Pater noster.

Ad s. vulnus manus sinistrae.

Salve, o benedictum vulnus sinistrae manus tuae, mi Iesu, quod in spiritu reverenter exosculor, te ex animo rogans, ut huius tui sacratissimi vulneris merito miserearis fragilitatis et inconstantiae meae, et in omni bono proposito me confirmes tantumque mihi insuper amorem praestes, ut dicere queam: Laeva eius sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me.

Ad sacrum hoc vulnus tuum depono omnia peccata mea, quae aut ignorans aut sciens, volens unquam commisi. Tu, mi Iesu, pretiosissimo tuo Sanguine illa abluere digneris, ne coram iustissimo tribunali tuo aeternae damnationis sententiam contra me exposcant. Amen. Pater noster.

Digitized by Google

Ad s. vulnus manus dexterae.

Salve, o benedictum vulnus dexterae manus tuae, mi Iesu, quod in spiritu reverenter exosculor, te ex animo rogans, ut huius tui sacratissimi vulneris merito uberem mihi gratiam et opem contra hostium meorum visibilium et invisibilium conatus largiaris, et novissimo die ad dexteram tuam statuas, ubi laetus audiam: Venite, benedicti!

Ad sacrum hoc vulnus tuum depono et offero tibi omnia bona opera mea (immo tua, quia gratiae tuae omnia, ut debeo, adscribo) cum humillima obsecratione, ut ea tuis sanctissimis operibus unita aeterno Patri offerre meamque inopiam tuis infinitis meritis supplere digneris. Amen. Pater noster.

Ad s. vulnus lateris Christi.

Salve, o benedictum vulnus lateris tui, mi Iesu! Salve, o fons amoris, o thesaure inaestimabilis, o requies animae meae! Ausimne, benignissime Iesu, ad sacram hanc aram, ad hoc Sanctum Sanctorum accedere ardensque amore Cor tuum deosculari? Per infinitam bonitatem tuam oro te, mi Iesu, ne hoc solacio me privare nec ab hac unici me refugii domo arcere velis. Eia anima mea, accurre cum fiducia ad thalamum suavissimi sponsi tui, hic te omnibus molestiis ac curis, quibus opprimeris, exonera: hic desideria tua et cupiditates exple: hic in optatissima pace conquiesce. Videor mihi, o Iesu, amore tuo duce per amabilissimum sacri lateris tui vulnus ad Cor tuum intromitti. Hic

Digitized by Google

te cum profundissima humilitate, o Iesu, oro, ut ignoscas, quidquid unquam corde, ore aut opere in te peccavi. Hoc sacro vulneris tui balneo munda cor meum, et benedicti Cordis tui formam ac speciem imprime tuique amoris igne accende, ne quidquam in posterum praeter te amem aut desiderem.

Ad sacratissimum hoc Cordis tui vulnus, mi Iesu, omnia cordis mei vota ac desideria pono. Ita, oro, cor meum Cordi tuo adstringe, ut nullo unquam tempore ab invicem avellantur, ut vere cum Apostolo exclamem: Quis nos separabit a caritate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius? Certus sum, quia neque mors, neque vita, neque instantia, neque futura, neque ulla creatura poterit nos separare a caritate Dei, quae est in Christo Iesu, Domino nostro. Amen. Pater noster.

Orationes septem de Passione Domini,

septem horis canonicis respondentes.

I. *Ad Matutinum.* Domine Iesu! per amorem, quo tuos in fine dilexisti; per sanguineum sudorem, quem in horto fudisti; per iniurias et dolores, quos a tuo discipulo traditus et venditus, ab impiis Iudaeis ligatus et distractus sustinuisti: absolve meorum vincula peccatorum, et liga hanc animam meam fortissimis caritatis tuae funiculis, qui dissolvi non possunt. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

Digitized by Google

II. *Ad Primam.* Domine Iesu, qui hora diei *prima* Pilato praesentatus, Iudex coelestis iudici terreno, et reus falsorum criminum ab impiis Pontificibus factus fuisti: succurre nobis miseris peccatoribus in iudicio, ut non aeternis suppliciis cum impiis condemnemur, sed tuis fidelibus iungi in coelestibus mereamur. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

III. *Ad Tertiam.* Domine Iesu, qui hora diei *tertia* flagellis caesus et spinis coronatus fuisti: tribue nobis famulis tuis, ut corpora nostra voluntaria castigatione macerantes, sub capite spinoso digna censeri membra mereamur. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

IV. *Ad Sextam.* Domine Iesu, qui hora diei *sexta* transfossis manibus et pedibus e Crucis ligno pependisti, iisdemque clavis damnationis nostrae chirographum in patibulo confixisti: concede animae meae, ut liberatus a servitute peccati, has sanctissimas plagas tuas tamquam insignia liberationis meae semper feram in medio cordis mei. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

V. *Ad Nonam.* Domine Iesu, qui hora diei *nona,* consummatis omnibus, inclinato capite Deo Patri spiritum reddidisti, atque in mortuum hominum genus spiraculum vitae inspirasti: concede mihi peccatori, ut, qui totum me tibi debeo pro me facto, totum me iterum debeam pro refecto, nec iam mihi, sed tibi, qui pro me mortuus es, in perpetuum vivam. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

Digitized by Google

VI. *Ad Vesperas.* Domine Iesu, qui hora diei *vespertina* a Cruce deponi mortuus in sanctissimae Genitricis tuae bracchia voluisti: concede propitius, ut et crucem meam, quam mihi largiri pro tua bonitate volueris, nunquam in vita derelinquam, et in morte ex ea depositus, per clementissimae Matris tuae manus ante te merear praesentari. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

VII. *Ad Completorium.* Domine Iesu, qui hora *Completorii* in sepulcro quievisti, et a Matre tua maestissima et ab aliis mulieribus planctus fuisti: fac nos, quaesumus, tuam sanctissimam passionem veris lacrimis plangere, nec unquam ea, per quae iterum crucifigaris, admittere. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

6. Tempore Paschali.

Hymnus S. Ambrosii.

13. Rex sempiterne Coelitum, * Rerum Creator omnium, * Aequalis ante saecula * Semper parenti Filius.

Nascente qui mundo faber * Imaginem vultus tui * Tradens Adamo, nobilem * Limo iugasti spiritum.

Cum livor et fraus daemonis * Foedasset humanum genus, * Tu, carne amictus, perditam * Formam reformas artifex.

Qui natus olim e Virgine, * Nunc e sepulcro nasceris, * Tecumque nos a mortuis * Iubes sepultos surgere.

Qui pastor aeternus gregem * Aqua lavas baptismatis: * Haec est lavacrum mentium, * Haec est sepulcrum criminum.

Nobis diu qui debitae * Redemptor affixus Cruci, * Nostrae dedisti prodigus * Pretium salutis sanguinem.

Digitized by Google

Ut sis perenne mentibus * Paschale, Iesu, gaudium, * A morte dira criminum * Vitae renatos libera.

Deo Patri sit gloria * Et Filio, qui a mortuis * Surrexit, ac Paraclito * In sempiterna saecula. Amen.

Hymnus.

14. Finita iam sunt proelia, * Est parta iam victoria! * Gaudeamus et canamus: Alleluia.

Post fata mortis barbara * Devicit Iesus tartara. * Applaudamus et psallamus: Alleluia.

Surrexit die tertia, * Coelesti clarus gratia. * Insonemus et cantemus: Alleluia.

Sunt clausa stygis ostia, * Et coeli patent atria. * Gaudeamus et canamus: Alleluia.

Per tua, Iesu, vulnera * Nos mala morte libera, * Ut vivamus et canamus: Alleluia.

Sequentia.

Victimae paschali laudes immolent christiani.

Agnus redemit oves: Christus innocens Patri reconciliavit peccatores.

Mors et vita duello conflixere mirando: dux vitae mortuus regnat vivus.

Dic nobis, Maria, quid vidisti in via?

Sepulcrum Christi viventis, et gloriam vidi resurgentis.

Angelicos testes, sudarium et vestes.

Surrexit Christus, spes mea; praecedet vos in Galilaeam.

Scimus, Christum surrexisse a mortuis vere: tu nobis, Victor Rex, miserere. Amen.

Digitized by Google

Ant. Haec dies, quam fecit Dominus; exsultemus et laetemur in ea (Ps 117).

℣. Confitemini Domino, quoniam bonus.

℟. Quoniam in saeculum misericordia eius.

Oremus. Deus, qui hodierna die per Unigenitum tuum aeternitatis nobis aditum, devicta morte, reserasti: vota nostra, quae praeveniendo aspiras, etiam adiuvando prosequere.

Deus, qui nos in Cruce passus pretio magno redimere voluisti: infunde nobis virtutem auxilii tui, ut nostra te semper vita glorificet.

Deus, qui nos resurrectionis Dominicae annua sollemnitate laetificas, concede propitius, ut per temporalia festa, quae agimus, pervenire ad gaudia aeterna mereamur.

Deus, qui in Filii tui humilitate iacentem mundum erexisti, fidelibus tuis perpetuam concede laetitiam, ut quos perpetuae mortis eripuisti casibus, gaudiis facias perfrui sempiternis. Per eundem Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus per omnia saecula saeculorum. Amen.

7. In Ascensione Domini.

Hymnus.

15. Aeterne Rex altissime, * Redemptor et fidelium, * Cui mors peremptа detulit * Summae triumphum gloriae.

Ascendis orbes siderum, * Quo te vocabat coelitus * Collata, non humanitus * Rerum potestas omnium.

Ut trina rerum machina, * Coelestium, terrestrium, * Et inferorum condita * Flectat genu iam subdita.

Digitized by Google

Tremunt videntes Angeli * Versam vicem mortalium: * Peccat caro, mundat caro, * Regnat Deus Dei caro.

Sis ipse nostrum gaudium, * Manens olympo praemium, * Mundi regis qui fabricam, * Mundana vincens gaudia.

Hinc te precantes quaesumus: * Ignosce culpis omnibus, * Et corda sursum subleva * Ad te superna gratia.

Ut cum repente coeperis * Clarere nube iudicis, * Poenas repellas debitas, * Reddas coronas perditas.

Iesu, tibi sit gloria, * Qui victor in coelum redis, * Cum Patre et almo Spiritu * In sempiterna saecula. Amen.

Ant. Deus, qui dives est in misericordia, propter nimiam caritatem suam, qua dilexit nos, convivificavit nos in Christo et conresuscitavit et consedere fecit in coelestibus in Christo Iesu, ut ostenderet in saeculis supervenientibus abundantes divitias gratiae suae in bonitate super nos in Christo Iesu (Eph 2).

℣. Si consurrexistis cum Christo, quae sursum sunt, quaerite, ubi Christus est in dextera Dei sedens.

℟. Quae sursum sunt, sapite, non quae super terram.

Oremus. Concede, quaesumus omnipotens Deus, ut qui hodierna die Unigenitum tuum ad coelos ascendisse credimus, ipsi quoque mente in coelestibus habitemus.

Praesta, quaesumus omnipotens Deus, ut qui peccatorum nostrorum pondere premimur, interpellante pro nobis ad dexteram tuam mediatore nostro, misericordiae tuae munere sublevemur.

Deus, cuius Unigenitum in infirmitate carnis venisse credimus Salvatorem, et in gloria maiestatis

Digitized by Google

venturum iudicem exspectamus, fac nos eidem in dextera tua regnanti casto timore subiectos, ut in conspectu iudicantis stare cum fiducia mereamur. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

8. In festo Pentecostes.

Invocatio S. Spiritus.

16. Veni, Creator Spiritus,
Mentes tuorum visita,
Imple superna gratia,
Quae tu creasti pectora.

Qui diceris Paraclitus,
Altissimi donum Dei,
Fons vivus, ignis, caritas
Et spiritalis unctio.

Tu septiformis munere,
Digitus Paternae dexterae,
Tu rite promissum Patris,
Sermone ditans guttura.

Accende lumen sensibus,
Infunde amorem cordibus,
Infirma nostri corporis
Virtute firmans perpeti.

Hostem repellas longius,
Pacemque dones protinus:
Ductore sic te praevio,
Vitemus omne noxium.

Per te sciamus da Patrem,
Noscamus atque Filium,
Teque utriusque Spiritum
Credamus omni tempore.

Deo Patri sit gloria
Et Filio, qui a mortuis
Surrexit, ac Paraclito
In saeculorum saecula. Amen [1].

---

[1] Ex decr. d. 20 Iunii 1899 (D. auth. n. 4036) ita nunc S. R. C. conclusionem per totum annum occurrente quocumque festo fieri iussit.

Digitized by Google

Sequentia Missae.

17. Veni, Sancte Spiritus, * Et emitte coelitus * Lucis tuae radium.

Veni, pater pauperum, * Veni, dator munerum, * Veni, lumen cordium.

Consolator optime, * Dulcis hospes animae, * Dulce refrigerium.

In labore requies, * In aestu temperies, * In fletu solacium.

O lux beatissima, * Reple cordis intima * Tuorum fidelium.

Sine tuo numine * Nihil est in homine, * Nihil est innoxium.

Lava quod est sordidum, * Riga quod est aridum, * Sana quod est saucium.

Flecte quod est rigidum, * Fove quod est frigidum, * Rege quod est devium.

Da tuis fidelibus, * In te confidentibus, * Sacrum septenarium.

Da virtutis meritum, * Da salutis exitum, * Da perenne gaudium. Amen [1].

Ant. Veni, Sancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium, et tui amoris in eis ignem accende.

℣. Emitte Spiritum tuum et creabuntur.

℟. Et renovabis faciem terrae.

Oremus. Deus, qui (hodierna die) corda fidelium Sancti Spiritus illustratione docuisti, da nobis in

---

[1] Qui corde contrito sequentiam *aut* hymnum praecedentem recitaverit, lucrari potest: a) Ind. 100 d. t. q. b) Ind. 300 d. in festo Pentecostes et per Octavam. c) Ind. plenariam semel in mense (Pius VI).

Digitized by Google

eodem Spiritu recta sapere, et de eius semper consolatione gaudere. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate eiusdem Spiritus Sancti Deus per omnia saecula saeculorum. Amen.

Hymnus.

18. Lux iucunda, lux insignis, * Qua de throno missus ignis * In Christi discipulos * Corda replet, linguas ditat, * Ad concordes nos invitat * Linguae, cordis modulos.

Christus misit, quod promisit, * Pignus sponsae, quam revisit, * Die quinquagesimo. * Post dulcorem melleum * Petra fudit oleum, * Petra iam firmissima.

In tabellis saxeis, * Non in linguis igneis * Lex de monte populo: * Paucis cordis novitas * Et linguarum unitas * Datur in coenaculo.

O quam felix, quam festiva * Dies, in qua primitiva * Fundatur Ecclesia. * Vivae sunt primitiae * Nascentis Ecclesiae, * Tria primum millia.

Panes legis primitivi * Sub una sunt adoptivi * Fide duo populi: * Se duobus interiecit, * Sicque duos unum fecit * Lapis, caput anguli.

Utres novi, non vetusti, * Sunt capaces novi musti, * Vasa parat vidua: * Liquorem dat Elisaeus, * Nobis sacrum rorem Deus, * Si corda sint congrua.

Non hoc musto vel liquore, * Non hoc sumus digni rore, * Si discordes moribus: * In obscuris vel divisis * Non potest haec paraclisis * Habitare cordibus.

Consolator alme, veni: * Linguas rege, corda leni, * Nihil fellis aut veneni * Sub tua praesentia. * Tu es lumen et unguentum, * Tu coeleste condimentum, * Aquae ditans elementum * Virtute mysterii.

Digitized by Google

Nova facti creatura, * Te laudamus mente pura, * Gratiae nunc, sed natura * Prius irae filii. * Tu, qui dator es et donum, * Tu, qui cordis omne bonum, * Cor ad laudem redde pronum, * Nostrae linguae formans sonum * In tua praeconia.

Tu nos purga a peccatis, * Auctor ipse puritatis, * Et in Christo renovatis * Da perfectae novitatis * Plena nobis gaudia. Amen.

Oremus. Mentibus nostris, quaesumus Domine, Spiritum Sanctum benignus infunde, cuius et sapientia conditi sumus, et providentia gubernamur.

Adsit nobis, quaesumus Domine, virtus Spiritus Sancti, quae et corda nostra clementer expurget et ab omnibus tueatur adversis.

Deus, cui omne cor patet et omnis voluntas loquitur, et quem nullum latet secretum, purifica per infusionem Sancti Spiritus cogitationes cordis nostri, ut te perfecte diligere et digne laudare mereamur. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Preces ad impetranda dona Spiritus Sancti.

1. Veni, o Spiritus *Sapientiae!* instrue cor meum, ut sciam aestimare et amare bona coelestia, eaque terrenis omnibus anteponere. Monstra insuper viam, qua illa consequi aeternumque possidere valeam. Amen.

Pater noster.

2. Veni, o Spiritus *Intellectus!* illumina mentem meam, ut omnia salutis mysteria percipiam et amplectar, clareque tandem in lumine tuo lumen

Digitized by Google

aeternum videre, plenamque tui, Patrisque ac Filii cognitionem obtinere merear. Amen.

Pater noster.

3. Veni, o Spiritus *Consilii!* assiste mihi in omnibus instabilis huius vitae negotiis: mentem in bonum inclina et a malo absterre, meque per rectum mandatorum tuorum tramitem ad optatam salutis aeternae metam dirige. Amen.

Pater noster.

4. Veni, o Spiritus *Fortitudinis!* da robur cordi meo, illudque in omni perturbatione et adversis casibus confirma, virtutemque contra noxios inimicorum meorum conatus largire, neunquam victus a te summo bono meo separer. Amen.

Pater noster.

5. Veni, o Spiritus *Scientiae!* fac, ut caduca huius mundi bona eorumque vanitatem perspiciam et contemnam, neque aliter eis utar, quam ad tuam unius gloriam meamque salutem: tua vero aeterna praemia omnibus rebus terrenis anteponam. Amen.

Pater noster.

6. Veni, o Spiritus *Pietatis!* cor meum ad veram pietatem et sanctum Domini mei amorem impelle, ut hunc in omni devotione mea semper quaeram et in vera dilectione inveniam. Amen.

Pater noster.

7. Veni, o Spiritus *Timoris Domini!* confige timore tuo carnes meas, ut provideam te Dominum meum in conspectu meo semper, omniaque sollicite

Digitized by Google

caveam, quae purissimis divinae maiestatis tuae oculis displicere possunt. Amen.

Pater noster.

9. In festo SS. Trinitatis.

Hymnus.

19. Aeterna lux, Divinitas! * In unitate Trinitas! * Te confitemur debiles, * Te deprecamur supplices.

Summum Parentem credimus, * Natumque Patris unicum, * Et caritatis vinculum, * Qui iungit illos, Spiritum.

Ut comprehendit se Pater, * Gignit coaevum Filium, * Sic utriusque Spiritus * Amore procedit Deus.

Nil maius hic aut sanctius, * Aequale numen omnibus, * Una est trium substantia, * Aequalis illis gloria.

Tres una sunt immensitas, * Tres una summa veritas, * Tres una summa caritas * Et nostra sunt felicitas.

O veritas, o caritas, * O finis et felicitas! * Sperare fac et credere, * Amare fac et consequi!

Tu finis et exordium, * Rerumque fons es omnium, * Tu solus ens es entium * Et certa spes credentium!

Qui cuncta solus efficis * Cunctisque solus sufficis, * Tu solus lux es omnibus * Et praemium sperantibus!

Origo Verbi Tu Pater, * Aequale Verbum origini, * Par ex utroque Spiritus, * Vobis Triuni gloria! Amen.

Ant. Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus omnipotens, qui erat, et qui est, et qui venturus est (Apc 4).

℣. Benedicamus Patrem et Filium cum Sancto Spiritu.

℟. Laudemus et superexaltemus eum in saecula.

Digitized by Google

Oremus. Omnipotens sempiterne Deus, qui dedisti famulis tuis in confessione verae fidei aeternae Trinitatis gloriam agnoscere et in potentia maiestatis adorare unitatem: quaesumus, ut eiusdem fidei firmitate ab omnibus semper muniamur adversis. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

℣. O Domine, quia ego servus tuus.

℟. Ego servus tuus et filius ancillae tuae.

Oremus. Deus, vita fidelium, gloria humilium, beatitudo iustorum, propitius accipe supplicum preces, ut animae, quae promissiones tuas sitiunt, de tui amoris abundantia repleantur. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

10. In festo SS. Corporis Christi.

Hymni S. Thomae Aquinatis.

1.

20. Pange, lingua, gloriosi * Corporis mysterium * Sanguinisque pretiosi, * Quem in mundi pretium * Fructus ventris generosi * Rex effudit gentium!

Nobis datus, nobis natus * Ex intacta Virgine, * Et in mundo conversatus, * Sparso verbi semine, * Sui moras incolatus * Miro clausit ordine.

In supremae nocte coenae * Recumbens cum fratribus * Observata lege plene * Cibis in legalibus, * Cibum turbae duodenae * Se dat suis manibus.

Verbum Caro panem verum * Verbo Carnem efficit * Fitque Sanguis Christi merum: * Et si sensus deficit, * Ad firmandum cor sincerum * Sola fides sufficit.

Tantum ergo Sacramentum * Veneremur cernui: * Et antiquum documentum * Novo cedat ritui: * Praestet fides supplementum * Sensuum defectui.

Digitized by Google

Genitori Genitoque * Laus et iubilatio, * Salus, honor, virtus quoque * Sit et benedictio: * Procedenti ab utroque * Compar sit laudatio. Amen.

Ant. Ego sum panis vitae: qui venit ad me, non esuriet; et qui credit in me, non sitiet umquam.

℣. Sicut adipe et pinguedine repleatur anima mea.

℟. Et labiis exsultationis laudabit os meum.

Oremus. Deus, qui Unigenitum tuum dedisti summum Sacerdotem eique ad sacrificandum tibi hostiam mundam sacerdotes ministros sociasti, quaesumus, ut omnes, qui vocatione tam sancta dignati sunt, altari tuo devote ministrent et se ipsos hostiam vivam et sanctam offerre mereantur. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

2.

21. Verbum supernum prodiens, * Nec Patris linquens dexteram, * Ad opus suum exiens, * Venit ad vitae vesperam.

In mortem a discipulo * Suis trandendus aemulis, * Prius in vitae ferculo * Se tradidit discipulis.

Quibus sub bina specie * Carnem dedit et Sanguinem, * Ut duplicis substantiae * Totum cibaret hominem.

Se nascens dedit socium, * Convescens in edulium, * Se moriens in pretium, * Se regnans dat in praemium.

O salutaris Hostia, * Quae coeli pandis ostium: * Bella premunt hostilia, * Da robur, fer auxilium.

Uni trinoque Domino * Sit sempiterna gloria, * Qui vitam sine termino * Nobis donet in patria. Amen.

Ant. Ego sum panis vivus, qui de coelo descendi. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in

Digitized by Google

aeternum: et panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.

℣. Panem coeli dedit eis.

℟. Panem Angelorum manducavit homo.

Oremus. Deus, cuius visione satiantur Angeli et Beati, da nobis alimonia tui pretiosi Corporis et Sanguinis sic digne et laudabiliter pasci, ut fruitionem cum illis possimus perenniter adipisci. Qui vivis etc.

3.

22. Adoro te devote, latens Deitas, * Quae sub his figuris vere latitas: * Tibi se cor meum totum subicit, * Quia te contemplans totum deficit.

Visus, gustus, tactus in te fallitur, * Sed auditu solo tuto creditur: * Credo, quidquid dixit Dei Filius; * Nil hoc verbo Veritatis verius.

In cruce latebat sola Deitas, * At hic latet simul et humanitas: * Ambo tamen credens atque confitens, * Peto, quod petivit latro poenitens.

Plagas, sicut Thomas, non intueor, * Deum tamen meum te confiteor: * Fac me tibi semper magis credere, * In te spem habere, te diligere.

O memoriale mortis Domini, * Panis vivus, vitam praestans homini: * Praesta meae menti de te vivere, * Et te illi semper dulce sapere.

Pie pelicane, Iesu Domine, * Me immundum munda tuo sanguine: * Cuius una stilla salvum facere * Totum mundum quit ab omni scelere.

Iesu, quem velatum nunc aspicio, * Oro fiat illud, quod tam sitio: * Ut te revelata cernens facie, * Visu sim beatus tuae gloriae. Amen.

Digitized by Google

Ant. Amen, amen, dico vobis: Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam, et ego resuscitabo eum in novissimo die.

℣. Cibavit eos ex adipe frumenti.

℟. Et de petra melle saturavit eos.

Oremus. Deus, qui Ecclesiam tuam pretioso Corpore et Sanguine tuo mirabiliter reficis, infunde in eam Spiritum vivificantem, ut coelestis cibi participatione de te vivens in terris, tecum vivere mereatur in coelis. Qui vivis etc.

4.

23. Sacris sollemniis iuncta sint gaudia, * Et ex praecordiis sonent praeconia; * Recedant vetera, nova sint omnia, * Corda, voces et opera.

Noctis recolitur coena novissima, * Qua Christus creditur agnum et azyma * Dedisse fratribus, iuxta legitima * Priscis indulta patribus.

Post agnum typicum, expletis epulis, * Corpus Dominicum datum discipulis, * Sic totum omnibus, quod totum singulis, * Eius fatemur manibus.

Dedit fragilibus Corporis ferculum, * Dedit et tristibus Sanguinis poculum, * Dicens: Accipite, quod trado vasculum, * Omnes ex eo bibite.

Sic sacrificium istud instituit, * Cuius officium committi voluit * Solis presbyteris, quibus sic congruit, * Ut sumant et dent ceteris.

Panis angelicus fit panis hominum: * Dat panis coelicus figuris terminum: * O res mirabilis! manducat Dominum * Pauper, servus et humilis.

Digitized by Google

Te, trina Deitas unaque, poscimus, * Sic nos tu visita, sicut te colimus: * Per tuas semitas duc nos, quo tendimus, * Ad lucem, quam inhabitas. Amen.

Ant. Caro mea vere est cibus et sanguis meus vere est potus: qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in eo.

℣. Gustate et videte.

℟. Quoniam suavis est Dominus.

Oremus. Deus, qui nos per divinissimi Sacramenti Corporis et Sanguinis tui veneranda commercia unius summae divinitatis participes efficis: praesta quaesumus, ut sicut tuam cognoscimus veritatem, sic eam dignis moribus assequamur. Qui vivis etc.

5.

24. Lauda, Sion, Salvatorem, * Lauda ducem et pastorem * In hymnis et canticis.

Quantum potes, tantum aude: * Quia maior omni laude, * Nec laudare sufficis.

Laudis thema specialis, * Panis vivus et vitalis, * Hodie proponitur.

Quem in sacrae mensa coenae * Turbae fratrum duodenae * Datum non ambigitur.

Sit laus plena, sit sonora, * Sit iucunda, sit decora * Mentis iubilatio.

Dies enim sollemnis agitur, * In qua mensae prima recolitur * Huius institutio.

In hac mensa novi regis * Novum pascha novae legis * Phase vetus terminat.

Vetustatem novitas, * Umbram fugat veritas, * Noctem lux eliminat.

Digitized by Google

Quod in coena Christus gessit, * Faciendum hoc expressit * In sui memoriam.

Docti sacris institutis * Panem, vinum in salutis * Consecramus hostiam.

Dogma datur Christianis, * Quod in carnem transit panis * Et vinum in sanguinem.

Quod non capis, quod non vides, * Animosa firmat fides, * Praeter rerum ordinem.

Sub diversis speciebus, * Signis tantum et non rebus, * Latent res eximiae.

Caro cibus, sanguis potus: * Manet tamen Christus totus * Sub utraque specie.

A sumente non concisus, * Non confractus, non divisus, * Integer accipitur.

Sumit unus, sumunt mille, * Quantum isti, tantum ille, * Nec sumptus consumitur.

Sumunt boni, sumunt mali, * Sorte tamen inaequali, * Vitae vel interitus.

Mors est malis, vita bonis: * Vide paris sumptionis * Quam sit dispar exitus.

Fracto demum Sacramento, * Ne vacilles, sed memento, * Tantum esse sub fragmento, * Quantum toto tegitur.

Nulla rei fit scissura: * Signi tantum fit fractura, * Qua nec status nec statura * Signati minuitur.

Ecce Panis Angelorum, * Factus cibus viatorum, * Vere panis filiorum, * Non mittendus canibus.

In figuris praesignatur, * Cum Isaac immolatur: * Agnus Paschae deputatur: * Datur Manna patribus.

Bone Pastor, panis vere, * Iesu, nostri miserere, * Tu nos pasce, nos tuere, * Tu nos bona fac videre * In terra viventium.

Digitized by Google

Tu, qui cuncta scis et vales, * Qui nos pascis hic mortales, * Tuos ibi commensales, * Cohaeredes et sodales * Fac sanctorum civium. Amen.

Ant. Sicut misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem: et qui manducat me, et ipse vivet propter me.

℣. Iusti epulentur et exsultent.

℟. Et delectentur in laetitia.

Oremus. Domine Deus, qui transiturus ex hoc mundo ad Patrem, in Sacramento amoris tui nobiscum remanere voluisti: concede quaesumus, ut te velatum adorantes in terris, revelata facie contemplari mereamur in coelis. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

Alius Hymnus.

25. O esca viatorum! * O panis Angelorum! * O manna coelitum! * Esurientes ciba, * Dulcedine ne priva * Corda quaerentium!

O lympha, fons amoris, * Qui puro Salvatoris * E corde profluis: * Te sitientes pota, * Haec sola nostra vota, * His una sufficis!

O Iesu, tuum vultum, * Quem colimus occultum * Sub panis specie: * Fac, ut remoto velo * Post libera in coelo * Cernamus acie!

Ant. O sacrum convivium, in quo Christus sumitur, recolitur memoria passionis eius, mens impletur gratia, et futurae gloriae nobis pignus datur.

℣. Panem de coelo praestitisti nobis, Domine.

℟. Omne delectamentum in se habentem.

Digitized by Google

Oremus. Deus, qui nobis sub Sacramento mirabili passionis tuae memoriam reliquisti, tribue quaesumus, ita nos Corporis et Sanguinis tui sacra mysteria venerari, ut redemptionis tuae fructum in nobis iugiter sentiamus. Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti Deus per omnia saecula saeculorum. Amen.

II. In honorem SS. Cordis Iesu.

Hymni.

1.

26. *Cor, arca legem continens* * Non servitutis veteris, * Sed gratiae, sed veniae, * Sed et misericordiae.

Cor sanctuarium novi * Intemeratum foederis, * Templum vetusto sanctius, * Velumque scisso utilius.

Te vulneratum caritas * Ictu patenti voluit, * Amoris invisibilis * Ut veneremur vulnera.

Hoc sub amoris symbolo * Passus cruenta et mystica, * Utrumque sacrificium * Christus sacerdos obtulit.

Quis non amantem redamet? * Quis non redemptus diligat, * Et corde in isto seligat * Aeterna tabernacula?

Decus Parenti et Filio * Sanctoque sit Spiritui, * Quibus potestas, gloria * Regnumque in omne est saeculum. Amen.

2.

27. *Cor Iesu, Cor purissimum,* * Cor, ara sanctitatis! * Cor meum purga sordidum, * Infectum tot peccatis! * Qui movet tibi vomitum, * Auferto hinc teporem: * Infunde novum spiritum * Et spiritus fervorem.

Cor mite, Cor humillimum, * Cor plenum bonitatis, * Cor tuo da simillimum, * Da ignem caritatis. * Sed quid? si vel seraphico * Amore cor flagraret, * Non tamen hoc incendio, * Non satis te amaret.

Digitized by Google

Ut ergo te diligere, * Cor Iesu, possim satis, * Immensum da, quo amas me, * Ardorem caritatis. * Hoc, hoc amoris iaculo * Cor meum accendatur, * Et huius ab incendio * In cineres solvatur.

O mors exoptatissima, * Sic mori vi amoris! * Amoris sit cor victima * Pro Corde Redemptoris. * Amore tui moriar, * Cor Iesu, amor meus, * Ut novo corde ordiar * Amare te, o Deus. Amen.

3.

28. *Summi Parentis Filio,* * Patri futuri saeculi, * Pacis beatae Principi * Promamus ore canticum.

Qui vulneratus pectore * Amoris ictum pertulit, * Amoris urens ignibus, * Iesum qui amantem diligunt.

Iesu doloris victima, * Quis te innocentem compulit, * Dura ut apertum lancea * Latus pateret vulneri?

O fons amoris inclyte! * O vena aquarum limpida! * O flamma adurens crimina! * O Cordis ardens caritas!

In Corde, Iesu, iugiter * Reconde nos, ut uberi * Dono fruamur gratiae, * Coelique tandem gaudiis.

Semper Parenti et Filio * Sit laus, honor, sit gloria, * Sancto simul Paraclito * In saeculorum saecula. Amen.

Ant. Venite ad me omnes, qni laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos: Tollite iugum meum super vos et discite a me, quia mitis sum et humilis Corde, et invenietis requiem animabus vestris.

℣. Iesu, mitis et humilis Corde.

℟. Fac cor meum sicut Cor tuum [1].

---

[1] Ind. 300 d. s. i. d. (Pius IX).

Digitized by Google

Oremus. Concede, quaesumus omnipotens Deus, ut qui in sanctissimo dilecti Filii tui Corde gloriantes, praecipua in nos caritatis eius beneficia recolimus, eorum pariter et actu delectemur et fructu. Per eundem Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum etc. Amen.

Formula consecrationis ad SS. Cor Iesu,
quam recitandam praescripsit Leo PP. XIII litteris encyclicis die 25 Maii 1899.

Iesu dulcissime, | Redemptor humani generis, | respice nos ad altare tuum humillime provolutos. | Tui sumus, | tui esse volumus; | quo autem tibi coniuncti firmius esse possimus, | en hodie Sacratissimo Cordi tuo | se quisque nostrum sponte dedicat. | Te quidem multi novere nunquam: | Te, spretis mandatis tuis, | multi repudiarunt. | Miserere utrorumque, | benignissime Iesu: | atque ad sanctum Cor tuum rape universos. | Rex esto, Domine, | nec fidelium tantum, | qui nullo tempore discessere a te, sed etiam prodigorum filiorum, | qui te reliquerunt: | Fac hos, ut domum paternam cito repetant, | ne miseria et fame pereant. | Rex esto eorum, quos aut opinionum error deceptos habet, | aut discordia separatos, | eosque ad portum veritatis | atque ad unitatem fidei revoca, | ut brevi fiat unum ovile et unus pastor. | Rex esto denique eorum omnium, | qui in vetere gentium superstitione versantur, | eosque e tenebris vindicare ne renuas | in Dei lumen et regnum. | Largire, Domine, ecclesiae tuae | securam cum incolumitate libertatem; | largire

Digitized by Google

cunctis gentibus tranquillitatem ordinis: | perfice, | ut ab utroque terrae vertice una resonet vox: | Sit laus divino Cordi, | per quod nobis parta salus: | ipsi gloria et honor in saecula. | Amen.

Actus consecrationis ad Sacratissimum Cor Iesu.

Dulcissime Iesu, fons amoris, pater misericordiarum et Deus totius consolationis, qui ineffabiles Cordis tui divitias nobis miseris et indignis aperire dignatus es: ego N. in gratiarum actionem pro innumeris in me ceterosque homines collatis beneficiis ac praesertim pro SS. Eucharistiae institutione, et ad reparandas iniurias omnes a me et ab aliis quibuscumque in hoc infiniti amoris mysterio Cordi tuo amantissimo illatas, eidem sacratissimo Cordi tuo me totum et omnia mea devoveo cum omnibus bonis ac meritis ex gratia tua acquisitis vel acquirendis, promittens me divini Cordis tui cultum, quantum pro mea tenuitate licuerit, propagaturum.

Insuper beatissimam Virginem Mariam in peculiarem matrem mihi eligo huiusque purissimo cordi me et omnia mea pariter trado et devoveo, promittens me huius piissimae Matris cultum iuxta Ecclesiae mentem, quantum in me erit, propagaturum.

A tua ergo immensa bonitate et clementia peto suppliciter, ut hoc holocaustum in odorem suavitatis admittere digneris, et ut largitus es ad hoc desiderandum et offerendum, sic etiam ad explendum gratiam uberem largiaris. Amen.

Digitized by Google

Salutatio Sanctissimi Cordis Iesu.

Salve, Cor Iesu dulcissimum, suavisonum Sanctissimae Trinitatis instrumentum! Salve cor Iesu amantissimum, omnium divitiarum Dei nobilissimum aerarium! Millies et millies benedico et saluto tuam divinam bonitatem, quia es fons et origo, ex qua omnis bonitas et misericordia scaturit. O nobile et pretiosum Cor Iesu Christi! per mutuam gratitudinem colendae Trinitatis saluto et adoro te ob abundantiam omnium gratiarum, quae effluxerunt et sine fine effluent in omnes sanctas et devotas animas, quas totas irrigasti et inebriasti torrente divinae voluptatis tuae!

O Cor Iesu, Cor dulce! O Cor Iesu, Cor suave! O Cor Iesu, Cor amabile! O Cor Iesu, manans dulcedine, redundans pietate, affluens caritate! In tua intima penetralia immergo spiritum meum, et in profundo tuae misericordiae sepelio totum pondus iniquitatis et neglegentiae meae. Tibi offero omnes meos labores et sudores; tibi dedico omnes meas angustias et miserias; tibi commendo vitam et finem vitae meae. O Cor, aroma dulcissimum, incensum suavissimum, sacrificium dignissimum: offer temet ipsum super reconciliationis humanae altare aureum in supplementum omnium, quos vixi dierum, in quibus Deo non detuli fructum.

Benedico tibi, Cor Iesu nobilissimum, ob illum amorem, quo a Spiritu Sancto ex castissimo Mariae Virginis sanguine es creatum! Glorifico te, Cor Iesu dulcissimum, ob illum amorem, quo a sanctissima

Digitized by Google

Trinitate omnibus coelestibus donis es decoratum. Magnifico te, Cor Iesu mitissimum, ob illum amorem, quo semper erga genus humanum arsisti. Veneror te, Cor Iesu benignissimum, ob illum amorem, quo in Cruce moriens disruptum fuisti. Collaudo te, Cor Iesu fidissimum, ob illum amorem, quo lancea transfigi, sanguinemque et aquam destillare voluisti.

Te igitur, o sanctissima omnique laude dignissima Trinitas, per illud Cor summe benedictum laudo, glorifico et benedico, quod potueris, sciveris atque volueris huic nobilissimo Cordi tam multiplicia dona gratiarumque abundantiam conferre, et summo, quo possum, affectu et reverentia offero tuae supremae maiestati id ipsum Cor dulcissimum atque unice dignissimum omni honore, quia plenum est divina gratitudine ac beatitudinis perfectione excellens in perpetuum, atque oro, ut per ipsum supplere ac perfecte restaurare digneris, quidquid mali commisi et in omni bono neglexi. Amen.

Pro agonizantibus.

O clementissime Iesu, amator animarum, obsecro te per agoniam Cordis tui sanctissimi et per dolores Matris tuae immaculatae, lava in Sanguine tuo peccatores totius mundi nunc positos in agonia et hodie morituros. Amen.

Cor Iesu in agonia factum, miserere morientium [1].

---

[1] Ind. 100 d. t. q.; plenaria semel in mense (Pius IX).

Digitized by Google

12. In dedicatione Ecclesiae.

Hymnus.

29. Coelestis urbs Ierusalem, * Beata pacis visio, * Quae celsa de viventibus * Saxis ad astra tolleris, * Sponsaeque ritu cingeris * Mille Angelorum millibus.

O sorte nupta prospera, * Dotata Patris gloria, * Respersa sponsi gratia, * Regina formosissima, * Christo iugata Principi, * Coeli corusca civitas.

Hic margaritis emicant, * Patentque cunctis ostia: * Virtute namque praevia * Mortalis illuc ducitur, * Amore Christi percitus * Tormenta quisquis sustinet.

Scalpri salubris ictibus, * Et tunsione plurima, * Fabri polita malleo * Hanc saxa molem construunt, * Aptisque iuncta nexibus * Locantur in fastigio.

Decus Parenti debitum * Sit usquequaque Altissimo * Natoque Patris unico * Et inclyto Paraclito, * Cui laus, potestas, gloria * Aeterna sit per saecula. Amen.

Ant. Non estis hospites et advenae, sed estis cives Sanctorum et domestici Dei, superaedificati super fundamentum Apostolorum et Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu: in quo omnis aedificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino, in quo et vos coaedificamini in habitaculum Dei in Spiritu.

℣. Christi domus sumus nos.

℟. Si fiduciam et gloriam spei usque ad finem firmam retineamus.

Oremus. Deus, qui nobis per singulos annos huius sancti templi tui consecrationis reparas diem, et sacris semper mysteriis repraesentas incolumes:

Digitized by Google

exaudi preces populi tui et praesta, ut quisquis hoc templum beneficia petiturus ingreditur, cuncta se impetrasse laetetur.

Dona, Domine, virtutem populo tuo, et effice nos templum Spiritus Sancti, ut tibi de corde puro holocaustum acceptabile semper offeramus.

Deus, qui nobis aeterna supernae Ierusalem gaudia per temporalem huius sancti templi tui sollemnitatem adumbrare voluisti: fac nos, quaesumus, ita diligere decorem domus tuae, ut et ipsi templum gratiae tuae in terris et locus habitationis gloriae tuae fieri mereamur in coelis. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus per omnia saecula saeculorum. Amen.

13. In gratiarum actionem.

Te Deum laudamus: * te Dominum confitemur.

Te aeternum Patrem * omnis terra veneratur.

Tibi omnes Angeli, * tibi coeli et universae Potestates.

Tibi Cherubim et Seraphim * incessabili voce proclamant:

Sanctus, Sanctus, Sanctus * Dominus Deus Sabaoth.

Pleni sunt coeli et terra * Maiestatis gloriae tuae.

Te gloriosus * Apostolorum chorus,

Te Prophetarum * laudabilis numerus,

Te Martyrum candidatus * laudat exercitus.

Te per orbem terrarum * sancta confitetur Ecclesia,

Digitized by Google

Patrem * immensae maiestatis,

Venerandum tuum verum * et unicum Filium

Sanctum quoque * Paraclitum Spiritum.

Tu rex gloriae, * Christe,

Tu Patris * sempiternus es Filius.

Tu ad liberandum suscepturus hominem * non horruisti Virginis uterum.

Tu, devicto mortis aculeo, * aperuisti credentibus regna coelorum.

Tu ad dexteram Dei sedes * in gloria Patris

Iudex crederis * esse venturus.

Te ergo quaesumus, tuis famulis subveni, * quos pretioso Sanguine redemisti.

Aeterna fac cum Sanctis tuis * in gloria numerari.

Salvum fac populum tuum, Domine, * et benedic haereditati tuae.

Et rege eos * et extolle illos usque in aeternum.

Per singulos dies * benedicimus te,

Et laudamus nomen tuum in saeculum * et in saeculum saeculi.

Dignare, Domine, die isto * sine peccato nos custodire.

Miserere nostri, Domine, * miserere nostri.

Fiat misericordia tua, Domine, super nos, * quemadmodum speravimus in te.

In te, Domine, speravi: * non confundar in aeternum.

℣. Benedicamus Patrem et Filium cum Sancto Spiritu. (Alleluia.)

℟. Laudemus et superexaltemus eum in saecula. (Alleluia.)

Digitized by Google

℣. Benedictus es, Domine, Deus patrum nostrorum. (Alleluia.)

℟. Et laudabilis et gloriosus in saecula. (Alleluia.)

℣. Benedictus es, Domine Deus, in firmamento coeli. (Alleluia.)

℟. Et laudabilis et gloriosus et superexaltatus in saecula. (Alleluia.)

℣. Benedic, anima mea, Domino. (Alleluia.)

℟. Et noli oblivisci omnes retributiones eius. (Alleluia.)

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Deus, cuius misericordiae non est numerus et bonitatis infinitus est thesaurus: piissimae maiestati tuae pro collatis donis gratias agimus, tuam semper clementiam exorantes, ut qui petentibus postulata concedis, eosdem non deserens ad praemia futura disponas. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

II. Hymni et preces in honorem B. Mariae Virginis.

1. In festo Immaculatae Conceptionis.

Hymnus Ioannis Cardinalis de Geissel.

30. Virgo virginum praeclara, * Praeter omnes Deo cara, * Dominatrix coelitum: * Fac nos pie te cantare, * Praedicare et amare, * Audi vota supplicum.

Digitized by Google

Quis est dignus, laude digna * Te laudare, o benigna, * Virgo, fons charismatum! * Gratiis es tota plena, * Tota pulchra et serena, * Dei tabernaculum.

O quam magna tibi fecit, * Qui potens est, et adiecit * Gratiam ad gratiam! * Qui coelum terramque regit, * Matrem sibi te elegit, * Sponsam atque filiam.

Ante mundum te dilectam * Et prae omnibus electam, * Coelorum delicias, * A peccato non redemit, * Sed iam antea exemit, * Emptorum primitias.

Virgo vere benedicta, * Culpa nunquam es obstricta * Hocce in exsilio: * Sine labe es concepta, * Magno lapsui erepta * Summo privilegio.

Contendebat certatura * Tunc cum gratia natura, * Gratia praevaluit: * A peccato praeservatam * Immunemque illibatam * Mire te constituit.

Eva nova novae legis, * Praeelecta summi Regis, * Consors eius gloriae: * Tu draconem domuisti, * Forti pede contrivisti * Victrix caput satanae.

Semper fulgens munda stola, * Inter mundas munda sola * Ascendisti sidera: * Super agmina Sanctorum, * Super choros Angelorum * Sceptra geris Domina.

Oras nunc a dextris Nati, * Iugo solvat ut peccati, * Quos redemit Sanguine. * Manus tuae stillant dona, * Vitae fac coelestis bona * Et in nos defluere.

Esto nobis maris stella, * Ne nos fluctuum procella * Navigantes obruat: * Ex qua salus est exorta, * Esto nobis coeli porta, * Quae ad vitam pateat.

Virgo clemens, Virgo pia, * Duc secura nos in via * Vitae per exsilium: * Nos, o Mater, hic tuere, * Olim istic fac videre * Te tuumque Filium.

Fac te duce nos orare, * Vigilare et certare * Certos tuae gratiae: * Funde nobis pia dona, * Custos, Mater et Patrona * Sanctae sis Ecclesiae.

Digitized by Google

Fac nos stare fide vera, * Caritate, spe sincera, * Absque culpae macula: * Gregem tibi sic dicatum, * Iam a patribus sacratum, * Protegas in saecula. Amen.

Ant. Ait Dominus Deus ad serpentem: Inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius: ipsa conteret caput tuum. Alleluia.

℣. Immaculata Conceptio est hodie sanctae Mariae Virginis.

℟. Quae serpentis caput virgineo pede contrivit.

Oremus. Deus, qui per Immaculatam Virginis Conceptionem dignum Filio tuo habitaculum praeparasti: quaesumus, ut qui ex morte eiusdem Filii tui praevisa eam ab omni labe praeservasti, nos quoque mundos eius intercessione ad te pervenire concedas. Per eundem Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum etc. ℟. Amen.

2. In festo Purificationis.

Hymnus.

31. Praeclara custos Virginum, * Intacta Mater Numinis, * Coelestis aulae ianua, * Spes nostra, coeli gaudium.

Inter rubeta lilium, * Columba formosissima, * Virga e radice germinans * Nostro medelam vulneri.

Turris draconi impervia, * Amica stella naufragis, * Tuere nos a fraudibus, * Tuaque luce dirige.

Erroris umbras discute, * Syrtes dolosas amove, * Fluctus tot inter deviis * Tutam reclude semitam.

Iesu, tibi sit gloria, * Qui natus es de Virgine, * Cum Patre et almo Spiritu * In sempiterna saecula. Amen.

Digitized by Google

Hymnus alter.

32. O stella Iacob fulgida, * O solis instar splendida * Aurora, qua nil purius * Refulget inter sidera.

Stolis amictae candidis * Tibi catervae coelitum * Plaudunt, sacraeque virgines * Laudes perennes concinunt.

Quin obsequentes offerunt * Ligustra et alba lilia: * Candor sed horum vincitur * Candore casti pectoris.

Nostra Angelorum laudibus * Abiecta tellus assonans, * Ad astra voces efferat * Et Virginis praeconia.

Iesu, tibi sit gloria, * Qui natus es de Virgine, * Cum Patre et almo Spiritu * In sempiterna saecula. Amen.

Ant. Sub tuum praesidium confugimus, sancta Dei Genitrix; nostras deprecationes ne despicias in necessitatibus nostris, sed a periculis cunctis libera nos semper, Virgo gloriosa et benedicta, Domina nostra, Mediatrix nostra, Advocata nostra. Tuo Filio nos reconcilia; tuo Filio nos commenda; tuo Filio nos repraesenta.

℣. Ora pro nobis, sancta Dei Genitrix.

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus. Concede, misericors Deus, fragilitati nostrae praesidium, ut qui sanctae Dei Genitricis memoriam agimus, intercessionis eius auxilio a nostris iniquitatibus resurgamus.

Cordibus nostris, quaesumus Domine, gratiam tuam benignus infunde; et intercedente sanctissima Dei Genitrice Maria corpora nostra castitate, mentes fide et corda nostra caritate et humilitate sanctifica. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

Digitized by Google

3. In festo Annuntiationis.

Hymnus.

33. Ave maris stella, * Dei Mater alma, * Atque semper Virgo, * Felix coeli porta.

Sumens illud Ave * Gabrielis ore, * Funda nos in pace, * Mutans Evae nomen.

Solve vincla reis, * Profer lumen caecis: * Mala nostra pelle, * Bona cuncta posce.

Monstra te esse matrem, * Sumat per te preces, * Qui pro nobis natus, * Tulit esse tuus.

Virgo singularis, * Inter omnes mitis, * Nos culpis solutos, * Mites fac et castos.

Vitam praesta puram, * Iter para tutum, * Ut videntes Iesum * Semper collaetemur.

Sit laus Deo Patri, * Summo Christo decus, * Spiritui Sancto, * Tribus honor unus. Amen.

Ant. Ecce Virgo concipiet et pariet filium, et vocabitur nomen eius Emmanuel.

℣. Ave Maria, gratia plena.

℟. Dominus tecum.

Oremus. Deus, qui de beatae Mariae Virginis utero Verbum tuum, Angelo nuntiante, carnem suscipere voluisti: praesta supplicibus tuis, ut, qui vere eam Genitricem Dei credimus, eius apud te intercessionibus adiuvemur. Per eundem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

4. In festo Assumptionis.

Hymnus Adami a S. Victore.

34. Salve, mater Salvatoris, * Vas electum, vas honoris, * Vas coelestis gratiae: * Ab aeterno vas provisum, * Vas insigne, vas excisum * Manu sapientiae.

Digitized by Google

Salve Verbi sacra parens, * Flos de spinis, spina carens * Flos, spineti gloria: * Nos spinetum, nos peccati * Spina sumus cruentati, * Sed tu spinae nescia.

Porta clausa, fons hortorum, * Cella custos unguentorum, * Cella pigmentaria: * Cinnamomi calamum, * Myrrham, thus et balsamum * Superas fragrantia.

Salve decus virginum, * Mediatrix hominum, * Salutis puerpera: * Myrtus temperantiae, * Rosa patientiae, * Nardus odorifera.

Flos campi convallium, * Singulare lilium, * Christus ex te prodiit: * Tu convallis humilis, * Terra non arabilis, * Quae fructum parturiit.

Tu coelestis paradisus, * Libanusque non incisus, * Vaporans dulcedinem: * Tu candoris et decoris, * Tu dulcoris et odoris * Habes plenitudinem.

Tu thronus es Salomonis, * Cui nullus par in thronis * Arte vel materia: * Ebur candens castitatis, * Aurum fulgens caritatis, * Praesignans mysteria.

Palmam praefers singularem, * Nec in terris habes parem, * Nec in coeli curia: * Laus humani generis, * Virtutum prae ceteris * Habens privilegia.

Salve Mater pietatis, * Et totius Trinitatis * Nobile triclinium: * Verbi tamen Incarnati * Speciale maiestati * Praeparans hospitium.

O Maria, stella maris, * Dignitate singularis, * Super omnes ordinaris * Ordines coelestium: * In supremo sita poli, * Nos assigna tuae Proli, * Ne terrores sive doli * Nos supplantent hostium. Amen.

Ant. Quae est ista, quae ascendit sicut aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata?

℣. Exaltata est sancta Dei Genitrix.

℟. Super choros Angelorum ad coelestia regna.

Digitized by Google

Oremus. Famulorum tuorum, quaesumus Domine, delictis ignosce, ut, qui tibi placere de actibus nostris non valemus, Genitricis Filii tui Domini nostri intercessione salvemur. Qui tecum vivit et regnat in saecula saeculorum. ℟. Amen.

5. In festo Nativitatis.

Hymnus Santolii Victorini.

35. Aurora, quae solem paris, * Et ipsa solis filia, * Quam splendidum, cum nasceris, * Affers diem mortalibus!

Te luce sol vestit sua, * Tibique luna sternitur, * Aptata sacro vertici * Nectunt coronam sidera.

Te mille virtutum chori, * Te turma cingit coelitum; * Ambit suo te Numine, * Qui te facit matrem Deus.

Uti potens exercitus, * Tu, Virgo, terror hostium; * Te sic obumbratam Deo * Pavent tremuntque tartara.

Qui tabe nos infecerat, * Serpentis elidis caput; * Attritus aeterno iacet * Non iam timendus vulnere.

Fac, Virgo, quem scimus Deum * Venisse terris hospitem, * Per te, manens nobis adhuc, * Nostri sit hospes pectoris.

Sit laus Patri, laus Filio, * Par sit tibi laus, Spiritus, * Per quem sacra se Filius * Infudit alvo Virginis. Amen.

Hymnus alter.

36. O sancta mundi Domina, * Regina coeli inclyta, * O stella maris, Maria, * Virgo Mater deifica.

Emerge, dulcis filia, * Nitesce iam, virguncula, * Florem latura nobilem, * Christum Deum et hominem.

Natalis tui annua * En colimus sollemnia, * Quo stirpe electissima * Mundo fulsisti genita.

Digitized by Google

Per te sumus terrigenae, * Simulque iam coeligenae, * Pacati pace nobili, * More inaestimabili.

Sit Trinitati gloria, * Sit semper ac victoria * In unitate solida * Per saeculorum saecula. Amen.

Ant. Sancta Maria, succurre miseris, iuva pusillanimes, refove flebiles, ora pro populo, interveni pro clero, intercede pro devoto femineo sexu: sentiant omnes tuum iuvamen, quicumque celebrant tuam sanctam commemorationem.

℣. Benedicta tu inter mulieres.

℟. Et benedictus fructus ventris tui.

Oremus. Famulorum tuorum, quaesumus Domine, delictis ignosce, ut qui tibi placere de actibus nostris non valemus, Genitricis Filii tui Domini nostri intercessione salvemur.

Protege, Domine, famulos tuos subsidiis pacis: et beatae Mariae semper Virginis patrociniis confidentes, a cunctis hostibus et periculis redde securos. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

6. In honorem Matris dolorosae.

Planctus B. Mariae Virginis.

37. Stabat Mater dolorosa * Iuxta crucem lacrimosa, * Dum pendebat Filius: * Cuius animam gementem, * Contristatam et dolentem * Pertransivit gladius.

O quam tristis et afflicta * Fuit illa benedicta * Mater Unigeniti: * Quae maerebat et dolebat, * Pia Mater, dum videbat * Nati poenas inclyti.

Quis est homo, qui non fleret, * Matrem Christi si videret * In tanto supplicio? * Quis non posset contristari, * Piam Matrem contemplari * Dolentem cum Filio?

Digitized by Google

Pro peccatis suae gentis * Vidit Iesum in tormentis, * Et flagellis subditum: * Vidit suum dulcem Natum * Morientem, desolatum, * Dum emisit spiritum.

Eia Mater, fons amoris, * Me sentire vim doloris * Fac, ut tecum lugeam: * Fac, ut ardeat cor meum * In amando Christum Deum, * Ut sibi complaceam.

Sancta Mater, istud agas, * Crucifixi fige plagas * Cordi meo valide: * Tui Nati vulnerati, * Tam dignati pro me pati, * Poenas mecum divide.

Fac me tecum pie flere, * Crucifixo condolere, * Donec ego vixero: * Iuxta crucem tecum stare, * Et me tecum sociare * In planctu desidero.

Virgo virginum praeclara, * Mihi iam non sis amara, * Fac me tecum plangere: * Fac, ut portem Christi mortem, * Passionis fac consortem, * Et plagas recolere.

Fac me plagis vulnerari, * Cruce hac inebriari * Ob amorem Filii: * Inflammatus et accensus, * Per te, Virgo, sim defensus * In die iudicii.

Fac me cruce custodiri, * Morte Christi praemuniri, * Confoveri gratia: * Quando corpus morietur, * Fac, ut animae donetur * Paradisi gloria [1].

Ant. Et benedixit illis Simeon et dixit ad Mariam Matrem eius: Ecce! positus est hic in ruinam et in resurrectionem multorum in Israel, et in signum, cui contradicetur: et tuam ipsius animam pertransibit gladius, ut revelentur ex multis cordibus cogitationes.

℣. In omni tribulatione et angustia nostra.

℟. Succurre nobis, beatissima Virgo Maria.

---

[1] Ind. 100 d. t. q. (Innocentius XI).

Digitized by Google

Oremus. Interveniat pro nobis, quaesumus Domine Iesu Christe, nunc et in hora mortis nostrae apud tuam clementiam gloriosa Virgo Maria, Mater tua, cuius sacratissimam animam in hora passionis et mortis tuae doloris gladius pertransivit.

Concede, quaesumus Domine, ut qui transfixionem gloriosae Virginis et Matris Mariae venerando recolimus, meritis et precibus omnium Sanctorum Cruci fideliter adstantium, passionis tuae effectum felicem consequamur, qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti Deus per omnia saecula saeculorum. Amen.

Oratio ad sacrum et illibatum Cor B. V. Mariae.

O Cor nostrae et Dei Matris Mariae, o Cor maxime amandum, de quo adoranda Trinitas sibi complacet: dignum es omni tum Angelorum, tum hominum tenerrima veneratione. O sacrum Cor, maxime simile Cordis Iesu, cuius es perfectissima imago. O Cor bonitate abundans et misericordia versus nostras miserias! Utinam dissolvas gelidam nostrorum cordium glaciem, et ea prorsus conformes ad Cor divini Salvatoris. Infunde eis virtutis amorem, eaque illo beato igne accendas, quo continuo ardes. Amplectere sanctam Ecclesiam, eamque defende. Sis ei suave asylum et inexpugnabile praesidium contra omnem hostium incursum. Sis nobis via ad Iesum, sis canalis, quo omnes, ut salvemur, gratias necessarias accipiamus. Sis nobis in necessitatibus auxilium, in angustiis solacium, in tentationibus robur, contra persecutiones

Digitized by Google

refugium, in omnibus periculis adiumentum; sed praesertim in ultimis nostrae vitae proeliis, in formidando mortis tempore, quando omnis infernus irrumpet contra nos rapturus animas nostras: in hoc tempore, unde aeternitas nostra dependet, o tunc, piissima Virgo, materni tui Cordis dulcedinem facias nos sentire. Tunc monstres nobis, quanta apud Iesum valeas, atque in hoc misericordiae fonte tutum nobis refugium aperias; ut possimus ei et tibi in paradiso benedicere per omnia saecula saeculorum. Amen.

Utinam semper et ab omnibus cognoscatur, laudetur, superexaltetur, colatur et amplificetur divinissimum Iesu Cor et illibatissimum Cor Mariae. Amen.

Oratio S. Thomae Aquinatis.

O beatissima et dulcissima Virgo Maria, Mater Dei, omni pietate plenissima, summi Regis filia, domina Angelorum, mater omnium credentium: in sinum pietatis tuae commendo hodie et omnibus diebus vitae meae corpus meum et animam meam, omnesque actus meos, cogitationes, volitiones, desideria, locutiones, operationes omnemque vitam finemque meum: ut per tua suffragia disponantur in bonum, secundum voluntatem dilecti Filii tui, Domini nostri Iesu Christi, ut sis mihi, o Domina mea sanctissima, adiutrix et consolatrix contra insidias et laqueos hostis antiqui et omnium inimicorum meorum. A dilecto Filio tuo, Domino nostro Iesu Christo, mihi impetrare digneris gratiam, cum

Digitized by Google

qua potenter resistere valeam tentationibus mundi, carnis et daemonis, ac semper habere firmum propositum ulterius non peccandi, sed in tuo et dilecti Filii tui servitio perseverandi. Deprecor te etiam, Domina mea sanctissima, ut impetres mihi veram oboedientiam et veram cordis humilitatem, ut veraciter me agnoscam miserum ac fragilem peccatorem et impotentem, non solum ad faciendum quodcumque opus bonum, sed etiam ad resistendum continuis impugnationibus, sine gratia et adiutorio Creatoris mei et sanctis precibus tuis. Impetra mihi etiam, o Domina mea dulcissima, perpetuam mentis et corporis castitatem, ut puro corde et casto corpore dilecto Filio tuo et tibi in tuo Ordine valeam deservire. Obtine mihi ab eo voluntariam paupertatem cum patientia et mentis tranquillitate, ut labores eiusdem Ordinis valeam sustinere et pro salute propria et proximorum valeam laborare. Impetra mihi etiam, o dulcissima Domina, caritatem veram, qua Sacratissimum Filium tuum, Dominum nostrum Iesum Christum, toto corde diligam, et te post ipsum super omnia, et proximum in Deo et propter Deum: sicque de bono eius gaudeam, de malo doleam, nullumque contemnam neque temerarie iudicem, neque in corde meo alicui me praeponam. Fac etiam, o Regina coeli, ut dulcissimi Filii tui timorem pariter et amorem semper in corde meo habeam, et de tantis beneficiis mihi non meis meritis, sed ipsius benignitate collatis semper gratias agam, ac de peccatis meis puram et sinceram confessionem et veram

Digitized by Google

poenitentiam faciam, ut suam consequi merear misericordiam et gratiam. Oro etiam, ut in fine vitae meae, tu mater unica, coeli porta et peccatorum advocata, me indignum servum tuum a sancta fide catholica deviare non permittas, sed tua magna pietate et misericordia mihi succurras et a malis spiritibus me defendas: ac in benedicta Filii tui gloriosa passione, et in tua propria intercessione spe accepta, veniam de peccatis meis ab eo mihi impetres, atque me in tua et eius dilectione morientem in viam salvationis et salutis dirigas. Amen.

Oratio S. Bernardi ad B. V. Mariam.

Salve, Regina misericordiae, Domina mundi, Regina coelorum, Virgo virginum, Sancta Sanctorum, lumen caecorum, iustorum gloria, peccatorum venia, desperatorum reparatio, deficientium fortitudo, salus orbis, speculum totius integritatis! Sit pietatis tuae, ipsam, quam apud Deum gratiam invenisti, notam facere mundo, reis veniam, medelam aegris, pusillis corde robur, afflictis consolationem, periclitantibus adiutorium obtinendo sanctis tuis precibus.

Per te accessum habeamus ad Filium, o benedicta inventrix gratiae, genitrix vitae, mater salutis, ut per te nos suscipiat, qui per te datus est nobis. Excuset apud ipsum integritas tua culpam nostrae corruptionis: humilitas Deo grata nostrae veniam impetret vanitatis. Copiosa caritas tua nostrorum cooperiat multitudinem peccatorum: et

Digitized by Google

fecunditas tua gloriosa fecunditatem nobis conferat meritorum.

O Domina nostra, Mediatrix nostra, Advocata nostra! tuo Filio nos reconcilia, tuo Filio nos commenda, tuo Filio nos repraesenta.

Fac, o Benedicta, per gratiam quam invenisti, per praerogativam quam meruisti, per misericordiam quam peperisti: ut, qui te mediante fieri dignatus est particeps infirmitatis et miseriae nostrae, te quoque intercedente participes nos faciat gloriae et beatitudinis suae, Iesus Christus Filius tuus Dominus noster, qui est super omnia benedictus in saecula. Amen.

Commendatio sui ad B. Virginem.

O Domina mea, sancta Maria, me in tuam benedictam fidem ac singularem custodiam, et in sinum misericordiae tuae hodie et quotidie, et in hora exitus mei animam meam et corpus meum tibi commendo; omnem spem meam et consolationem meam, omnes angustias et miserias meas, vitam et finem vitae meae tibi committo, ut per tuam sanctissimam intercessionem et per tua merita omnia mea dirigantur et disponantur opera secundum tuam, quae est Filii tui, voluntatem. Amen.

Oremus. O Iesu, vivens in Maria, veni et vive in famulis tuis, in spiritu sanctitatis tuae, in plenitudine virtutis tuae, in veritate virtutum tuarum, in perfectione viarum tuarum, in communione

Digitized by Google

mysteriorum tuorum; dominare omni adversae potestati in Spiritu tuo ad gloriam Patris. Amen [1].

III. Hymni et preces in honorem Sanctorum.

1. In festo S. Ottiliae Virginis.

(17 Dec.)

Hymnus Santolii Victorini.

38. Coelestis aula panditur: * En Sponsus, omnes obviae * Exite Sponso virgini, * Exite Sponsae virgines.

Haec nuptialis est dies, * Quae, longa post suspiria, * Dat omnibus, dat singulis * Iam plenius frui Deo.

Quae casta vobis gaudia, * Quos afflet ignis, dicite: * Ab ore cuius purior * Torrens voluptas effluit.

Hunc propter unum viluit * Superba regum purpura, * Dotata quae sponso Deo * Quid Virgo terris ambiat?

O virginales nuptiae, * Per quas caro fit spiritus, * O dulce vinclum, iungitur * Quo mens Deo, menti Deus!

Sit laus Patri, sit Filio, * Sit par tibi laus, Spiritus, * Divina qui perennibus * Firmas sigillis foedera. Amen.

Ant. Factus est Dominus firmamentum meum: liberavit me, quia complacui ei: secundum munditiam manuum mearum reddet mihi.

℣. Deus praecinxit me virtute.

℟. Et posuit immaculatam viam meam.

Oremus. Deus, lux vera, qui beatam Ottiliam Virginem tuam a nativitate caecam mirabiliter illuminasti: da nobis, quaesumus, ut illius exemplo et intercessione oculos a vanitate saeculi avertentes, te

[1] Ind. 300 d. semel quotidie (Pius IX).

Digitized by Google

solum Deum facie ad faciem contemplari mereamur. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum etc. ℟. Amen.

2. In festo S. Stephani Protomartyris.

(26 Dec.)

Hymnus.

39. Laudate Stephanum laetis concentibus, * Omnes magnanimum sonis concordibus * Heroëm dicite.

Invicto pugili dum plaudunt coelites, * Primam vos aemuli coronam, Martyres, * Ductori cedite.

Iter sanguineum primus aperuit, * Agmen quo Martyrum palmas obtinuit * Cruento funere.

Armatis manibus stat turba saeviens: * Occurrit, ictibus perire gestiens, * Felici vulnere.

Pro Christi nomine fractus lapidibus, * Clamat et sanguine petit ac precibus * Salutem hostium.

Ad vocem Martyris cadentis fortiter * Pugnae difficilis fit Christus arbiter, * Fit Saulus pretium.

Duro certamine fides non vincitur, * Saxorum grandine Martyr dum tunditur, * Perstat interritus.

Profuso sanguine dum tellus tingitur, * Fecundo semine Heroum nascitur * Victor exercitus.

O qui Martyribus praeis ad gloriam, * Christi militibus ora victoriam: * Manent nos proelia.

Vincantur vitia, adsit pugnantibus * Salubris gratia, detur vincentibus * Coelestis gloria. Amen.

Ant. Stephanus autem, plenus gratia et fortitudine, faciebat signa magna in populo.

℣. Stephanus vidit coelos apertos.

℟. Vidit et introivit: beatus homo, cui coeli patebant.

Digitized by Google

Oremus. Omnipotens sempiterne Deus, qui primitias Martyrum in beati Levitae Stephani sanguine dedicasti: tribue quaesumus, ut pro nobis intercessor exsistat, qui pro suis etiam persecutoribus exoravit Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum etc. ℟. Amen.

3. In festo S. Ioannis Apost. et Evang.

(27 Dec.)

Hymnus.

40. Contemplator Trinitatis, * Speculum virginitatis, * Ioannes Apostole: * Protege me supplicantem, * Serva tibi famulantem, * Excelse coelicola.

Funde preces, flecte Deum, * Ut illustret pectus meum: * Ad te mentem erigo. * Ut sim salvus tuo dono, * Meam in te spem repono, * Te patronum eligo.

Virgo a Deo electus, * Ceteris magis dilectus, * Gemma pudicitiae: * Vagos stringe cogitatus, * Per te firmus in me status * Fiat continentiae.

Sensus firmam fluctuantes, * Hostes fuga conturbantes, * Reprime daemonia, * Doma mentem; iram frena, * Confer pacem, cor serena, * Aufer adversantia.

Iesu cum recubuisti * Supra pectus, ebibisti * Dicta evangelica: * Cum in Patmos relegaris, * Ad superna elevaris * Contemplaris mystica.

Praedilecte, tu dignare * Mihi reo impetrare * Iesu Christi gratiam, * Ut sic possim respirare, * Et excessus emendare, * Ut consequar veniam.

O felix Evangelista, * Mihi iugitur in ista * Aerumna subvenias: * Sicut Matrem Iesu Christi * Commendatam custodisti, * Precor, me custodias.

Digitized by Google

Confer vitae sanctitatem, * Corpori da sanitatem, * Et quieta tempora: * Aufer cordis pravitatem, * Purga linguae foeditatem, * Me languentem robora.

O lucerna, flos virtutum, * Ductor probus, iter tutum, * Stella lucens saeculo: * Iubar tuae claritatis * Me defendat a peccatis, * Tollat ab ergastulo.

Vitae meae rege cursum, * Post hanc vitam trahe sursum * Animam ad gaudia, * Ubi Deum contemplari, * Iustis pie sociari * Merear in gloria. Amen.

Ant. Iste est Ioannes, qui supra pectus Domini in coena recubuit: beatus Apostolus, cui revelata sunt secreta coelestia.

℣. Valde honorandus est beatus Ioannes.

℟. Qui supra pectus Domini in coena recubuit.

Oremus. Ecclesiam tuam, Domine, benignus illustra, ut beati Ioannis Apostoli tui et Evangelistae illuminata doctrinis ad dona perveniat sempiterna. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

4. In festo S. Francisci Salesii.

(29 Ian.)

Hymnus Breviar. Congreg. S. Mauri.

41. Christe, decreto Patris institutus * Pontifex summo, tibi qui fideles, * Quos legis, formas populis regendis * Ipse ministros.

Hunc iuvat festo celebrare cantu, * Qui licet magnis meritis abundans, * Flens et invitus, duce te, tremendum * Sumpsit honorem.

Noverat, quantis pateat periclis * Ille, qui summos apices adeptus, * Omnium curas, sibi raptus uni, * Sustinet omnes.

Digitized by Google

Fecerat fervens amor inquietum: * Quo gregis cari pia cura poscit, * Advolat promptus: mora non euntem * Ulla retardat.

Dux iter, vita praeeunte, monstrat, * Comprobat factis sua dicta magnis: * Et domum sanctam bene olente Christi * Implet odore.

Lux erat caeco, columen labanti, * Una spes lapso, misero levamen, * Providus cunctis pater omnibusque * Omnia factus.

Christe, pastorum bonus ipse Pastor, * Qui greges pascis proprio cruore, * Fac ut aeternae subeant opima * Pascua vitae. Amen.

Ant. In fide et lenitate ipsius Deus sanctum fecit illum et elegit eum ex omni carne. Audivit enim eum et vocem ipsius.

℣. Factus sum infirmis infirmus, ut infirmos lucrifacerem.

℟. Omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos.

Oremus. Deus, qui ad animarum salutem beatum Franciscum Salesium Pontificem omnibus omnia fieri voluisti: concede propitius, ut caritatis tuae dulcedine perfusi, eius dirigentibus monitis ac suffragantibus meritis, aeterna gaudia consequamur. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

5. In festo S. Liobae Virginis.

(20 Febr.)

Hymnus.

42. Ave virgo, Deo grata, * Ex praeclara stirpe nata, * Lioba amabilis: * Ave sonans campanella, * Fulgens quoque coeli stella, * Lioba mirabilis.

Digitized by Google

Ave virgo religiosa, * Mater quoque gratiosa, * Lioba honorabilis: * Ave contra tempestates * Daemonumque potestates, * Lioba spectabilis.

Te amamus, te laudamus, * Te, amata, honoramus * In hoc loco pariter: * Esto nobis advocata, * Apud Christum virgo grata, * In hoc mundo iugiter. Amen.

Ant. Lex tua, Domine, meditatio mea est; fiat cor meum immaculatum in iustificationibus tuis, ut non confundar.

℣. Beati mundo corde.

℟. Quoniam ipsi Deum videbunt.

Oremus. Deus, qui habitaculum tuum in corde pudico constituisti, concede, ut qui fidelis sponsae tuae Liobae puritatem humili veneramur obsequio, piae conversationis sequamur exemplo. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

6. In festo S. Fridolini Confessoris.

(6 Martii.)

Hymnus Breviarii Basileensis.

43. Christe Salvator, pietatis auctor, * Iure laudaris famulorum odis, * Laeta quos praestas celebrare festa * Temporis huius.

Instat en solis revolutus orbis, * Quo petit coelos Fridolinus herus, * Atque Sanctorum numero locatus * Gaudet abunde.

Cuius obtentum rogitans benignum, * Si quis accedit prece cum fideli, * Sentit effectum retinere votum, * Dante Beato.

Ergo submissi, Fridoline sancte, * Quaesumus, nobis veniam preceris, * Ut pio tecum liceat per aevum * Vivere Christo.

Digitized by Google

Praestet hoc nobis Deitas beata * Patris ac Nati, pariterque Sancti * Spiritus, cuius resonat per omnem * Gloria mundum. Amen.

Ant. Ecce super montes pedes evangelizantis et annuntiantis pacem; celebra, Iuda, festivitates tuas et redde vota tua, quia non adiciet ultra, ut pertranseat in te Belial: universus interiit.

℣. In umbra alarum tuarum sperabo.

℟. Donec transeat iniquitas.

Oremus. Adesto, Domine, supplicationibus nostris, quas in beati Fridolini Confessoris tui sollemnitate deferimus, ut qui nostrae iustitiae fiduciam non habemus, eius, qui tibi placuit, precibus adiuvemur. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum etc. ℟. Amen.

7. In festo S. Thomae Aquinatis.

(7 Martii.)

Hymnus Breviarii Fratrum Praedicatorum.

44. Exsultet mentis iubilo * Laudans turba fidelium, * Errorum pulso nubilo * Per novi solis radium.

Thomas in mundi vespere * Fudit thesauros gratiae, * Donis plenus ex aethere * Morum et sapientiae.

De cuius fonte luminis * Verbi coruscant faculae, * Scripturae sacrae numinis * Et veritatis regulae.

Fulgens doctrinae radiis, * Clarus vitae munditia, * Splendens miris prodigiis * Dat toti mundo gaudia.

Laus Patri sit ac Genito * Simulque sancto Flamini, * Qui sancti Thomae merito * Nos coeli iungant agmini. Amen.

Digitized by Google

Hymnus Missalis Aboensis.

45. Doctor Thomas, mundi lumen, * Velut paradisi flumen * Irrigat Ecclesiam: * In divinitatis numen * Mentis fixerat acumen, * Hausit sic scientiam.

Pressa Cruce flens oravit, * Sibi dari postulavit * Donum pudicitiae: * Angeli adstantes ei * Hunc cinxerunt iussu Dei * Zona continentiae.

Petrus, Paulus advenerunt, * Ignorantem docuerunt, * Declarantes dubia: * Hi viventem instruxerunt, * Morientem deduxerunt * Ad aeterna gaudia.

Dum orat devotius * Doctor hic, sublimius * A terra levatur: * Crucifixus loquitur, * Quaestio proponitur, * Deus merces datur.

Insistentes tuae laudi, * Sancte Thoma, clemens audi, * Orans prece sedula: * Ut possimus servi tui * Tecum diva luce frui * Per aeterna saecula. Amen.

Ant. Optavi, et datus est mihi sensus, et invocavi, et venit in me Spiritus sapientiae, et praeposui illam regnis et sedibus, et divitias nihil esse duxi in comparatione illius.

℣. Existimo omnia detrimentum esse.

℟. Propter eminentem scientiam Iesu Christi, Domini mei.

Oremus. Deus, qui Ecclesiam tuam beati Thomae Confessoris tui mira eruditione clarificas et sancta operatione fecundas: da nobis, quaesumus, et quae docuit, intellectu conspicere, et quae egit, imitando complere.

O vir ineffabilis, o virtutum vas admirabile, o diadema honoris et gloriae, o lampas praefulgida, doctrinae radiis Ecclesiam universam collustrans,

Digitized by Google

sancte Thoma! quaeso, tui servuli quamquam vilissimi recorderis, ut tuis intercessionibus emunder, tuaque gubernatione recto tramite in studiis meis procedam, tuis defensionibus ab inimicis mihi semper insidiantibus protegar, tuoque sancto ductu salutis attingam portum. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

8. In festo S. Ioseph.

(19 Martii.)

Hymnus.

46. Salve, pater Salvatoris, * Salve, custos Redemptoris, * Ioseph ter amabilis! * Salve, sponse Matris Dei, * Salve, hospes Iesu mei, * Ioseph ter mirabilis!

Dulces cunae, dulces panni, * Dulces dies, dulces anni, * Dum nutristi Dominum! * O quam fuit admiranda * Tua vita veneranda, * Habens Dei Filium!

Iesum oculis vidisti, * Et in bracchiis tulisti, * O suavis felicitas! * Genis genas admovisti, * Oscula dans accepisti, * O felix suavitas!

Modo Deum appellasti, * Modo Regem nominasti, * Inter mille gaudia! * Modo Patrem adorandum, * Modo Natum adamandum * Inter mille basia!

Iesum bracchiis tenere * Atque totum possidere: * O quantae divitiae! * Cum Maria conversari, * Dei Natum amplexari, * O quantae deliciae!

Quis est homo, qui amare * Atque Iesulum portare * Nollet suis bracchiis? * Nullus est, qui non ambiret * Et qui cunas non adiret * Pro tantis deliciis.

O mi Ioseph, plus amande * Et prae cunctis honorande, * O flos pudicitiae! * Tibi tanta sors est data, * Quanta nulli est collata * Ab auctore gratiae!

Digitized by Google

O felicem et beatum, * Custodiri cui est datum * Tuo sub praesidio: * Et qui meruit habere * Te patronum et gaudere * Tuo patrocinio!

Per Mariae, tuae Matris, * Preces et Iosephi patris, Iesu, tu nos adiuva: * Ut possimus te videre * Et aeternum possidere * In coelesti patria. Amen.

Hymnus alter.

47. Coelitum, Ioseph, decus atque nostrae * Certa spes vitae, columenque mundi, * Quas tibi laeti canimus, benignus * Suscipe laudes.

Te Sator rerum statuit pudicae * Virginis Sponsum, voluitque Verbi * Te patrem dici, dedit et ministrum * Esse salutis.

Tu Redemptorem stabulo iacentem, * Quem chorus vatum cecinit futurum, * Aspicis gaudens, humilisque natum * Numen adoras.

Rex Deus regum, Dominator orbis, * Cuius ad nutum tremit inferorum * Turba, cui pronus famulatur aether, * Se tibi subdit.

Laus sit excelsae Triadi perennis, * Quae tibi praebens superos honores, * Det tuis nobis meritis beatae * Gaudia vitae. Amen.

Ant. Erat Iesus incipiens quasi annorum triginta, ut putabatur filius Ioseph.

℣. Constituit eum dominum domus suae.

℟. Et principem omnis possessionis suae.

Oremus. Sanctissimae Genitricis tuae Sponsi, quaesumus Domine, meritis adiuvemur, ut quod possibilitas nostra non obtinet, eius nobis intercessione donetur.

Digitized by Google

Praesta, quaesumus omnipotens Deus, ut sicut beatus Ioseph Unigenito tuo, nato de Maria Virgine, suis manibus reverenter ministrare meruit, ita nos facias cum cordis munditia tuis altaribus deservire.

Fac nos, Domine, Genitricis tuae Sponsi merita digne recolere: virtutes eius, puritatis, caritatis et vitae absconditae perpetuo imitari, ut eius apud te intercessione omnia nobis adversantia in hora mortis superare valeamus, et ad te feliciter pervenire. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

Responsorium in honorem S. Ioseph.

48. Quicumque sanus vivere, * Cursumque vitae claudere * In fine laetus expetit, * Opem Iosephi postulet.

Hic sponsus almae Virginis, * Paterque Iesu creditus, * Iustus, fidelis, integer, * Quod poscit, orans impetrat.

Quicumque etc.

Faeno iacentem parvulum * Adorat, et post exsulem * Solatur; inde perditum * Quaerit dolens et invenit.

Quicumque etc.

Mundi supremus Artifex * Eius labore pascitur, * Summi Parentis Filius * Oboedit illi subditus.

Quicumque etc.

Adesse, morti proximus, * Cum Matre Iesum conspicit, * Et inter ipsos iubilans * Dulci sopore solvitur.

Quicumque etc.

Gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto.

Quicumque etc.

Virginum custos et pater, sancte Ioseph, cuius fideli custodiae ipsa innocentia, Christus Iesus et Virgo virginum Maria, commissa fuit: te per hoc utrumque carissimum pignus, Iesum et Mariam,

Digitized by Google

obsecro et obtestor, ut me, ab omni immunditia praeservatum, mente incontaminata, puro corde et casto corpore Iesu et Mariae semper facias castissime famulari. Amen [1].

Litaniae de S. Ioseph.

Kyrie eleison.
Christe eleison.
Kyrie eleison.
Christe, audi nos.
Christe, exaudi nos.
Pater de coelis Deus, — Miserere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus [2],
Spiritus Sancte Deus,
Sancta Trinitas, unus Deus,
Sancta Maria, — Ora pro nobis.
Sancte Ioseph [3],
Proles David inclyta,
Lumen Patriarcharum,
Dei Genitricis sponse,
Custos pudice Virginis,
Filii Dei nutritie,
Christi defensor sedule,
Almae Familiae praeses,
Ioseph iustissime [3],
Ioseph castissime,
Ioseph prudentissime,
Ioseph fortissime,
Ioseph oboedientissime,
Ioseph fidelissime,
Speculum patientiae,
Amator paupertatis,
Exemplar opificum,
Domesticae vitae decus,
Custos virginum,
Familiarum columen,
Solacium miserorum,
Spes aegrotantium,
Patrone morientium,
Terror daemonum,
Protector sanctae Ecclesiae,
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, — Parce nobis, Domine.

---

[1] Ind. 100 d. s. i. d.
[2] Miserere nobis.
[3] Ora pro nobis.

Digitized by Google

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, — Exaudi nos, Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, — Miserere nobis.

℣. Constituit eum dominum domus suae.

℟. Et principem omnis possessionis suae.

Oremus. Deus, qui ineffabili providentia beatum Ioseph sanctissimae Genitricis tuae sponsum eligere dignatus es: praesta, quaesumus: ut, quem protectorem veneramur in terris, intercessorem habere mereamur in coelis. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen [1].

9. In festo S. Benedicti Abbatis.

(21 Martii.)

Sequentia Missalis Bursfeldensis.

49. Laeta quies magni ducis, * Dona ferens novae lucis, * Hodie recolitur.

Charis datur piae menti, * Corde sonet in ardenti, * Quidquid foris promitur.

Hunc per callem orientis * Admiremur ascendentis * Patriarchae speciem.

Amplum semen magnae prolis * Illum fecit instar solis, * Abrahae persimilem.

Corvum cernis ministrantem, * Hinc Eliam latitantem * Specu nosce parvulo.

Elisaeus dignoscatur, * Cum securis revocatur * De torrentis alveo.

Illum Ioseph candor morum, * Illum Iacob futurorum * Mens effecit conscia.

---

[1] Ind. 300 d. s. i. d.

Digitized by Google

Ipse memor suae gentis, * Nos perducat in manentis * Semper Christi gaudia. Amen.

Ant. Attendite ad patrem vestrum, qui sequimini, quod iustum est, et quaeritis Dominum; quia unum vocavi eum et benedixi ei et multiplicavi eum.

℣. Venite, filii, audite me.

℟. Timorem Domini docebo vos.

Oremus. Intercessio nos, quaesumus Domine, beati Benedicti Abbatis commendet, ut, quod nostris meritis non valemus, eius patrocinio assequamur. Per Dominum nostrum Iesum Christum etc. ℟. Amen.

10. In festo S. Fidelis a Sigmaringa Mart., Congregationis Marianae Academicae Friburgensis Patroni.

(24 Aprilis.)

Hymnus veteris Missalis Germ.

50. O beata beatorum * Martyrum sollemnia! * O devote recolenda * Victorum certamina!

Digni dignis fulgent signis * Et florent virtutibus, * Illos semper condecenter * Veneremur laudibus.

Fide, voto, corde toto * Adhaeserunt Domino, * Et invicti sunt addicti * Atroci martyrio.

Carcerati, trucidati, * Tormentorum genera, * Igne laesi, ferro caesi * Pertulerunt plurima.

Dum sic torti cedunt morti * Carnis per interitum, * Ut electi sunt adepti * Beatorum praemium.

Per contemptum mundanorum, * Et per bella fortia * Meruerunt Angelorum * Victores consortia.

Ergo facti cohaeredes * Christo in coelestibus, * Apud ipsum vota nostra * Promovete precibus.

Digitized by Google

Ut post finem huius vitae * Et post transitoria, * In perenni mereamur * Exsultare gloria. Amen.

Ant. Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam aeternam custodit eam.

℣. Iustus ut palma florebit.

℟. Sicut cedrus Libani multiplicabitur.

Oremus. Deus, qui beatum Fidelem, seraphico spiritus ardore succensum, in verae fidei propagatione martyrii palma et gloriosis miraculis decorare dignatus es: eius, quaesumus, meritis et intercessione ita nos per gratiam tuam in fide et caritate confirma, ut in servitio tuo fideles usque ad mortem inveniri mereamur. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum etc. ℟. Amen.

11. In festo S. Trudperti Martyris.

(27 Aprilis.)

Hymnus Breviarii Monasterii S. Trudperti.

51. O vera vitis, Domine * Iesu, qui sacro flamine * Tuos confortas palmites: * Nos quoque firma fragiles.

Ut sitibundo pectore * Pangamus in hoc tempore * Tuam tuique inclytam * Testis Trudperti gloriam.

Iste tuo auxilio * Refulsit in hoc saeculo, * Arbor onusta fructibus, * Fulgens cunctis virtutibus.

Per mundi splendens climata, * Martyr clarus victoria, * Mundi sprevit fastigia, * Tua sequens vestigia.

Voce clamemus consona, * Trudperte, tuos adiuva: * Dum sumus in exsilio, * Commenda Dei Filio.

Gloria tibi Domine, * Qui surrexisti a mortuis, * Cum Patre et Sancto Spiritu * In sempiterna saecula. Amen.

Digitized by Google

Hymnus alter.

52. Lucerna veri luminis, * Fulgore clara sanguinis, * Quae tota flagras coelitus * Ardore Sancti Spiritus.

Infunde nostris sensibus * Tuis piis precatibus * Lucem supernae gratiae, * Trudperte Martyr inclyte.

Hoc Trinitatis unice, * Lux sempiterna perfice, * Creans, fovens, illuminans, * Fert quidquid universitas. Amen.

Ant. Ecce Deus Salvator meus, fiducialiter agam et non timebo; quia fortitudo mea et laus mea Dominus, et factus est mihi in salutem.

℣. In Deo speravi.

℟. Non timebo, quid faciat mihi caro.

Oremus. Adesto, quaesumus Domine, supplicationibus nostris, ut qui ex iniquitate nostra reos nos esse cognoscimus, beati Trudperti Martyris tui intercessione liberemur. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum etc. ℟. Amen.

12. In festo S. Ioannis Nepomuceni Mart.

(16 Maii.)

Hymnus.

53. Invictus heros Numinis, * Mergendus unda fluminis, * Stat fortis in silentio, * Dum fit sigilli mentio.

Hinc rex minatur funera, * Hinc tortor infert vulnera, * Manus ligantur funibus, * Artus cremantur ignibus.

Sed haec Ioannes despicit, * Nec regis iram respicit, * Secreta non vult pandere, * Horret sigillum frangere.

Stat mutus agnus innocens, * Nil de tegendis proferens: * Stat; dumque rex nil elicit, * E ponte iustum deicit.

Digitized by Google

Praeceps ab alto sternitur, * Undis profundis mergitur: * Mersum sed applaudentibus * Undae salutant ignibus.

Stellae natant in flumine, * Illi parentant lumine, * Docetque coeli claritas, * Quae sit Ioannis caritas.

Da sempiterna Trinitas, * Ut in bono sit firmitas: * Aut lacrimarum flumina * Mergant cadentum crimina. Amen.

Ant. Beatus, qui lingua sua non est lapsus, et qui non servivit indignis se.

℣. Pone, Domine, custodiam ori meo.

℟. Et ostium circumstantiae labiis meis.

Oremus. Deus, qui ob invictum beati Ioannis sacramentale silentium, nova Ecclesiam tuam martyrii corona decorasti: da, ut eius exemplo et intercessione ori nostro custodiam ponentes, beatis, qui lingua non sunt lapsi, annumeremur. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum etc. ℟. Amen.

13. In festo S. Bonifatii, Germaniae Apostoli, et Sociorum Martyrum.

(5 Iunii.)

Hymnus.

54. Quem misit in terras Deus, * Ut morte nos servet sua, * Amoris hic fidos sui * Vos eligit vicarios.

Occisus Agnus a lupis * Vos misit agnos ad lupos; * Mores ferinos exuunt, * Agni repente de lupis.

Quae victimarum caedibus * Tellus madebat impiis, * Vestris eam sudoribus, * Vestro piastis sanguine.

Hoc rore facta pinguior, * Quot illa fructus protulit, * Quae, quanta surrexit seges! * Et ista seges nos sumus.

Digitized by Google

Quam si bonus respexeris, * Qui das rigatis crescere: * Frumenta nos coelestibus * Matura condes horreis.

Uni sit et trino Deo * Suprema laus, summum decus, * De nocte qui nos ad suae * Lumen vocavit gratiae. Amen.

Ant. Egredere de cognatione tua et de domo patris tui, et veni in terram, quam monstrabo tibi: faciamque te in gentem magnam et benedicam tibi.

℣. Potens in terra erit semen eius.

℟. Generatio rectorum benedicetur.

Oremus. Deus, qui multitudinem populorum per beatum Bonifatium Martyrem tuum atque Pontificem eiusque socios ad agnitionem tui nominis vocare dignatus es: concede propitius, ut quorum sollemnia colimus, eorum patrocinia sentiamus. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum etc. ℟. Amen.

14. In festo S. Antonii de Padua Conf.

(13 Iunii.)

Hymnus.

55. En gratulemur hodie * Christo Regi iucundius, * In cuius aula gloriae * Iam iubilat Antonius.

Francisci patris aemulus * Sic ille se contemperat, * Ut fonte manans rivulus * Aquam vitae circumferat.

Longe lateque defluit, * Suisque morbis aridos * Verbo salutis imbuit, * Dans sacro rore vividos.

Hic stigmatum qui baiulo * Patri natus innititur, * Dum praedicat de titulo, * Confixus ille cernitur.

Hoc Nati praestet Genitor, * Hoc Genitoris Genitus, * Ac par utriusque Conditor, * Paraclitus hoc Spiritus. Amen.

Digitized by Google

Ant. Dedit mihi Dominus linguam mercedem meam, et in ipsa laudabo eum.

℣. Mirificavit Dominus Sanctum suum.

℟. Dominus exaudiet me, cum clamavero ad eum.

Oremus. Ecclesiam tuam, Deus, beati Antonii Confessoris tui sollemnitas votiva laetificet, ut spiritualibus semper muniatur auxiliis et gaudiis perfrui mereatur aeternis. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum etc. ℟. Amen.

Responsorium in honorem S. Antonii de Padua.

56. Si quaeris miracula, * Mors, error, calamitas, * Daemon, lepra fugiunt, * Aegri surgunt sani.

Cedunt mare, vincula; * Membra resque perditas * Petunt et accipiunt * Iuvenes et cani.

Pereunt pericula, * Cessat et necessitas; * Narrent hi, qui sentiunt, * Dicant Paduani:

Cedunt mare etc.

Gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto.

Cedunt mare etc.

℣. Ora pro nobis, beate Antoni.

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus. Ecclesiam tuam, Deus, beati Antonii Confessoris tui commemoratio votiva laetificet, ut spiritualibus semper muniatur auxiliis et gaudiis perfrui mereatur aeternis. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen [1].

---

[1] Ind. 100 d. t. q.; plenaria semel in mense (Pius IX).

Digitized by Google

15. In festo S. Aloysii Confessoris.

(21 Iunii.)

Hymnus.

57. Salveto centies, * Salveto millies, * Flos paradisi! * Confirma debiles * Nos tibi supplices, * O Aloysi!

Salveto lilium * Candens convallium, * O Aloysi! * Tu coeli gaudium, * Terrae delicium, * Flos paradisi!

Tu princeps virginum * Et honor iuvenum, * Flos paradisi! * Candorem virgini, * Pudorem iuveni * Da, Aloysi!

Inter sodalium * Coetus es omnium, * Flos paradisi! * Quod inter vallium * Spinas est lilium, * O Aloysi!

Inter terrigenas * Mentis integritas, * Flos paradisi! * Te facit Angelum * Virtute coelitum, * O Aloysi!

Fac Aloysios, * Culparum nescios, * Flos paradisi! * Sim Aloysius, * Culparum nescius, * O Aloysi!

Fac, ut sim Angelus * Tibi simillimus, * O Aloysi! * Castum, purissimum * Fac me parthenium, * Flos paradisi!

Deinde subditos * Nos tibi servulos, * Flos paradisi! * Castos et integros * Fac et angelicos, * O Aloysi! Amen.

Litaniae de S. Aloysio.

Kyrie eleison.
Christe eleison.
Kyrie eleison.
Christe, audi nos.
Christe, exaudi nos.
Pater de coelis Deus, — Miserere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, — Miserere nobis.
Spiritus Sancte Deus, — Miserere nobis.
Sancta Trinitas, unus Deus, — Miserere nobis.

Digitized by Google

Sancta Maria, — Ora pro nobis.
Sancta Dei Genitrix [1],
Sancta Virgo virginum,
Sancte Aloysi,
Beatae Virginis deliciae,
Christo carissime,
Iuvenis castissime,
Iuvenis angelice,
Iuvenis humillime,
Contemptor divitiarum,
Osor vanitatum,
Irrisor honorum,
Honor principum,
Gemma nobilitatis,
Flos innocentiae,
Decus religionis,
Mortificationis speculum,
Perfectae oboedientiae exemplar,
Evangelicae paupertatis amator,
Vas devotionis,
Regularum cultor egregie,
Salutis animarum zelator,
Sacrae Eucharistiae fervens adorator,

[1] Ora pro nobis.

Vitae evangelicae imitator [1],
Singularis S. Ignatii cultor,
Iuvenum decus et ornamentum,
Iuventutis studiosae patrone et exemplum,
Propitius esto. — Parce nobis, Domine.
Propitius esto. — Exaudi nos, Domine.
A concupiscentia oculorum — Libera nos, Domine.
A concupiscentia carnis [2]
A superbia vitae
Per intercessionem et merita sancti Aloysii
Per angelicam ipsius puritatem
Per ipsius sanctitatem et gloriam
Peccatores, — Te rogamus, audi nos.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, — Parce nobis, Domine.

[1] Ora pro nobis.
[2] Libera nos, Domine.

Digitized by Google

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, — Exaudi nos, Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, — Miserere nobis.
Christe, audi nos.
Christe, exaudi nos.
Kyrie eleison.
Christe eleison.
Kyrie eleison.

Pater noster. Ave Maria.

Ant. O quam pulchra est casta generatio cum claritate! Immortalis est enim memoria illius, quoniam et apud Deum nota est et apud homines, et in perpetuum coronata triumphat.

V. Iustus germinabit sicut lilium.

℟. Et florebit in aeternum ante Dominum.

Oremus. Deus amator animarum castarum, de cuius munere venit, ut beatus Aloysius virginalem pudicitiam usque ad vitae exitum illabatam servaverit: concede propitius, ut eius exemplo instructi et gratia tua adiuti, castitatem supra omnia bona aestimantes, tibi puris mentibus adhaereamus, et ita mundi corde aeternae gloriae tuae aspectu digni efficiamur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Modus eligendi S. Aloysium in patronum.

Sancte Aloysi! Adolescens vitae innocentia clarissime! Ego te hodie in singularem apud Deum advocatum et specialem studiorum meorum patronum eligo firmiterque statuo, te tenero amore semper amare, honorem tuum in me aliisque ferventer promovere, virtutes tuas, pietatem cum-

Digitized by Google

primis, oboedientiam atque innocentiam quam studiosissime imitari. Suscipe me in clientem tuum, adsis mihi in omnibus tum corporis tum animae necessitatibus, praeserva me a peccandi periculis: fac me felici progressu sic in sacram scientiam incumbere, ut scientiam Sanctorum non neglegam, sed utraque instructus discam agnoscere et amare eum, qui est verae sapientiae fons et magister, Iesum Christum Dominum nostrum. Amen.

Alia oratio ad S. Aloysium.

O Sancte Aloysi, angelica vita splendens! indignissimus ego cliens tuus animae et corporis mei castitatem tibi singulariter committo. Te precor per angelicam tuam puritatem, ut Agno immaculato Christo Iesu et sanctissimae eius Matri, Virginum Virgini, me velis commendare, et me defendere ab omni letali peccato. Ne permittas, quaeso, ut impuritatis macula unquam polluar; sed quando in tentatione me videris aut peccandi periculo, arceas a corde meo omnes cogitationes atque affectus turpes; et excitando in me aeternitatis nec non Iesu Crucifixi memoriam, cordi meo sancti timoris in Deum sensa iugiter imprimas, atque divino me amore inflammes, ut imitando te in terra tecum merear Deo beate frui in coelo. Amen.

Pater noster. Ave Maria. Gloria Patri [1].

---

[1] Ind. 100 d. s. i. d.

Digitized by Google

Oratio Ecclesiae.

Coelestium donorum distributor Deus, qui in angelico iuvene Aloysio miram vitae innocentiam pari cum poenitentia sociasti: eius meritis et precibus concede, ut innocentem non secuti, poenitentem imitemur. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum etc. ℟. Amen.

16. In festo S. Ioannis Baptistae.

(24 Iunii.)

Hymnus Pauli Diaconi.

58. Antra deserti teneris sub annis, * Civium turmas fugiens, petisti, * Ne levi saltem maculare vitam * Crimine posses.

Praebuit hirtum tegimen camelus, * Artubus sacris strophium bidentes, * Cui latex haustum, sociata pastum * Mella locustis.

Ceteri tantum cecinere vatum * Corde praesago iubar adfuturum, * Tu quidem mundi scelus auferentem * Indice prodis.

Non fuit vasti spatium per orbis * Sanctior quisquam genitus Ioanne, * Qui nefas saecli meruit lavantem * Tingere lymphis.

O nimis felix meritique celsi, * Nesciens labem nivei pudoris, * Praepotens martyr eremique cultor, * Maxime vatum!

Nunc potens nostri meritis opimis * Pectoris duros lapides repelle, * Asperum planans iter, et reflexos * Dirige calles.

Ut pius mundi Sator et Redemptor, * Mentibus culpae sine labe puris, * Rite dignetur veniens sacratos * Ponere gressus.

Digitized by Google

Laudibus cives celebrent superni * Te, Deus simplex pariterque trine, * Supplices et nos veniam precamur, * Parce redemptis. Amen.

Hymnus Missalis Andegavensis.

59. Praecursorem summi Regis, * Et praeconem novae legis * Celebrat Ecclesia: * In hac luce tam festiva * Gaude, Mater, et votiva * Deprome praeconia.

Huius ortum veneremur, * Sed nec minus delectemur * In eius martyrio: * Totus mundus sit iucundus: * Nullus martyr huic secundus * Virtute vel praemio.

Non harundo levitatis, * Sed columna firmitatis, * Nulla palpat crimina: * Scribas tangit et doctores, * Vocans legis transgressores * Viperae genimina.

Arguebat hic Herodem, * Nec terretur ab eodem, * Ligatus in carcere: * Fert iniuste iustus poenam, * Rem detestans tam obscoenam * Regis et adulterae.

Nos ad laudem tuam, Christe, * Praecursoris et Baptistae * Colimus sollemnia: * Tu nos ab hac mortis valle * Duc ad vitam recto calle * Per eius suffragia. Amen.

Ant. Ioannes testimonium perhibuit veritati, ille erat lucerna ardens et lucens.

℣. Surrexit quasi ignis.

℟. Et verbum ipsius quasi facula ardebat.

Oremus. Praesta, quaesumus omnipotens Deus, ut familia tua per viam salutis incedat: et beati Ioannis praecursoris hortamenta sectando, ad eum, quem praedixit, secura perveniat: Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum. Amen.

Digitized by Google

17. In festo SS. Apostolorum Petri et Pauli.

(29 Iunii.)

Sequentia.

60. Duae vere sunt olivae, * Per quos plantae primitivae * Nascuntur Ecclesiae: * Quibus Sion est compluta * Et coelesti delibuta * Roma rore gratiae.

Isti Sion fundamenta, * Bases, tecta, fulcimenta, * Arcam portant foederis. * Petrus primus principatu, * Alter, Paulus, magistratu * Effulgent prae ceteris.

Hi sunt summi bellatores, * Duces gregis et doctores, * Claves sanctuarii, * Cruces, trabes cypressinae, * Saga, pelles et cortinae, * Vectes Evangelii.

Qui dum Romae docent mores, * Plantant fidem et errores * Excludunt gentilium; * Vincunt magos et Neronis, * Nec abhorrent passionis * Et mortis supplicium.

Ergo nos in Christo duce, * Tu in ense, tu in cruce, * Ardore martyrii * Nos ad crucem inflammetis, * Nobis coenam impetretis * Coelestis convivii. Amen.

Ant. Gloriosi principes terrae quomodo in vita sua dilexerunt se, ita et in morte non sunt separati.

℣. In omnem terram exivit sonus eorum.

℟. Et in fines orbis terrae verba eorum.

Oremus. Deus, qui hodiernam diem Apostolorum tuorum Petri et Pauli martyrio consecrasti: da Ecclesiae tuae, eorum in omnibus sequi praeceptum, per quos religionis sumpsit exordium.

Deus, cuius dextera beatum Petrum ambulantem in fluctibus, ne mergeretur, erexit et coapostolum eius Paulum tertio naufragantem de profundo pelagi liberavit: exaudi nos propitius et concede, ut amborum meritis aeternitatis gloriam consequamur.

Digitized by Google

Pietate tua, quaesumus Domine, nostrorum solve vincula peccatorum, et intercedente beata semperque Virgine Dei Genitrice Maria, cum beatis Apostolis tuis Petro et Paulo et omnibus Sanctis, nos famulos tuos et loca nostra in omni sanctitate custodi; omnes consanguinitate, affinitate ac familiaritate nobis coniunctos a vitiis purga, virtutibus illustra; pacem et salutem nobis tribue, hostes visibiles et invisibiles remove; carnalia desideria repelle; aërem salubrem indulge; amicis et inimicis nostris caritatem largire; Urbem tuam custodi; Pontificem nostrum N. conserva; omnes Praelatos, principes, cunctumque populum christianum ab omni adversitate defende. Benedictio tua sit super nos semper, et omnibus fidelibus defunctis requiem aeternam concede. Per Christum Dominum nostrum. Amen [1].

Hymnus in honorem B. Petri, Principis Apostolorum.

61. Si vis patronum quaerere, * Si vis potentem vindicem, * Quid iam moraris? Invoca * Apostolorum principem.

O sancte coeli claviger, * Tu nos precando subleva; * Tu redde nobis pervia * Aulae supernae limina.

Ut ipse multis poenitens * Culpam rigasti lacrimis, * Sic nostra tolli poscimus * Fletu perenni crimina.

O sancte coeli claviger etc.

Sicut fuisti ab Angelo * Tuis solutus vinculis, * Tu nos iniquis exue * Tot implicatos nexibus.

O sancte coeli claviger etc.

---

[1] Ind. 40 d. t. q.; 100 annorum et 100 quadragenarum sabbatis (Leo XII).

Digitized by Google

O firma Petra Ecclesiae, * Columna flecti nescia, * Da robur et constantiam, * Error fidem ne subruat.

O sancte coeli claviger etc.

Romam tuo qui sanguine * Olim sacrasti, protege; * In teque confidentibus * Praesta salutem gentibus.

O sancte coeli claviger etc.

Tu rem tuere publicam * Qui te colunt fidelium, * Ne laesa sit contagiis, * Ne scissa sit discordiis.

O sancte coeli claviger etc.

Quos hostis antiquus dolos * Instruxit in nos, destrue; * Truces et iras comprime, * Ne clade nostra saeviat.

O sancte coeli claviger etc.

Contra furentis impetus * In morte vires suffice, * Ut et supremo vincere * Possimus in certamine.

O sancte coeli claviger etc.

Ant. Tu es pastor ovium, Princeps Apostolorum, tibi traditae sunt claves regni coelorum.

℣. Tu es Petrus.

℟. Et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam.

Oremus. Apostolicis nos, quaesumus Domine, beati Petri Apostoli tui attolle praesidiis, ut quanto fragiliores sumus, tanto eius intercessione validioribus auxiliis foveamur et iugiter apostolica defensione muniti nec succumbamus vitiis, nec opprimamur adversis. Per Christum Dominum nostrum. Amen [1].

---

[1] Ind. 100 d. semel quotidie; plenaria festis Cathedrae (18 Ian.) et Vinculorum (1 Aug.) S. Petri (Pius VI).

Digitized by Google

Responsorium in honorem S. Pauli Apostoli.

62. Pressi malorum pondere * Adite Paulum supplices, * Qui certa largus desuper * Dabit salutis pignora.

O grata coelo victima, * Doctorque amorque gentium, * O Paule, nos te vindicem, * Nos te patronum poscimus.

Nam tu beato concitus * Divini amoris impetu, * Quos insecutor oderas, * Defensor inde amplecteris.

O grata etc.

Non te procellae et verbera, * Non vincla et ardor hostium, * Non dira mors deterruit, * Ne sancto adesses coetui.

O grata etc.

Amoris eia pristini * Ne sis, precamur, immemor, * Et nos supernae languidos * In spem reducas gratiae.

O grata etc.

Te destruantur auspice * Saevae inferorum machinae, * Et nostra templa publicis * Petita votis insonent.

O grata etc.

Te deprecante floreat * Ignara damni caritas, * Quam nulla turbent iurgia, * Nec ullus error sauciet.

O grata etc.

Quae terra cumque dicitur, * Iungatur uno foedere, * Tuisque semper affluat * Salubre nectar litteris.

O grata etc.

Det velle nos, quod imperat, * Det posse summus Arbiter, * Ne fluctuantes horridae * Caligo noctis obruat.

O grata etc.

Gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto.

O grata etc.

Digitized by Google

Ant. Vas electionis est mihi iste, ut portet nomen meum coram gentibus et regibus et filiis Israel.

℣. Ora pro nobis, sancte Paule Apostole.

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus. Omnipotens sempiterne Deus, qui beato Apostolo tuo Paulo, quid faceret, ut impleretur Spiritu Sancto, divina miseratione praecepisti: eius dirigentibus monitis et suffragantibus meritis concede, ut servientes tibi in timore et tremore, coelestium donorum consolatione repleamur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen [1].

Oratio ad sanctos Apostolos.

Benedictus sis, Domine, perennis fons bonorum omnium, qui sanctos Apostolos, Filii tui primogenitos, ac primos evangelii praecones, Ecclesiaeque christianae columnas ac fundamenta, prae Sanctis omnibus delegisti, ut eorum salutaribus doctrinis et admirandis operibus fides catholica apud Iudaeos et Gentes totoque terrarum orbe diffunderetur; tuam maiestatem humillime rogantes accedimus, ut sicut super Apostolicae confessionis petram a te fundati, et per eosdem religionis nostrae principes ad fidei unitatem vocati, atque in Ecclesiae domo congregati manemus, ita non solum Apostolicam illorum doctrinam et traditionem firmis gratisque animis retineamus, verum etiam sanctam

[1] Ind. 100 d. s. q., plenaria festis Conversionis (25 Ian.) et Commemorationis (30 Iunii) S. Pauli (Pius VII).

Digitized by Google

eorum conversationem irreprehensibiliter vivendo sectemur, cumque christiana professione ardentem imprimis caritatem iugemque patientiam coniungamus. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Intercedite pro nobis, sancti Christi Apostoli, praedicatores veritatis atque martyres, vestrisque precibus obtinete, ut catholicae fidei sinceritas, variis et peregrinis doctrinis exstinctis, in orbe reflorescat, nosque terminis Apostolicae praedicationis atque traditionis innitentes, quae nostrae vocationi congruunt, sollicite praestemus, Christi amore et Ecclesiae unitate in omni vita antiquius nihil ducentes. Amen.

18. In festo S. Kiliani, Franconiae Apostoli, et Sociorum Martyrum.

(8 Iulii.)

Hymnus.

63. Fons sapientiae, corona praesulum, * Dat te Kilianum patronum Francorum, * Cum virîs clarissimis tuis consociis * Inclytos flores Martyrum.

Intellegentiae dono tu rutilas, * Ignotae patriae fidem tu praedicas, * Sicut Apostoli undique per terras, * Salvas Francos idolatras.

Lumen scientiae doctrinae coelicae * Confers Franconiae vitae catholicae; * Duci provinciae fidem Ecclesiae * Fontemque donas gratiae.

Dono consilii incestum prohibes, * Geylanam odii caecat luxuries: * Baptistam ut saeva necat Herodias, * Trucidat et haec martyres.

Digitized by Google

In fortitudinis dono martyrium * Subis dulcedinis ob iuge bravium; * Beatitudinis scandis imperium, * Gaudens cum Rege omnium.

Cogat te pietas divini Flaminis, * Fer nobis gratias paterni Numinis, * Ut pestilentias tantae formidinis * Christus tollat, fons luminis.

Vitam hanc miseram timore Domini * Fac nobis perviam tuo precamine; * Det nobis patriam felicis bravii * Deus aeterni gaudii. Amen.

Ant. Omne, quod natum est ex Deo, vincit mundum, et haec est victoria, quae vincit mundum, fides nostra.

℣. Laetamini in Domino, et exsultate iusti.

℟. Et gloriamini omnes recti corde.

Oremus. Deus, qui sanctorum Martyrum Kiliani et sociorum eius mentibus in passione constantiam inspirasti: concede propitius, ut sicut illi, devictis persecutoribus, a te coronari meruerunt, ita nos eorum interventione tua semper protectione laetemur. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum etc. ℟. Amen.

19. In festo S. Udalrici Monachi.

(11 Iulii.)

Hymnus Santolii Victorini.

64. O pulchra acies, castraque fortia, * Quae spes, una fides, unus amor regit! * Omnes lege sub una, * Uno sub duce militant.

Heu! Quantis rapiunt astra laboribus! * Pulsant perpetuis aethera questibus, * Per ieiunia longa * Vires corporis atterunt.

Digitized by Google

Votis unanimes, vi quoque fletuum * Instant, et socias ingeminant preces, * Et concordibus armis * Vim coelo simul inferunt.

Haec vis grata Deo; sic amat optimus * Vinci per lacrimas, per gemitus Pater, * Sic duris reseratur * Coelum condicionibus.

Fervent quando die cuncta tumultibus, * Altum turba silet; cetera dum tacent, * Hi per cantica rumpunt * Noctis longa silentia.

Exercet vigiles continuus labor, * Incumbunt operi non resides manus; * Tellus culta colonis * Victum suppeditat suis.

Quin regina sui mens quoque subditur, * Rectorisque studet nutibus obsequi, * Nil servat sibi iuris, * Capto liberior iugo.

Aeternus sit honos ingenito Patri, * Sit par unigenae gloria Filio, * Sacri nexus amoris, * Laus compar tibi, Spiritus. Amen.

Ant. Ponet desertum eius quasi delicias et solitudinem eius quasi hortum Domini. Gaudium et laetitia invenietur in ea, gratiarum actio et vox laudis.

℣. Benedicite sancti et humiles corde Domino.
℟. Laudate et superexaltate eum in saecula.

Oremus. Deus, qui nos admones exemplo beati Udalrici temporalia despicere et ad aeterna festinare: da famulis tuis, ut, quae tibi placita cognovimus, ipso pro nobis intercedente implere valeamus. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum etc. ℟. Amen.

Digitized by Google

20. In festo S. Vincentii a Paulo, omnium caritatis societatum Patroni.

(24 Iulii.)

Hymnus Breviarii Metensis.

65. Qui mutare solet grandibus infima, * Omnes exsuperans, maximus omnium, * Vincenti, tenuem te Deus extulit, * Coeli coetibus inserens.

Vili sub tuguri tegmine nasceris, * At splendor tenebras excipiet breves: * Te complexa sinu, praesidium sibi * Nutrix pauperies parat.

Ut promptam miseris ferre scias opem, * Duras, heu! pateris servitii vices: * Sed te, dum fidei subdis herum iugo, * Solvit compede veritas.

Quantus nunc operum luce pates! tuis * Christi sponsa nitet culta laboribus: * Clero priscus honos, vivaque languidis * Exsurgit populis fides.

Te montanus, inops, aeger et orphanus, * Te plebs tota suum iure vocat patrem: * Cunctis promptus ades, corpora sublevas, * Mentes concilias Deo.

Regum consiliis iussus ades sacris, * Mentis certa tuae lumine consulunt: * Te nil tangit honos; at miseros ope, * Et regnum monitis iuvas.

Quem flectunt inopes, maxima laus Patri: * Aegris unde salus, maxima Filio: * Blando qui recreas pectora flamine, * Par sit tibi laus, Spiritus. Amen.

Ant. Tulit me Dominus, cum sequerer gregem, et dixit Dominus ad me: Vade, Propheta, ad populum meum.

℣. Erat vir ille simplex et rectus.

℟. Ac timens Deum et recedens a malo.

Digitized by Google

Oremus. Deus, qui ad evangelizandum pauperibus et ecclesiastici ordinis decorem promovendum, beatum Vincentium apostolica virtute roborasti: praesta quaesumus, ut cuius eximia merita veneramur, virtutum quoque instruamur exemplis.

Deus, qui beato Vincentio divina quotidie celebranti mysteria tribuisti, quod tractabat, imitari: eius nobis precibus indulge, ut immaculatam hostiam offerentes, ipsi quoque in holocaustum tibi acceptum transeamus.

Quaesumus, omnipotens Deus, ut ad evangelizantem pauperibus Filium tuum imitandum, beati Vincentii, sicut exemplis provocemur, ita et patrociniis adiuvemur. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

21. In festo B. Bernardi Marchionis, Badeniae Patroni.

(24 Iulii.)

Hymnus Santolii Victorini.

66. Non parta solo sanguine * Ornat Beatos purpura, * Sunt incruenta, quae suos * habent triumphos, proelia.

Non iste flammas, non cruces, * Non sensit uncos pectines: * Crudelis et durus sibi * Se morte lenta conficit.

Si lictor illi defuit, * Si vincla, fustes, ungulae: * Parata pro Christo mori * Hoc supplet omne caritas.

Corpus subegit castitas, * Et liberam mentem fides; * Amor supernis ignibus * Totam litavit hostiam.

Venis apertis omnibus, * Qui vellet ultro erumpere, * Fraudatus optata via, * It fusus in fletum cruor.

Digitized by Google

Da, Christe, sic nos vivere, * Discamus ut semper mori: * Da, post brevis vitae dies, * Vitae perennis gaudia.

Fons sanctitatis, o Deus, * Aeterna iustorum quies, * Honor tibi, laus, gloria * Nunc et per omne saeculum. Amen.

Ant. Qui confidunt in Domino, intellegent veritatem, et fideles in dilectione acquiescent illi; quoniam donum et pax est electis eius.

℣. Sperent in te, qui noverunt nomen tuum.

℟. Quoniam non dereliquisti quaerentes te, Domine.

Oremus. Deus, qui beatum Bernardum Confessorem tuum aeternitatis laurea decorasti: concede propitius, ut qui commemorationis eius festa percolimus, vitae quoque imitemur exempla. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum etc. ℟. Amen.

22. In festo S. Ignatii Confessoris.

(31 Iulii.)

Hymnus in SS. Sacerdotes.

67. O sacerdotum veneranda iura! * Ceu vices Christi teneant, salutis * Arbitri claudunt, reserantque nobis * Atria coeli.

Omne pendentes scelus in statera, * Cum reum solvunt, Deus ipse solvit: * Cum ligant sontem, Deus ipse sontis * Vincula nectit.

Quam manus morbis adhibent peritas! * Cum secant semper pia dextra caedit; * Cum fovent, semper pia lenit ungens * Vulnera dextra.

Digitized by Google

Verba dum promunt, populus fidelis * Excipit vocem, cupidus doceri: * Nempe divinae sacra verba legis * Mente recondunt.

Irruens prompti cohibere fulmen, * Stant ab adverso, Dominumque placant, * Vindices in nos quoties ab alto * Depluit iras.

Dum sacerdotes tua sacra tractant, * Christe, fac sacris, quibus applicasti, * Consonent mores; populique fiat * Forma sacerdos.

Luminis splendor, Patris una Proles, * Christe, te pronus veneretur orbis: * Qui sacerdotes per amoris almi * Flamen inungis. Amen.

Ant. Ignem veni mittere in terram: et quid volo, nisi ut accendatur?

℣. Sperent in te, qui noverunt nomen tuum.

℟. Quoniam non dereliquisti quaerentes te, Domine.

Oremus. Deus, qui ad maiorem tui nominis gloriam propagandam, novo per beatum Ignatium subsidio militantem Ecclesiam roborasti: concede, ut eius auxilio et imitatione certantes in terris, coronari cum ipso mereamur in coelis. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum etc. ℟. Amen.

23. In festo S. Alphonsi de Ligorio.

(2 Aug.)

Hymnus Santolii Victorini in SS. Doctores.

68. Vos succensa Deo splendida lumina, * Vos sal, nos homines quo sapimus Deum, * Aevum, puri animo, moribus integri * Quo condimur in alterum.

Digitized by Google

Per vos Religio tutaque Veritas, * Per vos virgineis fulget honoribus: * Per vos Christus amat pandere divites * Thesauros sapientiae.

Vestris unda fluit pura canalibus, * Christi floret ager, munda nitet seges, * Lac aptum pueris, et solidum viris * Cauti sufficitis cibum.

Hi sunt, summe Deus, qui tibi militant; * Hi sunt, qui stabiles aedificant domos: * Una docta cohors arma tenet manu, * Muros construit altera.

Vicistis stygias vos quibus haereses, * Haec nos accipimus tela superstites, * His pugnamus adhuc, nec dubio exitu, * His armis quoque vincimus.

Sit suprema tibi gloria, Veritas, * Quae per scripta Patrum, quando foris sonas, * Mentes interius mutas doces, simul * Et te cordibus inseris. Amen.

Ant. Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum; manus enim mea auxiliabitur ei.

℣. Iustum deduxit Dominus per vias rectas.

℟. Et ostendit illi regnum Dei.

Oremus. Deus, qui per beatum Alphonsum Mariam Confessorem tuum atque Pontificem, animarum zelo succensum, Ecclesiam tuam nova prole fecundasti: quaesumus, ut eius salutaribus monitis edocti et exemplis roborati ad te pervenire feliciter valeamus. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum etc. ℟. Amen.

Digitized by Google

24. In festo S. Dominici Confessoris.

(4 Aug.)

Hymnus.

69. Hymnum novae laetitiae, * Dulci productum cantico, * Noster depromat hodie * Chorus sancto Dominico.

Vergente mundi vespere, * Novum sidus exoritur, * Et clausis culpae carcere * Praeco salutis mittitur.

Doctrinam evangelicam * Spargens per orbis cardinem, * Pestem fugat haereticam, * Novum producens ordinem.

Hic est fons ille modicus, * Crescens in flumen maximum, * Qui mundo iam mirificus * Potum largitur optimum.

Trino Deo et simplici * Laus, honor, virtus, gloria, * Qui nos prece Dominici * Ducat ad coeli gaudia. Amen.

Hymnus alter.

70. Novus athleta Domini * Collaudetur Dominicus, * Qui rem conformat nomini, * Vir factus evangelicus.

Conservans sine macula * Virginitatis lilium, * Ardebat quasi facula * Pro zelo pereuntium.

Mundum calcans sub pedibus, * Manum misit ad fortia, * Nudus occurrens hostibus, * Christi suffultus gratia.

Pugnat verbo, miraculis, * Missis per orbem fratribus, * Crebros adiungens sedulis * Fletus orationibus.

Trino Deo et simplici * Laus, honor, virtus, gloria, * Qui nos prece Dominici * Ducat ad coeli gaudia. Amen.

Ant. Pactum meum fuit cum eo vitae et pacis; et dedi ei timorem et timuit me, et a facie nominis

Digitized by Google

mei pavebat. Lex veritatis fuit in ore eius, et iniquitas non est inventa in labiis eius. In pace et in aequitate ambulavit mecum, et multos avertit ab iniquitate. Labia enim sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore eius, quia angelus Domini exercituum est.

℣. Natus est homo firmamentum gentis.

℟. Rector fratrum, stabilimentum populi.

Oremus. Deus, qui Ecclesiam tuam beati Dominici Confessoris tui illuminare dignatus es meritis et doctrinis: concede, ut eius intercessione temporalibus non destituatur auxiliis, et spiritualibus semper proficiat incrementis. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum etc. ℟. Amen.

25. In festo S. Laurentii Martyris.

(10 Aug.)

Hymnus.

71. Adest dies gloriosa, * Dies laeta et famosa, * Dies magni gaudii: * Diem istum consecravit * Sanguis sacer, qui manavit * Martyris Laurentii.

In Romana Sede Christus * Hunc perfecit, quando Xystus * Papae locum tenuit. * Hic thesauros sibi datos * Dispergendo fecit gratos, * Nil sibi retinuit.

Signo crucis caeci vident, * Multa signa foris nitent, * Crescit fides Domini. * Inter multos, qui vocantur, * Et baptismo consecrantur, * Domus est Hippolyti.

Domus eius tota credit, * Quam pro Christo Caesar caedit * Dira per supplicia. * Post haec martyr est assatus, * Et per ignem comprobatus, * Intrat coeli gaudia.

Digitized by Google

Ad quem sua sancta prece * Nos mundatos culpae faece * Ducat Dei Filius, * Qui pro nobis fuit passus, * Et pro quo est igne assus * Levita Laurentius. Amen.

Ant. In craticula te Deum non negavi, et ad ignem applicatus te Christum confessus sum: probasti cor meum et visitasti nocte; igne me examinasti, et non est inventa in me iniquitas.

℣. Dispersit, dedit pauperibus.

℟. Iustitia eius manet in saeculum saeculi.

Oremus. Da nobis, quaesumus omnipotens Deus, vitiorum nostrorum flammas exstinguere, qui beato Laurentio tribuisti tormentorum suorum incendia superare.

Excita, Domine, in Ecclesia tua Spiritum, cui beatus Laurentius Levita servivit, ut eodem nos repleti studeamus amare, quod amavit, et opere exercere, quod docuit. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate eiusdem etc. ℟. Amen.

26. In festo S. Bernardi, Doctoris Ecclesiae.

(20 Aug.)

Hymnus.

72. Effulsit lux Ecclesiae, * Claritatis eximiae, * Christi conforma inclytus * Omni virtute praeditus.

Dux viae vitae praevius, * Mysteriorum praescius, * Ducat nos per vitae viam * Ad supernorum regiam.

Hic praeclarus est Bernardus, * Cuius odor velut nardus, * Cuius dulci fragrantia * Referta est Ecclesia.

Hic organum conspicuum, * Eloquium mellifluum, * Per quem flumen vitae fluit, * Et in omnem terram pluit.

Digitized by Google

O Patrone gloriose, * Lux et decor nostrae prosae, * Te invocantes respice * Laudesque dantes melice.

Tu fidelis veri testis, * In terris homo coelestis, * Vita fulgens angelica * Intras in regna coelica.

Nunc cantico virgineo * In thalamo aethereo * Frueris cum virginibus, * Consertus coeli civibus.

Ibi nobis haec implora, * Ut nos Christus in hac hora * Salvet, et nos vultu suo * Laetificet perpetuo.

Sit laus sanctae Trinitati, * Atque trinae Unitati, * Voce et mente sedula * Per cuncta semper saecula. Amen.

Ant. Spiritus Domini super me, propter quod unxit me, evangelizare pauperibus misit me, sanare contritos corde.

℣. Amavit eum Dominus et ornavit eum.

℟. Stolam gloriae induit eum.

Oremus. Deus, qui populo tuo aeternae salutis beatum Bernardum ministrum tribuisti: praesta, quaesumus, ut quem Doctorem vitae habuimus in terris, intercessorem habere mereamur in coelis. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum etc. ℟. Amen.

27. In festo S. Gebhardi, Episcopi Constant.

(27 Aug.)

Hymnus Santolii Victorini.

73. Iesu, sacerdotum decus, * In hac die, qua gloria * Sanctum coronas Praesulem, * Votis adesto supplicum.

Sui probatus praemium * Amoris et pignus tui, * A Patre traditos tibi * Accepit agnos pascere.

Digitized by Google

Hos novit, et praeit vocans * In tuta quemque pascua, * Victumque praebet: audiunt, * Sequuntur et vivunt oves.

Quam sentit errantem iugis, * Hanc nocte quaerit ac die, * Et gaudet inventam suo * Portans ovili reddere.

Arcet frementes bestias, * Lupi retundit impetus, * Dolosque fallit, vel mori * Caro paratus pro grege.

Offert frequentem victimam * Cum plebe pastor innocens, * Secumque devotum gregem * Pius sacerdos immolat.

Supreme Christe Pontifex, * Iugis tibi sit gloria, * Cum Patre cumque Spiritu * In sempiterna saecula. Amen.

Ant. Pascite, qui in vobis est, gregem Dei, providentes non coacte, sed spontanee secundum Deum: neque turpis lucri gratia, sed voluntarie; neque ut dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo. Et cum apparuerit Princeps pastorum, percipietis immarcescibilem gloriae coronam.

℣. Mementote praepositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum Dei.

℟. Quorum intuentes exitum conversationis, imitamini fidem.

Oremus. Deus, qui populis tuis indulgentia consulis et amore dominaris, quique illis regendis vicarios caritatis tuae praeficis ministros: da, quaesumus, intercedente beato Gebhardo pontifice, Spiritum sapientiae, quibus praeesse dedisti Ecclesiae tuae, ut de profectu sanctarum ovium fiant gaudia aeterna pastorum. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Digitized by Google

28. In festo S. Augustini, Doctoris Ecclesiae.

(28 Aug.)

Hymnus.

74. De profundis tenebrarum * Mundo lumen exit clarum * Et scintillat hodie: * Olim quidem vas erroris, * Augustinus vas honoris * Datus est Ecclesiae.

Verbo Dei dum oboedit, * Credit errans et accedit * Ad baptismi gratiam. * Quam imprimis tuebatur, * Verbis, scriptis exsecratur * Erroris fallaciam.

Firmans fidem, formans mores, * Legis sacrae perversores * Verbi necat gladio: * Obmutescit Fortunatus, * Cedunt Manes et Donatus * Tantae lucis radio.

Salve gemma confessorum, * Lumen Christi, vox coelorum, * Tuba vitae, lux doctorum, * Praesul beatissime: * Qui te patrem venerantur, * Te doctore consequantur * Vitam, in qua gloriantur * Beatorum animae. Amen.

Hymnus alter.

75. Magister orbis maxime, * Qui mente clara coelitus * Scrutaris inscrutabile * Trini Dei mysterium.

Ecclesiae sol splendide, * Ardore cuius igneo * Solvuntur imbres criminum, * Nubes fugantur haeresum.

Scriptis refutas Arii, * Manetis orta dogmata, * Donati et atra schismata * Verbo potenti dissipas.

Per te subactis hostibus * Christi triumphat gratia, * Et veritatis fulmine * Anguem Britannum conteris.

Quaecumque monstra protulit * Orcus, quot inde proferet, * Libris repressa concident, * Quibus fides innititur.

Te iure solitudines * Exuberantes monachis, * Et restituti praedicant * Normae priori clerici.

Fove precantes, Trinitas, * Ex Patre Verbum, Caritas, * Quos Patris ardor edidit, * Amoris auge fructibus. Amen.

Digitized by Google

Hymnus tertius.

76. Magne pater Augustine, * Preces nostras suscipe, * Et per eas Conditori * Nos placare satage, * Atque rege gregem tuum, * Summum decus praesulum.

Amatorem paupertatis * Te collaudant pauperes, * Assertorem veritatis * Amant veri iudices. * Frangis nobis favos mellis * De scripturis disserens.

Quae obscura prius erant, * Nobis plana faciens, * Tu de verbis Salvatoris * Dulcem panem conficis, * Et propinas potum vitae * De psalmorum nectare.

Tu de vita clericorum * Sanctam scribis regulam, * Quam qui amant et sequuntur, * Viam tenent regiam, * Atque tuo sancto ductu * Redeunt ad patriam.

Regi regum salus, vita, * Decus et imperium, * Trinitati laus et honor * Sit per omne saeculum, * Qui concives nos adscribat * Supernorum civium. Amen.

Ant. Ecce dedi verba mea in ore tuo, ecce constitui te super gentes et super regna, ut evellas et destruas, et disperdas et dissipes, et aedifices et plantes.

℣. Viam veritatis elegi.

℟. Veritatem et salutare tuum dixi.

Oremus. Adesto supplicationibus nostris, omnipotens Deus, et quibus fiduciam sperandae pietatis indulges, intercedente beato Augustino Confessore tuo atque Pontifice, consuetae misericordiae tribue benignus effectum. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum etc. ℟. Amen.

Digitized by Google

In honorem SS. Quattuor Doctorum.

Sequentia.

77. Sancti visu columbino * Et ascensu aquilino * Te, Christe lux, adeunt: * Hi prudentes sunt aurigae, * Currus Dei et quadrigae, * Plebem Christi subvehunt.

Magne pater Augustine, * Legis amator divinae, * Lux fulgens Ecclesiae: * Fugas hostes, quos et feris, * Mittens tela, per quae teris * Inimicos gratiae.

Arca legis, vas pigmenti, * Contra morbos vas unguenti, * Gregori, os aureum: * Botrus Cypri gerens merum, * Quo gaudium mentis verum, * Os diffundens oleum.

Ut Elias nulli parcens * Vir, Ambrosi, magnos arcens, * Obviando crimini: * Infans sanctum te testatur, * Idem monstrans dum clamatur * Torquens hostes lumini.

Culpans culpas dum fugaris, * Antra petis, nec turbaris, * Doctor Hieronyme: * Carnem domas ieiunando, * Studes legem declarando, * Interpretum maxime.

Hi lucernae ad lucendum, * Nubes isti ad fundendum * Nunc rorem, nunc pluviam: * Sic per fidem nos perducant, * Nos praecedant et inducant * In beatam patriam. Amen.

29. In festo S. Lamberti Episcopi Mart., Patroni urbis Friburgensis.

(17 Sept.)

Hymnus.

78. Hymnos cantemus gratiae * Christo, qui Rex est gloriae, * Et martyris victoriam * Ducamus ad memoriam.

Adsunt sacra sollemnia, * Quibus docet Ecclesia, * Qua sit virtute praeditus * Lambertus martyr inclytus.

Digitized by Google

Invictus in certamine * Athleta Christi nomine * Fidem sinceram tenuit, * Et caritate micuit.

Crimen Pippini prohibens, * Curam sollerter adhibens, * Incestas damnat nuptias, * Verae saluti noxias.

Hinc ut sumatur ultio, * Praesul datur supplicio: * Poenam suffert alacriter, * Quam placat causa iugiter.

Deo Patri cum Filio * Et Spiritu sit unio, * Qui regnat in perpetuum * Et dat robur profectuum. Amen.

Ant. Laetare et lauda Deum, civitas Friburgensis, de Patroni tui Lamberti praesentia, cuius reliquiis ditari meruisti. O amator castitatis, defensor veritatis, Christi Martyr et Sacerdos Lamberte, pro nobis apud Deum intercede.

℣. Gloria et honore coronasti eum, Domine.

℟. Et constituisti eum super opera manuum tuarum.

Oremus. Deus, qui nos beati Lamberti Martyris tui atque Pontificis annua sollemnitate laetificas: concede propitius, ut cuius natalitia colimus, de eiusdem etiam protectione gaudeamus. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum etc. ℟. Amen.

30. In festo S. Landolini Martyris.

(22 Sept.)

Hymnus.

79. Hac in die gloriemur, * Et devote veneremur * Landolini praemia: * Qui pro fide trucidatus, * Iam a Christo sublimatus * Residet in gloria.

Transit rigor hiemalis, * Novus floret flos vernalis * In salutem gentium: * Error cedit, sublimatur * Christi fides, augmentatur * Numerus fidelium.

Digitized by Google

Hostes sternit vis Samsonis, * Lampas lucet Gedeonis, * Dum Sanctus occiditur: * Infideles cuncti credunt, * Aegri clamant et accedunt, * Quibus salus redditur.

Nos aegrotos prece sana, * Quos impugnat caro vana, * Mundus et daemonia: * Pater, dux Alamannorum, * Nos concives fac Sanctorum * In superna curia. Amen.

Ant. Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo, sicut et ego vici et sedi cum Patre meo in throno eius.

℣. Fortitudinem meam ad te custodiam.

℟. Quia Deus susceptor meus es.

Oremus. Deus, pro cuius nomine beatus Landolinus Martyr occubuit: praesta, quaesumus, ut ipsius exemplo animas nostras in patientia possidentes, coronari cum ipso mereamur in coelis. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum etc. ℟. Amen.

31. In festo S. Michaelis Archangeli.

(29 Sept.)

Hymnus S. Rhabani Mauri.

80. Te splendor et virtus Patris, * Te vita, Iesu, cordium, * Ab ore qui pendent tuo, * Laudamus inter Angelos.

Tibi mille densa millium * Ducum corona militat: * Sed explicat victor crucem * Michael salutis signifer.

Draconis hic dirum caput * In ima pellit tartara, * Ducemque cum rebellibus * Coelesti ab arce fulminat

Digitized by Google

Contra ducem superbiae * Sequamur hunc nos principem, * Ut detur ex Agni throno * Nobis corona gloriae.

Patri simulque Filio, * Tibique, Sancte Spiritus, * Sicut fuit, sit iugiter * Saeclum per omne gloria. Amen.

Ant. Princeps gloriosissime, Michael Archangele, esto memor nostri; hic et ubique semper precare pro nobis Filium Dei.

℣. In conspectu Angelorum psallam tibi, Deus meus.

℟. Adorabo ad templum sanctum tuum et confitebor nomini tuo.

Oremus. Deus, qui miro ordine Angelorum ministeria hominumque dispensas: concede propitius, ut a quibus tibi ministrantibus in coelo semper assistitur, ab his in terra vita nostra muniatur. Per Christum Dominum nostrum. Amen [1].

32. In festo SS. Angelorum Custodum.

(2 Oct.)

Hymnus S. Rhabani Mauri.

81. Christe, sanctorum decus Angelorum, * Gentis humanae Sator et Redemptor, * Coelitum nobis tribuas beatas * Scandere sedes.

Angelus pacis Michael in aedes * Coelitus nostras veniat, serenae * Auctor ut pacis lacrimosa in orcum * Bella releget.

Angelus fortis Gabriel, ut hostes * Pellat antiquos, et amica coelo, * Quae triumphator statuit per orbem, * Templa revisat.

---

[1] Ind. 200 d. semel quotidie; plenaria semel in mense Pius VII).

Digitized by Google

Angelus nostrae medicus salutis * Adsit e coelo Raphael, ut omnes * Sanet aegrotos, dubiosque vitae * Dirigat actus.

Virgo, dux pacis, Genitrixque lucis, * Et sacer nobis chorus Angelorum * Semper assistat, simul et micantis * Regia coeli.

Praestet hoc nobis Deitas beata * Patris ac Nati, pariterque Sancti * Spiritus, cuius resonat per omnem * Gloria mundum. Amen.

Hymnus alter.

82. Custodes hominum psallimus Angelos, * Naturae fragili quos Pater addidit * Coelestis comites, insidiantibus * Ne succumberet hostibus.

Nam quod corruerit proditor angelus, * Concessis merito pulsus honoribus, * Ardens invidia pellere nititur * Quos coelo Deus advocat.

Huc custos igitur pervigil advola, * Avertens patria de tibi credita * Tam morbos animi, quam requiescere * Quidquid non sinit incolas.

Sanctae sit Triadi laus pia iugiter * Cuius perpetuo numine machina * Triplex haec regitur, cuius in omnia * Regnat gloria saecula. Amen.

Ant. Sunt administratorii spiritus, in ministerium missi propter eos, qui haereditatem capient salutis.

℣. Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum.

℟. Et eripiet eos.

Oremus. Deus, qui miro ordine Angelorum ministeria hominumque dispensas: concede propitius, ut a quibus tibi ministrantibus in coelo semper assistitur, ab his in terra vita nostra muniatur.

Digitized by Google

Deus, qui ineffabili providentia sanctos Angelos tuos ad nostram custodiam mittere dignaris: largire supplicibus tuis, et eorum semper protectione defendi, et aeterna societate gaudere. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

33. In festo S. Francisci Seraphici.

(4 Oct.)

Hymnus.

83. Crucis arma fulgentia * Vidit Franciscus dormiens, * Christum dicentem audiens: * „Tua erunt haec omnia."

Crucis ut ad supplicia * Christum Franciscus positum * Videt et audit monitum: * „Haec sequere vestigia!"

Crucis vox hunc alloquitur, * Ter dicens: „Tu te praepara, * Vade, Francisce, repara * Domum meam, quae labitur."

Crucis arbor eximia * Per os Francisci surgere * Apparens cogit fugere * Draconem et daemonia.

Crucis haerens vestigiis * Crucis fructum consequitur, * Dum Iesu carne pingitur * Et signatur insigniis.

Crucis virtus et gratia * Nos consignet in frontibus, * In membris et in sensibus * Pro perenni custodia. Amen.

Hymnus alter.

84. Salve, pater paupertatis, * Miles mirae novitatis, * Summi regis signifer: * Hostes per te reprimuntur, * Atque vires largiuntur * Certanti viriliter.

Te precamur, pater pie, * Ut in poena huius viae * Nos defendas iugiter: * Sisque nostri custos bonus, * Rector dulcis et patronus, * Nos regens salubriter.

Digitized by Google

In tremendae hora mortis, * Dum aderit leo fortis, * Armatus ferociter: * Stes pro nobis praeparatus, * Ne nos ille desperatus * Captivet crudeliter.

Sed a Christo tunc erepti * Per te simus et recepti * In coelo alacriter: * O praedulcis signifer, * Dulcem Iesum deprecare, * Ut cum Sanctis iugiter * Mereamur habitare. Amen.

Ant. Quasi arcus refulgens inter nebulas gloriae, et quasi sol radians effulsit ille in templo Dei.

℣. Signasti, Domine, servum tuum Franciscum.

℟. Signis redemptionis nostrae.

Oremus. Domine Iesu Christe, qui frigescente mundo ad inflammandum corda nostra tui amoris igne, in carne beatissimi Francisci passionis tuae sacra stigmata renovasti: concede propitius, ut eius meritis et precibus crucem iugiter feramus et dignos fructus poenitentiae faciamus. Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti Deus per omnia saecula saeculorum. Amen.

34. In festo S. Pelagii Martyris.

(11 Oct.)

Hymnus Santolii Victorini.

85. Ex quo salus mortalium * Fluxit sacer Dei cruor, * Homo redemptus aemulum * Deo litavit sanguinem.

Non iam Crucis Christi pudet, * Quin surgit ingens gloria, * Deum fateri mortuum, * Pro mortuo mori Deo.

Hoc iste plenus spiritu * Ridet minas, ridet neces: * Tuaque fretus dextera * Tibi, Redemptor, militat.

Parata spectans praemia, * Securus ad poenas volat: * Sic pugnat, ut speret mori * Et morte mortem vincere.

Digitized by Google

Unus tot armatas manus * Stupente lassat iudice; * Et tortus ipsis qui cadit * Tortoribus fit fortior.

Da, Christe, tanti militis * Aequare facta fortia: * Da sustinere pro tuo * Quodcumque durum nomine.

Fortem coronans militem, * Iesu, tibi sit gloria, * Cum Patre cumque Spiritu * In sempiterna saecula. Amen.

Ant. Usque ad mortem certa pro iustitia, et Deus expugnabit pro te inimicos tuos.

℣. Cantabo, Domine, fortitudinem tuam.

℟. Et exaltabo mane misericordiam tuam.

Oremus. Praesta nobis, Domine, ut sicut beatus Martyr tuus Pelagius in flore iuventutis suae certavit bonum certamen fidei et vitam aeternam apprehendit, ita et nos fortiter certantes in terris, cum ipso coronari mereamur in coelis. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum etc. ℟. Amen.

35. In festo S. Galli Abbatis.

(16 Oct.)

Hymnus.

86. Vita Sanctorum, via, spes salusque, * Christe, largitor probitatis atque * Conditor pacis, tibi voce, sensu * Pangimus hymnum.

Qui tua sanctum pietate Gallum * Indicem lucis superae dedisti, * Eius ut docti monitis tenebras * Mente vitemus.

Hic ad exemplum volucris canorae * Actibus sese prius excitavit, * Ut, quod ingessit vigor instruentis, * Vita probaret.

Digitized by Google

Qui potens verbo, venerandus actu, * Semper aeternis inhians lucellis, * Plura virtutis meruit supernae * Signa patenter.

Quaesumus, mundi Sator et Redemptor, * Ut sacris eius precibus tueri * Hanc velis plebem, tribuens, quod optat, * Corde benigno.

Temporum pacem, fidei tenorem, * Languidis curam veniamque lapsis, * Omnibus praesta pariter beatae * Pignora vitae.

Hoc Patris Proles, Pater hoc benignus, * Spiritus praesens hoc utrique compar, * Nunc et aeterno faciat manere * Tempore saecli. Amen.

Ant. Sapientia direxit opera eorum; iter fecerunt per deserta, quae non habitabantur, et in locis desertis fixerunt casas.

℣. Cantabiles mihi erant iustificationes tuae.

℟. In loco peregrinationis meae.

Oremus. Deus, innocentiae restitutor et amator, excita in tuorum cordibus servorum spiritum, quo tibi beatus Gallus Abbas servivit, ut eodem fervore concepto in tua semper benedictione laetemur. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum etc. ℟. Amen.

36. In festo Omnium Sanctorum.

(1 Nov.)

Hymnus.

87. Placare, Christe, servulis, * Quibus Patris clementiam * Tuae ad tribunal gratiae * Patrona Virgo postulat.

Et vos beata, per novem * Distincta gyros, agmina, * Antiqua cum praesentibus, * Futura damna pellite.

Digitized by Google

Apostoli cum Vatibus, * Apud severum Iudicem * Veris reorum fletibus * Exposcite indulgentiam.

Vos purpurati Martyres, * Vos candidati praemio * Confessionis, exsules * Vocate nos in patriam.

Chorea casta virginum, * Et quos eremus incolas * Transmisit astris, coelitum * Locate nos in sedibus.

Auferte gentem perfidam * Credentium de finibus: * Ut unus omnes unicum * Ovile nos pastor regat.

Deo Patri sit gloria, * Natoque Patris unico, * Sancto simul Paraclito * In sempiterna saecula. Amen.

Ant. Filii Sanctorum sumus, et vitam illam exspectamus, quam Deus daturus est his, qui fidem suam nunquam mutant ab eo.

℣. Vox exsultationis et salutis.

℟. In tabernaculis iustorum.

Oremus. Omnipotens sempiterne Deus, qui nos omnium Sanctorum tuorum merita sub una tribuisti celebritate venerari: quaesumus, ut desideratam nobis tuae propitiationis abundantiam multiplicatis intercessoribus largiaris. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

37. In festo S. Pirminii, Episcopi Meldensis, Alemanniae Apostoli.

(3 Nov.)

Hymnus.

88. Gaude, felix Mater nostra, * Sancta Dei Ecclesia, * Victor stat Pirminius, * Patrem quem nos colimus.

Cuius odor dum fragrabat, * Omnes fide confortabat: * Movent verba, fulget vita, * Demonstrant miracula.

Digitized by Google

Mox doctrina aurea * Splenduit provincia: * Sancti donum Spiritus * Dicunt omnes, coelitus.

Cuncti tui proclamamus, * Hoc qui die te laudamus: * Sancte Praesul, nos tuere, * Duc ad fontem lucis verae.

Praesta, Pater et patrone, * Praesta Fili, pastor bone, * Praesta, Spiritus amborum, * Medicinam peccatorum. Amen.

Ant. Laudemus viros gloriosos et parentes nostros in generatione sua: quorum intuentes exitum, conversationis sequamur vestigia.

℣. Elegit eum Dominus sacerdotem sibi.

℟. Ad sacrificandum ei hostiam laudis.

Oremus. Da, quaesumus omnipotens Deus, ut beati Pirminii Confessoris tui atque Pontificis veneranda sollemnitas et devotionem nobis augeat et salutem. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum etc. ℟. Amen.

38. In festo S. Caroli Borromaei, Archiepisc., Collegii theologici Friburgensis Patroni.

(4 Nov.)

Hymnus.

89. Coeli cives, applaudite, * Et vos, fratres, concĩnite: * Patris nostri sollemnia * Anni reduxit orbita.

Hinc ergo psalmi resonent, * Hinc lectiones concrepent, * Et hymnorum dulcisona * Multiplicentur cantica.

Quod lingua foris personat, * Intus affectus sentiat, * Nec imitari pigeat, * Quod laudare mens approbat.

Digitized by Google

Hunc post mundi pericula * Coeli suscepit curia, * Quem cum servis fidelibus * Iam coronavit Dominus.

Conemur totis viribus, * Iungamus preces precibus, * Ut Caroli promeritis * Coeli fruamur gaudiis.

Laudemus et nos Dominum, * Patrem et Patris Filium, * Sanctum quoque Paraclitum * Nunc et per omne saeculum. Amen.

Hymnus Breviarii Coloniensis.

90. Christe, pastorum caput atque princeps, * Praesulis festam venerata lucem, * Debitis supplex tua templa votis * Turba frequentat.

Ille non vano tenuit tremendam * Spiritu sedem, proprio nec ausu: * Sed sacrum iussus, Domino vocante, * Sumpsit honorem.

Strenuum bello pugilem superni * Chrismatis pleno tuus unxit intus * Spiritus cornu, posuitque sanctam * Pascere gentem.

Fit gregis pastor, pater atque forma: * Laetus impendit sua, seque: servus * Omnium, curis gravis, omnibusque * Omnia factus.

Pro reis orat, reficit gementes, * Erigit lapsos, tenebrasque pellit, * Fit potens verbo, docet alta, pravum * Conterit hostem.

Fac, ut illius precibus iuvemur, * Christe; fac, Patrem, pariterque tecum * Spiritum iugi celebremus hymno * Omne per aevum. Amen.

Ant. Adduxit Sacerdotes atque Levitas, et congregavit eos, dixitque ad eos: Sanctificamini, mundate domum Domini Dei, et auferte immunditiam de sanctuario.

℣. Ipse est directus divinitus in poenitentiam gentis.

℟. Et in diebus peccatorum corroboravit pietatem.

Digitized by Google

Oremus. Ecclesiam tuam, Domine, sancti Caroli Confessoris tui atque Pontificis continua protectione custodi, ut sicut illum pastoralis sollicitudo gloriosum reddidit, ita nos eius intercessio in tuo semper faciat amore ferventes. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum etc. ℟. Amen.

Oremus. Domine Iesu Christe, Rex gloriae et splendor Sanctorum, gratias ingentes agimus tibi, qui tot praeclara lumina et ardentes quasi faces in Ecclesia collocasti: ut qui in domo tua vivunt et aliena luce indigent, Sanctorum tuorum monitis et exemplis illuminentur; qui inter alios confessores sanctum Carolum in cleri decus sublimasti, ut multis esset exemplo et patrocinio: da, nos eius precibus adiuvari, ut cum sanctis Sacerdotibus et Levitis tuis fidem Catholicam non solum corde et ore, sed et vita et opere confiteamur et praedicemus, utque scientes et facientes Domini voluntatem, in domo tua tamquam accensa luminaria undequaque splendere, et nomen tuum sanctum semper glorificare valeamus. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

39. In festo S. Elisabeth Viduae.

(19 Nov.)

Hymnus.

91. O Elisabeth Regina, * Tota mente columbina, * Caritate reple bina * Mentis nostrae atria.

Paupertatem elegisti, * Regnum mundi contempsisti, * Pro quo regnum Iesu Christi * Possides cum gloria.

Digitized by Google

Sanctitate non pusilla, * Quamvis pauperum ancilla, * Vere mater tu es, illa * Quae potes ex gratia.

Suscitatrix mortuorum, * Consolatrix miserorum, * Caeco nato oculorum * Lumen das propitia.

O beata, o benigna, * Mater omni laude digna, * Serva tuos et consigna * Sanctorum laetitia.

Nos consortes tuae sortis, * Fac, a poenis et a portis * Transeamus hora mortis * Ad aeterna gaudia. Amen.

Hymnus alter.

92. Ave, gemma speciosa, * Mulierum sidus, rosa, * Ex regali stirpe nata, * Nunc in coelis coronata.

Mundo licet viro data, * Christo tamen desponsata, * Utriusque sponsalia * Simul servas illibata.

Saram sequens fide pia, * Rebeccam prudentia, * O dilecta, o beata, * Nostra esto advocata.

Ut quantorum peccatorum * Veniam sic consequamur, * Quod tantorum post laborum * Finem tecum gradiamur. Amen.

Ant. Regnum mundi et omnem ornatum saeculi contempsi propter amorem Domini mei Iesu Christi, quem vidi, quem amavi, in quem credidi, quem dilexi.

℣. Diffusa est gratia in labiis tuis.

℟. Propterea benedixit te Deus in aeternum.

Oremus. Tuorum corda fidelium, Deus miserator, illustra, et beatae Elisabeth precibus gloriosis fac nos prospera mundi despicere et coelesti semper consolatione gaudere. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum etc. ℟. Amen.

Digitized by Google

40. In festo S. Conradi, Episc. Constant., Archidioecesis Friburg. Patroni.

(26 Nov.)

Hymnus Breviarii Constantiensis.

93. Patrono nostro inclyto * Conradoque emerito * Cum canticis memoriae * Hymnum canamus gloriae.

Qui ex magnatum genere * Natus, nutritus tenere, * Virtuti se implicuit, * Novum sidus emicuit.

Qui praesulis officio * Promotus, exercitio * Pio instans regimini, * Iste confessor Domini.

Praesul sua pauperibus * Dedit, templa muneribus * Replens, augebat meritum, * Deus, tuorum militum.

Vivam vomit araneam * Sumptam, non laesus per eam, * Timore cibi vividi, * Ad coenam Agni providi.

Conradus hinc miraculis * Clandestinis et patulis * Fulsit post vitae somnium * In aula nunc coelestium.

Laus Patri, Nato, Flamini, * Qui Conradi precamine * In coelis donet grandia * Beata nobis gaudia. Amen.

Sequentia.

94. Gaude, mater nobilis, * Constans et immobilis, * Urbs clara Constantia: * Tui festa praesulis * Veneranda populis, * Colens cum laetitia.

O sanctum Pontificem, * Qui transcendens apicem * Militantis curiae, * In coelesti patria * Regis subit atria * Triumphantis gloriae.

Cuius beneficiis, * Signis et prodigiis * Ornatur Ecclesia: * Nam caecis infunditur * Lumen, clausis redditur * Gressus cum fiducia.

O virtutum artifex, * O salutis opifex, * Christo nos concilia: * Actus nostros dirige, * Prece lapsos erige, * Poscens coeli gaudia. Amen.

Digitized by Google

Ant. Sacerdos et Pontifex et virtutum opifex, pastor bone in populo, ora pro nobis Dominum.

℣. Amavit eum Dominus et ornavit eum.

℟. Stolam gloriae induit eum.

Oremus. Sancti Patris nostri Conradi sollemnia celebrantes, te, Domine, suppliciter obsecramus, ut ipsum apud tuam clementiam sentiamus habere Patronum, quem nobis tua gratia providisti salutis aeternae ministrum. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum etc. ℟. Amen.

41. In festo B. Alberti Magni.

(28 Nov.)

Sequentia.

95. Salve, alme vir, Albertus, * Vas electum, qui refertus * Dei sapientia.

Vas infusum vena vitae, * Vas profundens vinum vitae, * Vas abundans gratia.

Salve, lux et dux doctorum, * Malleus inimicorum * Conterens perfidiam.

Tu decus theologorum, * Tu mundi philosophorum * Superas scientiam.

Nunc in arce fulgens poli, * Pete, pater, tuae proli * Gratiae subsidium.

Tu in polo, nos in solo: * Fac, ne belli vi vel dolo * Supplantemur hostium. Amen.

Ant. In medio Ecclesiae aperuit os eius, et implevit eum Dominus Spiritu sapientiae et intellectus: stolam gloriae induit eum.

℣. Beatus homo, quem tu erudieris, Domine.

℟. Et de lege tua docueris eum.

Digitized by Google

Oremus. Deus, qui nobis aeternae salutis beatum Albertum ministrum tribuisti: praesta, quaesumus, ut quem Doctorem vitae habuimus in terris, intercessorem habere mereamur in coelis. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat etc. ℟. Amen.

Oratio pro impetranda pace.

Da pacem, Domine, in diebus nostris, quia non est alius, qui pugnet pro nobis, nisi tu, Deus noster.

℣. Fiat pax in virtute tua.

℟. Et abundantia in turribus tuis.

Oremus. Deus, a quo sancta desideria, recta consilia et iusta sunt opera: da servis tuis illam, quam mundus dare non potest, pacem, ut et corda nostra mandatis tuis dedita, et hostium sublata formidine, tempora sint tua protectione tranquilla. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Digitized by Google

Pars VIII.

Suffragia.

1. Suffragia, quae ad vitam christianam spectant.

Professio fidei catholicae.

Ego N. N. firma fide credo et profiteor omnia et singula, quae continentur in symbolo fidei, quo sancta Romana Ecclesia utitur, videlicet:

Credo in unum Deum, Patrem omnipotentem, factorem coeli et terrae, visibilium omnium et invisibilium. Et in unum Dominum Iesum Christum, Filium Dei unigenitum. Et ex Patre natum ante omnia saecula. Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero. Genitum, non factum, consubstantialem Patri: per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines, et propter nostram salutem descendit de coelis. Et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine: et homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus et sepultus est. Et resurrexit tertia die secundum scripturas. Et ascendit in coelum, sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum

Digitized by Google

gloria iudicare vivos et mortuos, cuius regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum, Dominum et Vivificantem, qui ex Patre Filioque procedit. Qui cum Patre et Filio simul adoratur et conglorificatur, qui locutus est per Prophetas. Et unam sanctam Catholicam et Apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum. Et exspecto resurrectionem mortuorum et vitam venturi saeculi. Amen.

Apostolicas et ecclesiasticas traditiones reliquasque eiusdem Ecclesiae observationes et constitutiones firmissime admitto et amplector.

Item sacram Scripturam, iuxta eundem sensum, quem tenuit et tenet sancta Mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu et interpretatione sacrarum Scripturarum, admitto, nec eam unquam, nisi iuxta unanimem consensum Patrum, accipiam et interpretabor.

Profiteor quoque, septem esse vere et proprie Sacramenta novae legis, a Iesu Christo Domino nostro instituta, atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis, necessaria: scilicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Poenitentiam, extremam Unctionem, Ordinem et Matrimonium, illaque gratiam conferre, et ex his Baptismum, Confirmationem et Ordinem sine sacrilegio reiterari non posse.

Receptos quoque et approbatos Ecclesiae Catholicae Ritus, in supradictorum omnium sacramentorum sollemni administratione, recipio et admitto.

Digitized by Google

Omnia et singula, quae de peccato originali et de iustificatione in sacrosancta Tridentina Synodo definita et declarata fuerunt, amplector et recipio.

Profiteor pariter in Missa offerri Deo verum, proprium et propitiatorium Sacrificium, pro vivis et defunctis, atque in sanctissimo Eucharistiae sacramento esse vere, realiter et substantialiter Corpus et Sanguinem, una cum anima et divinitate Domini nostri Iesu Christi, fierique conversionem totius substantiae panis in Corpus et totius substantiae vini in Sanguinem, quam conversionem Catholica Ecclesia transsubstantiationem appellat.

Fateor etiam sub altera tantum specie, totum atque integrum Christum verumque sacramentum sumi.

Constanter teneo Purgatorium esse animasque ibi detentas fidelium suffragiis iuvari.

Similiter et Sanctos, una cum Christo regnantes, venerandos atque invocandos esse, eosque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum Reliquias esse venerandas.

Firmissime assero imagines Christi atque Deiparae semper Virginis, nec non aliorum Sanctorum habendas et retinendas esse, atque iis debitum honorem et venerationem impertiendam.

Indulgentiarum etiam potestatem a Christo in Ecclesia relictam fuisse, illarumque usum christiano populo maxime salutarem esse affirmo.

Sanctam Catholicam et Apostolicam Romanam Ecclesiam omnium Ecclesiarum matrem et magistram agnosco, Romanoque Pontifici, beati Petri

Digitized by Google

Apostolorum Principis successori ac Iesu Christi vicario, veram oboedientiam spondeo et iuro.

Cetera item omnia, a sacris canonibus et oecumenicis Conciliis, ac praecipue a sacrosancta Tridentina Synodo et ab oecumenico Concilio Vaticano tradita, definita ac declarata, praesertim de Romani Pontificis Primatu et infallibili magisterio, indubitanter recipio atque profiteor; simulque contraria omnia, atque haereses quascumque ab Ecclesia damnatas et reiectas et anathematizatas ego pariter damno, reicio et anathematizo. Hanc veram Catholicam fidem, extra quam nemo salvus esse potest, quam in praesenti sponte profiteor et veraciter teneo, eandem integram et inviolatam, usque ad extremum vitae spiritum, constantissime (Deo adiuvante) retinere et confiteri, atque a meis subditis vel illis, quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri, doceri et praedicari, quantum in me erit, curaturum. Ego idem N. N. spondeo, voveo ac iuro; sic me Deus adiuvet et haec sancta Dei Evangelia.

„In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum.“

Pro vera fide precatio.

Illumina cor meum, omnipotens Deus, ut verae Catholicaeque fidei luce perfundar, ac eam in Baptismo acceptam perpetuo servem: quoniam sine fide nemo tibi gratus, nemo iustus ac salvus esse potest.

Digitized by Google

Concede mihi Catholicam veritatem firmo corde complecti ac ingenue profiteri, ut hanc lucem nec homines nec daemones mihi unquam exstinguant. Credo in te Deum Patrem, Deum Filium, Deum Spiritum Sanctum, unam et individuam aeternamque Trinitatem. Quod orthodoxae fidei consonum est, amplector et approbo: quod alienum et adversum, reicio atque damno.

Novam religionem novaque dogmata (praesentes fidei pestes, merasque Satanae praestigias) detestor et exsecror.

Per omnia constanter adhaereo Ecclesiae, de qua Filius tuus dixit: Si quis Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus.

In illius Ecclesiae fide ac auctoritate prorsus acquiesco, quae sancta, Catholica et Romana est, columna et firmamentum veritatis, ut in fide et doctrina errare non possit, cum fidum rectorem ac infallibilem doctorem usque habeat Spiritum Sanctum.

Tu vero, qui aeterna veritas Deus exsistis, Catholicam hanc fidem in me confirmare et augere digneris, ut eiusmodi thesaurum ab omni errore integrum semper asservem, tantamque lucem tot saeculis in toto orbe fulgentem vita et opere, immo etiam, si sit opus, morte et sanguine te duce comprobem. Sic enim a Filio tuo sumus edocti: Omnis, qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo, qui in coelis est.

Contra fidem hanc quidquid egero, dixero vel mecum statuero unquam, id modo et postea revocatum in perpetuum volo.

Digitized by Google

Conserva mihi, Deus, hanc voluntatem per Iesum Christum Dominum et iudicem nostrum. Amen.

Pro vera spe oratio.

In te, Domine, speravi, ac bonitati tuae confidam semper, benignissime Deus, qui sperantes in te nunquam deseris, sed illis gratiam hoc tempore et futurae vitae gloriam perpetuam polliceris. Da mihi, quaeso, Deus potens, Deus clemens, Deus patiens, qui manuum tuarum figmentum fragile cognoscis: da, inquam, sine desperatione et praesumptione tibi recte fidere, tuaque potentia et bonitate in rebus omnibus niti, ac praesertim in rebus adversis a te, summo bono, constanter longanimiterque pendere et exspectare bona omnia, maxime vero spiritualia et aeterna, quae nobis dare disponis.

In te, Domine, sperabo, qui es refugium meum, fortitudo mea et salus mea, quique non derelinquis nisi derelinquentem te, et a te fonte vivo fugientem. Non timebo igitur, sed firmiter in te sperabo, in te virtutem faciam, et inimici mei omnes ad nihilum redigentur. Si enim tu Deus pro nobis, quis contra nos?

Auge in nobis veram et firmam fiduciam, cum qua saepe ad gratiae tuae thronum accedam, et promissam opem atque misericordiam tuam petam in auxilio opportuno et consequar. Per Iesum Christum Filium tuum Dominum nostrum. Amen.

Digitized by Google

Oratio pro caritate consequenda.

Diligam te, Domine, summum aeternumque bonum, quemadmodum tu mandasti, et ego debeo: diligam, inquam, ex toto corde meo, ex tota anima mea, ex tota mente mea et ex tota fortitudine mea.

Hoc autem ut fiat, ardeat in me, quaeso, ille caritatis ignis, quem ut in nobis accenderes, de coelo venisti, et Spiritum Sanctum, qui et ipse est caritas, credentium cordibus infudisti.

Aufer a me caritatis venenum et malorum omnium radicem, cupiditatem; pro qua cordi meo insere placentem tibi super omnia castae dilectionis affectum, ut tu in omnibus et super omnia, proximus vero in te et propter te sincere nobis diligatur.

Et quia primum et summum, sicut et alterum caritatis praeceptum tuum aeque necessarium est, habeat illud suam apud me vim et energiam, ut sicut tu iustissime postulas, ante omnia nobis observetur.

Sed opus est Spiritu tuo Sancto, qui caritatis legem inscribat cordibus nostris, ut te super omnia quaeramus, meditemur, loquamur, et in viis omnibus tibi flagranti animo adhaereamus.

Depelle autem, quae ab amore et cultu tuo persaepe nos remorantur, nec permitte fraternum amorem in nobis refrigescere, sed per amoris vinculum nos velut eiusdem capitis et corporis membra colligatos tene, ut cum amicis et hostibus coniunctissime vivamus, nec verbo et lingua tantum

Digitized by Google

sed etiam opere et veritate de omnibus bene mereamur, Christique perfecte nos amantis exemplo magis magisque conformemur: per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

Pro impetrando timore Dei oratio.

O me durum et praefractum! Quomodo adeo insensata es, anima mea, ut Deum et Dominum tuum nec ames, nec timeas, nec propter illius iustitiam et tuam ipsius iniustitiam pudore et terrore concutiaris! Vae mihi caeco et stupido, qui me et peccata mea non agnosco et Dei iudicia, quae sunt abyssus multa, non extimesco cum viro sancto, qui dixit: „Verebar omnia opera mea, sciens, quod non parceres delinquenti.“ Sed confige, Domine, timore tuo carnes meas, et spiritum compunctionis largire, ut cum timore et tremore serviam tibi, qui ignis consumens es, et ad cuius conspectum etiam Angeli contremiscunt. Aperi oculos meos, ut videam et perhorrescam meas tenebras et sordes, meas miserias et poenas, quas meritus sum. Non homines, sed te timeam, qui potes animam et corpus mittere in gehennam, et iustitias ipsas in servis tuis iudicas, unicuique secundum opera sua redditurus. Discam sub potenti manu tua me humiliare, sciam novissima mea providere, ac meam salutem cum timore et tremore operari non desinam. Tibi enim, Domine, iustitia, nobis autem confusio faciei debetur, qui a mandatis tuis ac iudiciis declinavimus. Deus, qui terribilis es et metuendus nimis, propitius esto mihi peccatori. Amen.

Digitized by Google

Pro impetranda atque conservanda corporis et animae puritate oratio.

O Fili Virginis, Iesu Christe, dilectissime animae meae, cuius oculi contemplantur me omni loco: beati sane sunt mundo corde, vere beati, quoniam ipsi te videbunt; hoc est unicum votum meum et omne desiderium meum.

Audivi dicentem Ecclesiasten tuum: Qui diligit cordis munditiam, propter gratiam labiorum suorum habebit amicum regem. Ideo ego eam diligo, ut tu mihi, amantissime Domine, amicus sis, qui dedisti mihi gratiam, ut caperem verbum, quod non omnes capiunt: ut non nuberem, sed essem sicut Angelus Dei, sollicitus tantum de iis, quae Domini mei sunt: ut anima mea tota pulchra et sine macula et ruga audire aliquando mereatur: Veni, veni de Libano, soror mea, sponsa, veni, coronaberis.

Sed quia scio, quoniam aliter non possum esse continens, nisi tu Deus des mihi, rogo te per viscera misericordiae tuae, custodi animam meam, quoniam sanctus sum, ut vitem occasiones malas et omnem conversationem pravam, et diligentissime sensus custodiam, ut ignem illum evadam, qui ad internecionem devorat, omnia eradicans genimina; urat vero me ignis amoris tui, quem misisti in terram, et voluisti vehementer accendi. Amen.

Alia in eundem finem oratio.

Domine Deus omnipotens, qui creasti animam meam ad similitudinem tuam, noli, quaeso, permit-

Digitized by Google

tere, ut imaginem tuam unquam commaculem. Tu minaris interitum iis, qui violant sanctum templum tuum; corpus meum, o mi Deus, est templum tibi sacratum, in quo Spiritus Sanctus residet per gratiam suam, quodque Iesus Christus toties sanctificavit honorabili praesentia sua, se ipsum mihi communicando in sacra Synaxi. Noli ergo, mi Deus, in hoc templo tolerare abominationes illas, quas tanto horrore exsecraris, nec permitte puritatem cordis aut corporis mei quavis ratione violari.

Scio speciali gratia opus esse ad impetrandam et conservandam pretiosam hanc margaritam, atque ideo ad te confugio, Sponse castissime virginum. Quam multi ope gratiae tuae in terris vixerunt, velut Angeli in coelis! Non minus illi fragiles fuerunt, quam ego; non est igitur, cur fragilitas mea me deiciat, aut difficultates terreant, si non minus quam ipsis digneris vires addere infirmitati meae: quid enim non possim in eo, qui me confortat?

Da ergo mihi gratiam, ut tanta cura mihi invigilem, tantoque cum fervore precibus insistam, ut tentator, inimicus gloriae tuae meaeque salutis, nunquam aliquid contra me evincat. Fac, ut ita regam ac moderer imaginationem meam, ita custodiam omnes sensus meos, ut tam sollicite declinem omnes occasiones, ita abhorream ab omni eo, quod puritatem labefactare possit, tamque tenerae hac in re sim conscientiae, ut nihil unquam in me tam excellentem ac delicatam virtutem possit obfuscare.

Digitized by Google

O Domina et Mater mea, Maria! in fidem et signum meae subiectionis consecro tibi hodiernum diem et dono oculos meos, aures, linguam, cor ac totum me; itaque per hunc diem totus tuus sum integre; tu me defende, et posside tamquam tuum!

Obsecro te, virginum castissima, per immaculatam tuam Conceptionem, ut mihi hodie fideliter assistas, ne quid mihi contra castitatem culpabiliter contingat. Flos castitatis, Dei Genitrix, intercede pro me!

Per tuam sanctissimam Virginitatem, purissima Virgo Maria, emunda carnem et animam meam in nomine † Patris et † Filii et † Spiritus Sancti. Amen.

Exercitium pietatis,

ab Alexandro VII et Innocentio XI summe commendatum.

Adoro te, o Sanctissima Trinitas, Pater, Filius et Spiritus Sanctus, tres personae, unus et solus Deus!

Deicio me in abyssum mei nihili, sub conspectu divinae maiestatis tuae.

Credo firmissime, paratus mille vitas profundere in contestationem omnium eorum, quae nobis in sacra Scriptura revelasti, et per Ecclesiam tuam credenda proposuisti.

Omnem spem meam in te colloco, et quidquid possum habere boni, sive spiritualis sive corporalis, tam in hac quam in altera vita, id totum desidero, spero et volo solum consequi de manu tua, Deus meus, vita mea et unica spes mea.

Digitized by Google

Consigno tibi hodie et in perpetuum corpus et animam meam, omnes potentias meas, memoriam, intellectum, voluntatem et omnes sensus meos.

Protestor me non consentire neque consensurum unquam, quantum in me est, in ullam rem, quae fiat vel cum minima offensa tuae divinae maiestatis.

Propono firmissime impendere omne esse meum, facultates ac vires meas ad servitium et gloriam tuam.

Paratus sum suscipere quascumque adversitates, quas mihi paterna tua manus immiserit, ad dandum gustum beatissimo Cordi tuo.

Vellem me totum, quantus sum, impendere et procurare, ut ab omnibus tibi serviatur, atque omnes homines te glorificent et ament Deum Creatorem suum.

Gaudeo summe de tua aeterna felicitate, et exsulto de tua tam magna gloria in coelo et in terra.

Gratias tibi ago infinitas pro innumeris beneficiis, quae mihi et toti mundo collata sunt, et in dies incessanter a benignissima tua providentia conferuntur.

Amo tuam infinitam bonitatem propter se ipsam ex toto affectu cordis et animae meae; et vellem, si possem, amare eo amore, quo te amant Angeli et homines iusti, cum quorum amore coniungo imperfectissimum amorem meum.

Offero divinae maiestati tuae, in unione meritorum passionis, vitae et mortis Christi, beatissimae semper Virginis et omnium Sanctorum, ex nunc

Digitized by Google

pro semper omnia opera mea, pretiosissimo Sanguine Iesu Redemptoris nostri lota et involuta.

Statuo omnino participem me facere, quantum possibile est, indulgentiarum per preces et actiones huius diei, et illas applicare per modum suffragii pro animabus purgatorii.

Volo etiam omne illud, quod possum, offerre in poenitentiam et satisfactionem meorum peccatorum.

Deus meus! cum tu sis infinite dignus omni amore et servitio, si quidem tu es, qui es: doleo ex toto corde de omnibus meis peccatis, illaque detestor super omnia mala, quia tibi Deo meo, quem super omnia amo, summopere displicent: peto humillime veniam, facioque firmissimum propositum, nunquam offendendi tuam bonitatem in aeternum.

In tua vulnera me proicio, o Iesu! ibi me absconde et defende, hodie et semper, donec mihi largiaris gratiam videndi te et amandi in aeternum. Amen.

Oratio S. Thomae Aquinatis pro obtinendis virtutibus.

O Deus omnipotens, omnia sciens, principio et fine carens, qui es virtutum donator et conservator et remunerator, digneris me stabilire solido fidei fundamento, et tueri inexpugnabili spei clypeo, atque decorare nuptiali caritatis vestimento. Da mihi per iustitiam tibi subesse, per prudentiam insidias diaboli cavere, per temperantiam medium tenere, per fortitudinem adversa patienter tolerare. Da bonum, quod habeo, non habentibus libenter

Digitized by Google

impertiri; bonum, quod non habeo, ab habentibus humiliter quaerere; malum culpae, quod feci, veraciter accusare; malum poenae, quod sustineo, aequanimiter ferre; bono proximi non invidere; de bonis tuis semper gratias agere; habitu, incessu et motu disciplinam semper servare; linguam a vaniloquio restringere; pedes a discursu cohibere; oculos a vago visu comprimere; aures a rumoribus separare; vultum humiliter inclinare; mentem in coelestia levare; transitoria contemnere; te tantummodo desiderare; carnem domare; conscientiam expurgare; sanctos honorare; te digne laudare; in bono proficere et bonos actus fine sancto terminare. Planta in me, Domine, virtutes, ut circa sancta sim devotus, circa humana officia providus, circa usum proprii corporis nulli onerosus. Da mihi, Domine, ferventem contritionem, puram confessionem, perfectam satisfactionem. Ordinare me digneris intus per bonam vitam, ut faciam quod deceat, et quod mihi proficiat ad meritum et reliquis proximis ad exemplum. Da mihi, ut nunquam ea, quae fiunt insipienter, appetam, et quae fiunt acediose, fastidiam, ne contingat inchoanda ante tempus appetere aut inchoata ante consummationem deserere. Amen.

Oratio S. Thomae Aquinatis ad vitam sapienter instituendam.

(Quam Doctor Angelicus quotidie recitare solebat ante imaginem Christi.)

Concede mihi, misericors Deus, quae tibi placita sunt, ardenter concupiscere, prudenter investigare,

Digitized by Google

veraciter agnoscere, et perfecte adimplere, ad laudem et gloriam nominis tui. Ordina statum meum; et quod a me requiris ut faciam, tribue ut sciam; et da exsequi, sicut oportet, et expedit animae meae. Da mihi, Domine Deus meus, inter prospera et adversa non deficere, ut in illis non extollar et in istis non deprimar. De nullo gaudeam vel doleam, nisi quod ducat ad te vel abducat a te. Nulli placere appetam vel displicere timeam, nisi tibi. Vilescant mihi, Domine, omnia transitoria, et cara mihi sint omnia tua propter te, et tu Deus praeter omnia. Taedeat me gaudii, quod est sine te, nec aliud cupiam, quod est extra te. Delectet me, Domine, labor, qui est pro te; et taediosa sit mihi omnis quies, quae est sine te. Frequenter da mihi, Domine, cor ad te dirigere, et in defectione mea cum emendationis proposito dolendo pensare. Fac me, Domine Deus, oboedientem sine contradictione, pauperem sine defectione, castum sine corruptione, patientem sine murmuratione, humilem sine fictione, hilarem sine dissolutione, tristem sine deiectione, maturum sine gravitate, agilem sine levitate, timentem te sine desperatione, veracem sine duplicitate, operantem bona sine praesumptione, proximum corripere sine elatione, ipsum aedificare verbo et exemplo sine simulatione. Da mihi, Domine Deus, cor pervigil, quod nulla abducat a te curiosa cogitatio; da nobile, quod nulla deorsum trahat indigna affectio; da rectum, quod nulla seorsum obliquet sinistra intentio; da firmum, quod nulla frangat tribulatio; da liberum, quod nulla sibi vindicet

Digitized by Google

violenta affectio. Largire mihi, Domine Deus meus, intellectum te cognoscentem, diligentiam te quaerentem, sapientiam te invenientem, conversationem tibi placentem, perseverantiam fidenter te exspectantem, et fiduciam te finaliter amplectentem; tuis poenis hic affligi per poenitentiam, tuis beneficiis in via uti per gratiam, tuis gaudiis imprimis in patria perfrui per gloriam: qui vivis et regnas Deus per omnia saecula saeculorum. Amen [1].

Ad petendam victoriam de pravis inclinationibus oratio.

Deus sancte, Pater misericordiarum, qui me creasti, ut in libertate filiorum tuorum tibi servirem: ne permitte, ut diutius subiectus sim legi probrosae mearum malarum passionum. Adiuva me, ut me expediam ex earum tristi servitute. Confirma me in certamine, quod mihi contra me ipsum est ineundum.

Tu nosti, Domine, infirmitatem meam, et robur adversariorum meorum mihi dominantium; miseriarum mearum testes ante oculos tuos habes. Quovis momento ira me abripit, inflat superbia, dolor deicit, incontinentia periculis exponit, morosum ac tetricum ingenium aliis intolerabilem reddit, acedia ab impletione muneris retrahit, amor proprius, operibus etiam piis se immiscens, meliorem partem tibi debitam suffuratur. Qualis violentia, mi Deus! qualis

[1] Ind. 300 d. recitantibus ante lectionem vel studium (Leo XIII).

Digitized by Google

servitus animae aspirantis nihilominus ad tui amorem, tibique se totam tradere cupientis!

Verum detestor et reprobo has omnes impotentis animi affectiones, doleoque, quod illis, utpote tibi summopere displicentibus, toties obsecutus fuerim, tuamque infinitam bonitatem toties offenderim, quoties illis morem gessi. Absit, ut in posterum, quocumque etiam meo periculo et labore, tam periculosis suggestionibus obtemperem: quovis meliore modo illis resistam utpote fontibus omnium peccatorum meorum. In nomine tuo, Deus, arma corripiam ad hostem hunc oppugnandum, quem tot alii, tua adiuti gratia, tanta cum gloria ac felicitate prostraverunt. In hoc quoque nomine tuo plenam de illis spero victoriam, per Dominum nostrum Iesum Christum, qui tecum vivit et regnat in saecula saeculorum. Amen.

2. Suffragia, quae ad statum clericalem spectant.

Oratio pro divina voluntate cognoscenda.

Profiteor hodie coram te, Deus meus et Rex meus, iuravi et statui custodire iudicia iustitiae tuae; quamcumque viam mihi ostenderis, eligam: etiamsi difficilis sit, tu potens es; etiamsi humilis sit, tu sapiens es; etsi laboriosa, tu bonus es. Nemo potest venire ad te, nisi qui tollat crucem suam; impone mihi eam, quae placet maiestati tuae: tu enim es Dominus, nos servi: tu Pater, nos filii: tu Rex, nos subditi: tu denique Pastor es, nos oves. Fac, quaeso, ut audiam vocem tuam,

Digitized by Google

et cognoscam eam, ut sequar te: qui enim non audit, non est ex ovibus tuis, neque ex electis tuis, qualem me esse confido, quodque me paratum sequi te non deseres, sed perduces, Pastor bone, ut pascuam inveniam, et vitam habeam et abundantius habeam in te, o vita mea et omne bonum meum. Amen.

Alia oratio.

Omnipotens aeterne Deus, qui hominem ideo creasti, ut tuam hic adimplens voluntatem, regni coelestis coronam iugi virtutum studio acquireret, ac tecum in aevum postmodum regnaret: ego, qui creatura tua sum, libens admodum ad hunc creationis meae finem pertingerem. Unde quandoquidem in sancta tua Ecclesia varia sunt bene beateque vivendi genera, quae, licet diversimode, ad coelum perducant: obsecro te ex intimis praecordiis meis, indica mihi voluntatem tuam, meque ad istud vitae genus evoca, in quo salvari commodius valeam tibique quam optime famulari. Tui namque solius muneris est, vocare, ac mortalium quemque ad certum vitae statum destinare. Amen.

Tertia oratio ad Christum.

O Iesu amantissime, via vera ad vitam! ego sum puer parvulus et ignorans egressum et introitum meum; tu vero, aeterna Patris sapientia, omnia nosti: quare me tibi promptum offero, ut sequar te, quocumque me vocaveris. Si me in mundo saecularem tibi servire vis: ecce me, servus tuus sum ego; si me clericum in Ecclesia tibi deservire

Digitized by Google

cupis: ecce me, tantum tribue, ne a statu hoc degenerem vitam instituam. Ecce me paratum ad omnia: nec caro, nec mundus neque ea, quae in mundo sunt, a sequela tua me retardabunt. Id unum obsecro: vias tuas, Domine, demonstra mihi, et semitas tuas doce me, ut sciam voluntatem tuam, et absque errore illum vitae statum amplectar, in quo sanctius tibi serviam et salutem aeternam consequi merear. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

Oratio pro impetrandis idoneis Ecclesiae pastoribus.

(In Feriis Quattuor Temporum dicenda.)

O Pater misericordiarum et Deus totius consolationis, concede Ecclesiae tuae dignos ministros, pastores secundum cor tuum, sacerdotes fideles et immaculatos. Messis multa est, operarii autem pauci. Rogamus ergo te, Domine: mitte operarios in messem tuam; operarios, quos ipse vocaveris, qui per ostium ingrediantur, qui in lege tua die ac nocte meditantes, quod legerint, credant; quod crediderint, doceant; quod docuerint, imitentur; qui scientia pura, fide vera et Spiritu Sancto pleni sint. Mitte pastores, qui te diligant, sicut Petrus et Ioannes dilexerunt te, qui gregem tuum ament, sicut tu, Pastor bone, amasti eum.

Et si me quoque, indignum servum tuum, ad statum clericalem vocasti, fac vocationem in dies certiorem, omnibusque dotibus et virtutibus, quae fidelem sacerdotem ornare debent, me benigne

Digitized by Google

instrue, ut in iustitia et sanctitate tibi serviam omnibus diebus vitae meae. Eandem gratiam, quaeso Domine, benigne concede omnibus, qui hoc anni tempore sacris Ordinibus initiandi sunt, ut tanta gratia dignos se exhibeant in salutem animarum suarum, in commodum populi fidelis, in gaudium sanctae Matris Ecclesiae.

Deus, qui ministrantibus et ieiunantibus discipulis segregari iussisti Saulum et Barnabam in opus, ad quod assumpseras eos: adesto nunc Ecclesiae tuae ieiunanti et oranti; et tu, qui corda nosti omnium, ostende, quos elegeris in ministerium. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Oratio aspirantis ad statum clericalem.

Domine Deus, Pater coelestis, qui me indignum servum tuum usque adhuc misericordissime duxisti et ab innumerabilibus malis clementissime praeservasti: porrige mihi dexteram tuam paternam, ne aberrem de via, quam te duce ingressus sum. Conforta me, ne sicut parvulus fluctuans mundanis agitatus desideriis gratiam, quam mihi dedisti, vacuam reddam. Augeas, Domine, in me studium orationis et puritatis, solitudinis et mundi contemptus, ad quod me inter varias huius saeculi illecebras trahens, vocationem meam ad statum clericalem mihi benignissime indicasti. Da mihi perfectam tui cognitionem et amorem sincerum, ut te totis viribus amans me ipsum derelinquam et tibi soli vivam. Infunde cordi meo spiritum poenitentiae, ut omnia peccata mea et neglegentias meas

Digitized by Google

deplorare et vitam vocationi meae convenientem agere valeam. Tibi me totum commendo: sanctifica me, Pater, ne superbia elatus laedam puritatem animae meae, nec indignum reddam cor meum mansione Filii tui, Domini nostri Iesu Christi, qui me miserum toties sanctissimo Corpore et Sanguine suo recreare dignatus est, cuiusque sacrificium tremendum suo tempore quotidie offerre intendo. Illumina intellectum meum, ut omnes vanas cogitationes devitans veritatem quaeram, firma et viva fide doctrinae tuae, quam Ecclesia tua sancta catholica universo mundo te rectore praedicat, adhaeream eamque verbo et opere profitear. Custodi me, Domine, ne acedia et gula corpus, prava locutione linguam, mala auditione aures, incauto aspectu oculos, levi ingressu pedes, peccaminosa attrectatione manus meas contaminem, quo minus indignior reddar, altari dilectissimi Filii tui incruento adstare, Sacramenta administrare, Evangelium annuntiare et Nomen tuum sanctissimum in Ecclesia invocare. Doce me animae meae curam habere, ut possim aliquando curam suscipere aliorum, nec aliis exemplum impietatis praebens in Ecclesia tua ad destructionem ambulem. Fac me tibi servire in sanctitate et iustitia omnibus diebus, ut in sortem Filii tui electus toti mundo renuntiem, et mundo crucifixus, una cum omnibus, quas mihi credendas proposuisti, animis ad vitam perveniam sempiternam. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

Digitized by Google

Oratio Clerici ad reparandam vocationem.

Domine Deus, qui tulisti olim Levitas, ut servirent in tabernaculo tuo, et familiam Aaron, ut sacerdotio fungeretur tibi, et in nova lege vocasti ad sacrum ministerium tuum, quos Ipse voluisti: in tua solius potestate positum est eligere tibi ministros, quos volueris, et idoneos facere, quos elegeris. Neque enim quisquam potest ad ministerium tuum idoneus esse sine tuo Spiritu, nec tuum Spiritum accipere, nisi tu dederis ei. Unde nec quisquam licite sumit sibi honorem ministerii tui, sed qui vocatur a te tamquam Aaron. Quin et ipse Filius tuus unigenitus non semet ipsum clarificavit, ut Pontifex fieret, sed tu, Domine, qui locutus es ad eum: Filius meus es tu, ego hodie genui te.

Quanto minus ergo semet ipsum clarificare ac in sortem hanc ingerere potest homo peccator, si tu non voces illum? Et quantis se periculis exponet, si ipse currat, et tu non mittas eum? Haec scio, Domine, et confiteor tibi, quod non aliter in statum clericalem intrare et ad tuum ministerium accedere debuerim, quam a te vocatus, et spiritu vere ecclesiastico munitus, ac debita praeparatione dispositus, atque intentione fidelem tibi cultum praestandi impulsus. Haec, inquam, scio et agnosco, et utinam, sicut non aliter ea fieri debuisse scio, ita nec aliter facta fuisse possem dicere! Tum fidenter cum sancto quodam servo tuo dicerem: Ego non sum turbatus, te Pastorem sequens. Nunc autem timor iustus conturbat me, ne, si non in prae-

Digitized by Google

dictis omnibus, certe in aliquibus multum defecerim. Verum quid aliud modo superest, quam ut contritus et humiliatus confugiam ad thronum tuae gratiae, et gemens dicam: Delicta iuventutis meae et ignorantias meas ne memineris, Domine, fac mecum secundum misericordiam tuam, et si forte secutus non sim vocationem tuam antecedentem, da propitius, ut sequar consequentem. Si spiritum ecclesiasticum in statum hunc ingrediens non habui, nunc illum misericorditer inspira, ut ipso intus operante, virtutes ac dispositiones illas, quas ad sacrarium tuum adferre ab initio debueram, iam vel sero adferam, et sanctitas, quae non praecessit, sequatur saltem. Si oculus meus non fuerit simplex, nec in cultum tui Nominis atque impletionem tuae voluntatis unice defixus, sed simul et fortassis praecipue in haec terrena depressus: tu, Domine, attolle illum et ad te solum intuendum converte, ut deinceps intentione pura serviam tibi non amplius in temporalem quaestum aut honorem, aut vitae huius commoditatem, sed in solam tuam gloriam et voluntatis tuae adimpletionem intentus. Fac, ut quanto minus usque modo tibi servire et voluntatem tuam sequi contendi, tanto posthac impensius contendam et tandem eo deveniam, ubi cum Angelis tibi ministrantibus perfecte serviam ac ministrem in saecula saeculorum. Amen.

Pro obtinenda gratia ad implendas obligationes status clericalis.

O amantissime et amabilissime Deus! qui solus es verum et summum bonum, quod beare ac satiare

Digitized by Google

potest animas nostras: te mihi elegi in portionem haereditatis meae, quando spectantibus Angelis et Ecclesia in clérum tuum adoptatus dixi: Dominus pars haereditatis meae et calicis mei, tu es, qui restitues haereditatem meam mihi. Te mihi elegi, quando capillos capitis mei resecandos obtuli, ut omnem luxum et vanitatem me abicere et superflua in pauperes dispertiri velle profiterer. Te mihi elegi, te Deum meum omnibus praetuli. Eligant filii hominum portiones, quas voluerint: alii divitias, alii honores, alii voluptates, alii alias vanitates et insanias falsas. Te unum ego elegi, te unum, Domine, requiram. Quid enim mihi est in coelo, et a te quid volui super terram, Deus cordis mei, et pars mea, Deus in aeternum? Adhaereant illi perituris et inanibus bonis: mihi autem adhaerere Deo meo bonum est. Inhient illi thesauris congregandis super terram, et audiant vocem concupiscentiae suae: audiam ego, quid loquatur in me Dominus Deus meus, et auscultabo vocem ipsius per Apostolum suum monentis: habentes alimenta, et quibus tegamur, his contenti simus; et per se ipsum dicentis: quod superest, date eleemosynam. Da, Domine, huic voci tuae vocem virtutis, et imprime illam cordi meo profundius, ut nunquam deleatur ex eo. Fac, obsecro, ut semper meminerim huius obligationis meae, et saepe ruminem, quid coram te et Angelis tuis clericalem statum ingrediens professus fuerim.

Da etiam, ut quotidie, dum processurus sum ad psallendum aut ministrandum tibi, veste candida me

Digitized by Google

induo, vel alium ea indutum cerno, memor sim illius candoris animae, quem vestis illa denotat. Recogito, mi Deus, dum haec loquor, cum poenitudine cordis mei, quam foede vestem illam a te dealbatam et mihi in sacramento Baptismi impositam criminum sordibus postea conspurcaverim et abominabilem in tuis oculis reddiderim. Sed tu, Domine Deus, miserator et misericors, iterum eluisti eam et dealbasti in Sanguine Agni. Ita quidem spero et gratias ago Nomini tuo. Verumtamen de propitiato peccato non sum sine metu: nescit enim homo, utrum amore an odio dignus sit. Et est generatio, quae sibi munda videtur, et tamen non est lota a sordibus suis. Quod si forte de generatione ista et ego sim, miserere mei, Deus meus, secundum magnam misericordiam tuam, et aperi oculos meos, ut videam iniquitatem meam: scelera mea et delicta ostende mihi. Percute etiam petram cordis mei potentiore gratia tua, ut fiat in fontem lacrimarum, quibus plorem praevaricationes meas die ac nocte.

Sed praevenit, spero, hanc precem meam misericordia tua, et ab horrendis letalium peccatorum sordibus emundavit animam meam. Utinam et a leviorum culparum maculis expurgaret eam! his enim dedecoro eam quotidie, et non satis efficacibus poenitentiae fletibus eandem abluere studeo, nec vitiosas cupiditates et passiones, a quibus illae maculae asperguntur, exterminare laboro. Tu, Domine, si vis, potes et ab istis me mundare. Tu enim habes corda nostra in manu tua, et quocumque volueris, inclinas ea. Inclina igitur cor meum,

Digitized by Google

Deus, in testimonia tua, et a pravis cupiditatibus ac passionibus expurga illud, ut deinceps in veste animae immaculata appaream ante faciem tuam et puras manus extendam ad ministrandum tibi.

Postulas etiam, o amantissime Deus, ut, quod gestatione cerei ardentis professus sum, adimpleam, lucendo scilicet coram hominibus, ut videant opera mea bona et inde sumant, quod imitentur. Quomodo vero id faciam, nisi et ipse imitari studuero Dominum nostrum Iesum Christum, ut dicere possim cum Apostolo tuo: imitatores mei estote, sicut et ego Christi? Ipse enim exemplum dedit nobis, ut, quemadmodum ipse fecit, ita et nos faciamus. Ipse est via, per quam ambulare, ipse vivendi regula, ad quam mores nostros dirigere omnes debemus. Fac igitur, mi Iesu, ut tibi assimiler intus et foris, ut in moribus meis homines videant et imitentur mores tuos, et ita per te veniant ad te, qui es via, veritas et vita, benedictus Deus in saecula. Amen.

Oratio Clerici sola tonsura initiati.

Domine Iesu Christe, qui initiasti nobis viam novam et viventem per velamen, id est, carnem tuam in introitu Sanctorum: da leges tuas in corde meo, et in mente mea superscribe eas, et iniquitatum mearum iam non recorderis amplius. In capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam: Deus meus, volui et legem tuam in medio cordis mei; in quocumque enim loco fueris, Domine mi Rex, sive in morte sive in vita, ibi erit servus tuus. Scio, Deus meus, quod probes

Digitized by Google

corda et simplicitatem diligas; unde et ego in simplicitate cordis mei laetus offero tibi me ipsum. Domine Deus patrum nostrorum, custodi in aeternum hanc voluntatem cordis mei, et semper in veneratione tui mens mea permaneat. Nunquam sit in me consilium discedendi a Deo vivo, nec te relinquam diligens hoc saeculum. Sanctifica me in veritate, ut sim sanctus corpore et spiritu, utens hoc mundo tamquam non utens, et solummodo sollicitus, quomodo placeam tibi, ut sis portio mea in terra viventium. Amen.

Oratio Clerici in minoribus Ordinibus constituti.

Tu solus, Domine Iesu Christe, habes clavem David: aperis enim et nemo claudit, claudis et nemo aperit. Tu solus aperis sensum, ut intellegamus Scripturas. Tu solus in potestate imperas spiritibus immundis. Tu lux mundi, quam qui sequitur, non ambulat in tenebris. Confice me zelo domus tuae, ut stans iugiter ad ostium tabernaculi, et observans custodias Domini nocte et die, prohibeam profanari templum gloriae tuae. Revela oculos meos, ut legam in libro legis Dei distincte et aperte ad intellegendum. Contere satanam sub pedibus meis velociter; et praesta, ut sic luceat lux mea coram hominibus, ut videant opera mea bona et glorificent Patrem meum, qui in coelis est. Amen.

Oratio Subdiaconi.

Domine Iesu Christe, qui sanctificari vis in iis, qui appropinquant tibi, mundari eos praecipis, qui

Digitized by Google

ferunt vasa Domini, continentiamque eis inesse iubes: da, quod iubes, et iube, quod vis. Quis enim potest facere mundum de immundo conceptum semine? Nonne tu, qui solus es? Munda me ergo ab omni inquinamento carnis ac spiritus, ut perficiam sanctificationem meam in timore Dei: non praesumam circumdare altare tuum aut tangere vasa, quae ad usum sanctuarii pertinent, nisi lavero inter innocentes manus meas, et fulserint velut mundissimae manus meae; nequando irascaris indignatione contra me, et percutias me super temeritate. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

Oratio Diaconi.

Domine Iesu Christe, Sanctorum minister et tabernaculi veri, quod fixit Deus et non homo, qui, quos constituerent Apostoli tui super Leviticum opus, viros plenos Spiritu Sancto et sapientia eligi voluisti, et qui me non meis meritis intra eorundem Levitarum numerum dignatus es aggregare: da mihi et omnibus, qui tanto ministerio gloriantur, vigili sollicitudine pauperum tuorum curam habere, ut singulis, prout cuique opus est, dividantur bona tua: da Spiritum Sanctum ad robur, quibus commisisti consummandorum consortium sacramentorum: da habere mysterium fidei in conscientia pura, et calceatos pedes in praeparatione Evangelii pacis, ut dignos nos facias in partem sortis Sanctorum in lumine. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

Digitized by Google

Oratio Presbyteri.

Domine Iesu, Apostole et Pontifex confessionis nostrae, semper vivens ad interpellandum pro nobis, qui, cum essem parvulus in oculis meis, ex hominibus assumpsisti me, et pro hominibus constituisti me in eis, quae sunt ad Deum, ut offeram dona et sacrificia pro peccatis, et condolere possim eis, qui ignorant et errant: emunda, quaeso, per Sanguinem tuum conscientiam meam ab operibus mortuis ad serviendum Deo viventi; et sanctifica me in veritate, ut sacrificia mea consumantur igne quotidie, et tibi confixus Cruci immoler ipse supra sacrificium. Fac, ut bonus sim dispensator multiformis gratiae Dei in membra tua; et concede, ut te clarificans super terram et opus consummans, quod dedisti mihi ut faciam, ubi es tu, et ego sim tecum, ut videam claritatem, quam dedit tibi Pater, qui dilexit te ante constitutionem mundi. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

Alia oratio Presbyteri.

Gratias tibi ago, misericors Deus, quod me indignum peccatorem ad officium sacerdotale elegisti, meque medium inter te et populum fieri voluisti, ut tuam pro me peccatore et pro eodem populo tuo misericordiam exorarem. Certe angelicam puritatem et conversationem deberem habere ego peccator et impurus, cuius in manibus ad eloquiorum coelestium prolationem Corpus tuum, o Christe, de panis consecratur materia. Adiuva me, Deus omnipotens, ut

Digitized by Google

huic officio et statui meo ad tui Nominis laudem meamque et populi salutem praeesse et satisfacere valeam, quod tibi placitum, semper cogitem et intendam, aliis vita et exemplo praeluceam, honorem tuum animarumque profectum, quantum in me est, promoveam, orationi vigilanter vacem, tibi Deo meo ardenter et libenter deserviam, spirituique potius intendam quam carni. Da, bone Iesu, ut corde et corpore mundus sim et pudicus in omni tempore, sim corde humilis, conversatione sanctus, temporalium contemptor facultatum et a terrenorum sollicitudine liber, quatenus tibi Deo meo expeditius vacem, atque sacramentalis panis sumptione dignior efficiar, ut in omnibus denique actionibus meis glorificeris, o Christe: qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

Omnipotens et misericors Deus, ad humilitatis meae preces benignus intende: et me famulum tuum, quem nullis suffragantibus meritis, sed immensa clementiae tuae largitate coelestibus mysteriis servire tribuisti, dignum sacris altaribus fac ministrum, ut, quod mea voce depromitur, tua sanctificatione firmetur. Per Dominum etc.

Orationes dicendae, cum induuntur sacra paramenta.

(Clericus, cum induit *Superpelliceum*, dicere potest:)

Induat me Dominus novum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia et sanctitate veritatis.

Digitized by Google

(Subdiaconus ad *Tunicellam:*)

Tunica iucunditatis et indumento laetitiae induat me Dominus.

(Diaconus ad *Dalmaticam:*)

Indue me, Domine, indumento salutis et vestimento laetitiae, et dalmatica iustitiae circumda me semper.

(Convenit quoque, ut diaconus et subdiaconus lavent manus, antequam se sacris vestibus induant, et ut induendo paramenta recitent, in quantum ad eos pertinent, sequentes *orationes pro sacerdote* praescriptas.)

(*Cum lavat manus,* dicat:)

Da, Domine, virtutem manibus meis ad abstergendam omnem maculam, ut sine pollutione mentis et corporis valeam tibi servire.

(Ad *Amictum,* dum ponitur super caput, dicat:)

Impone, Domine, capiti meo galeam salutis ad expugnandos diabolicos incursus.

(Ad *Albam,* cum ea induitur:)

Dealba me, Domine, et munda cor meum, ut in Sanguine Agni dealbatus gaudiis perfruar sempiternis.

(Ad *Cingulum,* dum se cingit:)

Praecinge me, Domine, cingulo puritatis, et exstingue in lumbis meis humorem libidinis, ut maneat in me virtus continentiae et castitatis.

(Ad *Manipulum,* dum imponitur bracchio sinistro:)

Merear, Domine, portare manipulum fletus et doloris, ut cum exsultatione recipiam mercedem laboris.

Digitized by Google

(Ad *Stolam*, dum imponitur collo:)

Redde mihi, Domine, stolam immortalitatis, quam perdidi in praevaricatione primi parentis, et quamvis indignus accedo ad tuum sacrum mysterium, merear tamen gaudium sempiternum.

(Ad *Casulam*, cum assumitur:)

Domine, qui dixisti: Iugum meum suave est, et onus meum leve, fac, ut istud portare sic valeam, quod consequar tuam gratiam. Amen.

3. Suffragia pro aliis.

Deprecatio pro omnium necessitatibus.

Omnipotens sempiterne Deus, infirmitatem nostram propitius respice, atque ad protegendum et salvandum nos dexteram tuae maiestatis extende. Gressus nostros dirige in via pacis, et sensus nostros corrobora in mandatis tuis, ut te adiuvante vincamus antiqui hostis insidias, et ab infestationibus eius liberi serviamus tibi in sanctitate et iustitia. Exstingue in nobis fomitem libidinis et omnia desideria terrena. Concede nobis Spiritus tui fervorem, amoris tui suavitatem, fraternae dilectionis sinceritatem, in tentationibus fortitudinem, in adversis patientiam, in prosperis humilitatem, in ore veritatem, in opere stabilitatem, in moribus gravitatem. Adauge nobis fidem, spem et caritatem, ut in omne opus bonum parati perpetua tibi gratiarum actione placeamus. Miserere omnium, quos fecisti, Domine; et reple eos scientia ac fide tua,

Digitized by Google

ut lauderis cum haereditate tua. Da omnibus fidem vivam et ardentissimum in te amorem. Effunde misericordiam tuam in gentes, quae te non noverunt: vindica eas ab erroribus, et illumina corda illarum, ut te cognoscant et quem misisti, Iesum Christum. Dissipa consilia impiorum, ne quidquam officiant regno tuo et propagationi gloriae tuae. Sanctifica Ecclesiam tuam, quam plantavit dextera tua: aufer ab ea omnia scandala, dissensiones et schismata, ut tandem aliquando fiat unum ovile et unus pastor. Da summo Pontifici nostro cunctisque Praelatis, ut oves sibi commissas fideliter pascant fructu orationis, exemplo bonae conversationis, verbo praedicationis, subsidio caritatis. Sit perpetua in illis oneris sibi impositi consideratio, et sacerdotio fungantur sine reprehensione. Reforma omnes ecclesiasticos Ordines, ut et ipsi luceant coram hominibus, sitque in eis virtutum decus et splendor sanctitatis. Deduc omnes religiones ad fervorem et perfectionem, in qua fuerunt institutae. Da superioribus zelum disciplinae, subditis oboedientiam, ut professione sua omnes digni inveniantur. Da praedicatoribus vocem virtutis, ut a ceno vitiorum peccatores educant, et perducant ad timorem et amorem tuum. Illumina sapientia tua omnes reges et principes cunctosque magistratus: ut subditis sibi populis iustitiam fideliter administrent, pacem diligant, Ecclesiam venerentur, mandata tua custodiant et de hostibus sanctae fidei te protegente triumphent. Defende famulos tuos a fame, peste et bello, ab omni angustia et calamitate, et illos

Digitized by Google

adiuva, quos affligi et tribulari permisisti, ut omnes sibi misericordiam tuam gaudeant adfuisse. Ne sinas eos labi, qui in periculo et occasione peccandi versantur, eosque conserva, quos gratiae tuae pretiosissimo munere locupletasti. Adesto agonizantibus, ut vera contritione purgati et amore tuo succensi diaboli insidias evadant et a damnatione perpetua liberentur. Memento tot miserabilium peccatorum, qui in foveam peccati mortalis infeliciter lapsi sine ope tua inde emergere non possunt, et uberiorem da illis gratiam, ut surgant et resipiscant. Omnibus item inimicis nostris caritatem et dulcedinem tuam benignus infunde, et libera nos a malorum insidiis. Da illis, quos ego offendi aut scandalizavi, veniam peccatorum et veram emendationem. Omnes autem amicos et benefactores, consanguineos et affines nostros illustra gratia tua, succende amore tuo, ut te solum quaerant, te solum diligant omnique tempore opera illorum plena inveniantur in oculis tuis. Custodi omnes mihi commissos et commendatos, et pro quibus orare debeo, praecipue vero N. et N.; rege et salva eos iuxta beneplacitum tuum, ut nemo ex illis pereat. Succurre omnibus, pro quibus me orare tu vis, et ego nescio. Protege servos tuos omnes, qui te maxime diligunt, quamvis eorum numerum et nomina ignorem: iustis autem tepidis et imperfectis auge fidem, spem, caritatem atque fervorem, ut ad culmen perfectionis cito perveniant. Respice benignis oculis animas in purgatorio detentas, illas praesertim, quae suffragiis nostris maxime indigent, et da illis requiem sempi-

Digitized by Google

ternam. Mei denique memento, omnium miserrimi et indignissimi, qui gratiae tuae auxilio tanto maiore prae ceteris indigeo, quanto infirmior sum et ad malum pronior. Exstingue in me omnia terrena desideria et ignem tui amoris accende. Posside me iugiter secundum beneplacitum tuum, ut te in omnibus et ubique inveniam, donec per felicem mortem ad te merear pervenire. Amen.

B. Petri Canisii formula precandi pro se et pro aliis.

Exue me, Domine, veterem hominem, cum affectibus et inclinationibus malis, quibus me obnoxium esse nosti. Indue me novum hominem, quem haec sancta requirit vocatio, ut de die in diem renover cum ardenti desiderio, constanti studio in solidis virtutibus, quae mihi desunt, proficiendi. Ne permitte me, Domine, graviter et periculose tentari, praesertim circa vocationis gratiam. Da in adversis animi fortitudinem ad resistendum et vincendum. Auge perseverantiae donum, ut usque ad mortem tibi fidelis exsistam. Auge in me gratiam, promissa vota rite praestandi, ut paupertas vere simplex et angelica castitas in me vigeant, nec minus interior quam exterior oboedientia me totum sibi vindicet tibique gratum, assiduum et perfectum praebeat holocaustum. Amen.

Miserere mei, Pater misericordiarum, quod tuam saepe offenderim maiestatem, tuis adhuc beneficiis ingratus, in cursu meae vocationis tepidus, veri timoris et amoris expers, nec sollicitus, ut ad tuam

Digitized by Google

gloriam et meam salutem sincere omnia conferam. Aperias mihi oculos, quaeso, ut videam, et vires augeas, ut possim, voluntatem simul impellas, ut velim in via tua et in vocatione mea progressus debitos facere atque ad propositum mihi scopum recta contendere, nimirum mei ipsius et proximi salutem atque perfectionem semper impense procurando. Fiat in me et de me, ubicumque verser et quidquid patiar, voluntas tua bona, beneplacens et perfecta. Sanctificetur in me nomen tuum sanctum, ut bonae maiorum meorum exspectationi satisfaciam, ac particeps demum fiam iustorum omnium in coelesti patria triumphantium. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Miserere nostrorum parentum et maiorum omnium spiritualium. Fac, Domine, ut illi iuxta Spiritum tuum sapiant, et prudenter subditos regant, nosque vere oboedientes filios esse gaudeant.

Miserere amicorum et patronorum nobis, tum in spiritualibus, tum in temporalibus rebus fideliter assistentium. Tuere eos ab omni malo, nec solum in vita, sed post mortem etiam, ut te pro nobis munificum sentiant remuneratorem.

Miserere defunctorum fratrum et benefactorum et catholicorum omnium. Dona eis, Domine, in tenebris lucem, in poenis requiem et in regno tuo beatitudinem sempiternam. Amen.

Miserere fratrum in sua vocatione stantium, ut per te in recto virtutum cursu confirmentur. Miserere item nutantium atque claudicantium, ut

Digitized by Google

potenti Spiritu tuo adiuti et consolidati neque ad dexteram neque ad sinistram declinent.

Miserere quoque lapsorum, ut desertores filii ex apostasiae statu resurgant, et priorem vocationis suae gratiam agnoscant, tibique per veram poenitentiam reconcilientur.

Miserere inimicorum et aperte vel occulte nos persequentium. Non illis hoc imputes in peccatum, sed illis gratiam tuam et resipiscentiam ac caritatem veram impertiaris. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Miserere schismaticorum et haereticorum, ut ad Ecclesiae redeant unitatem, et relictis errorum umbris Catholicae doctrinae lucem nobiscum fideliter amplectantur.

Miserere peccatorum, qui mundo, carni, satanae potius, quam tibi Deo vero et vivo serviunt, et ad perpetuae mortis portas percurrunt. Converte illos, Domine, ad viam poenitentiae et mortuis vitam gratiae restitue, ne alioquin in peccatis suis morientes a tua gratia et gloria perpetuo separentur. Amen.

Oratio pro Papa et Ecclesia.

(Iussu Leonis XIII Summi Pontificis edita.)

℣. Oremus pro Papa nostro N. Ave Maria (ter).

Salve Regina, Mater misericordiae, vita, dulcedo et spes nostra, salve. Ad te clamamus exsules filii Evae, ad te suspiramus gementes et flentes in hac lacrimarum valle. Eia ergo, advocata nostra, illos tuos misericordes oculos ad nos converte, et Iesum,

Digitized by Google

benedictum fructum ventris tui, nobis post hoc exsilium ostende. O clemens, o pia, o dulcis Virgo Maria!

℣. Ora pro nobis, sancta Dei Genitrix.

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus. Deus, refugium nostrum et virtus, adesto piis Ecclesiae tuae precibus, auctor ipse pietatis, et praesta, ut intercedente gloriosa et immaculata semper Virgine Dei Genitrice Maria, beato Ioseph ac beatis Apostolis tuis Petro et Paulo et omnibus Sanctis, quod in praesentibus necessitatibus humiliter petimus, efficaciter consequamur. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Pro Reverendissimo Archiepiscopo.

Ant. Sacerdotes tui, Domine, induant iustitiam, et sancti tui exsultent: propter David, servum tuum, non avertas faciem Christi tui.

℣. Veritas mea et misericordia mea cum ipso.

℟. Et in nomine meo exaltabitur cornu eius.

Oremus. Deus, qui famuli tui N. humeris onus imposuisti ipsis angelicis spiritibus formidandum: da ei robur maioris auxilii, ut pondus illud ad consummationem Sanctorum et in aedificationem Corporis Christi valeat, te adiuvante, sustinere. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Pro superioribus.

Omnipotens sempiterne Deus, qui facis mirabilia magna solus: praetende super famulos tuos, et super congregationem illis commissam Spiritum gratiae

Digitized by Google

salutaris, et ut in veritate tibi complaceant, perpetuum eis rorem tuae benedictionis infunde. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Pro sacerdotibus.

Deus, qui Unigenitum tuum dedisti summum Sacerdotem eique ad sacrificandum tibi hostiam mundam sacerdotes ministros sociasti: quaesumus, ut omnes, qui vocatione tam sancta dignati sunt, altari tuo devote ministrent, et se ipsos hostiam vivam et sanctam offerre mereantur. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Pro omni gradu Ecclesiae.

Exaudi nos, Deus, humiliter deprecantes, ut, diffusa in singulos Ordines gratia tua, suum quisque ministerium fideliter adimpleat, et Ecclesia tua in omnium oculis gloriosa semper appareat. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Oratio S. Francisci Xaverii pro conversione infidelium.

Aeterne rerum omnium effector, Deus, memento, abs te animas infidelium procreatas easque ad imaginem et similitudinem tuam conditas. Ecce, Domine, in opprobrium tuum his ipsis infernus impletur. Memento, Iesum Filium tuum pro illorum salute atrocissimam subiisse necem. Noli, quaeso Domine, ultra permittere, ut Filius tuus ab infidelibus contemnatur, sed precibus sanctorum virorum et Ecclesiae, sanctissimi Filii tui sponsae, placatus

Digitized by Google

recordare misericordiae tuae, et oblitus idololatriae et infidelitatis eorum effice, ut ipsi quoque agnoscant aliquando, quem misisti, Dominum Iesum Christum, qui est salus, vita et resurrectio nostra, per quem salvati et liberati sumus, cui sit gloria per infinita saecula saeculorum. Amen [1].

Pro congregatione et familia.

Ant. Salvos nos fac, Domine Deus noster, et congrega nos de nationibus, ut confiteamur Nomini sancto tuo, et gloriemur in laude tua.

℣. Confitemini Domino, quoniam bonus.

℟. Quoniam in saeculum misericordia eius.

℣. Rogate, quae ad pacem sunt Ierusalem.

℟. Et abundantia diligentibus te.

Oremus. Defende, quaesumus Domine, beata Maria semper Virgine intercedente, istam ab omni adversitate familiam, et toto corde tibi prostratam ab hostium propitius tuere clementer insidiis.

Deus, largitor pacis et amator caritatis, da famulis tuis veram cum tua voluntate concordiam, ut ab omnibus, quae nos pulsant, tentationibus liberemur.

Quibus unus est Dominus, una fides, unum baptisma, una vocatio; inter eos, quaesumus, omnipotens Deus, eadem mens sit et mutua caritas, ut una omnibus sit in te et tecum in aeternum societas. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

---

[1] Ind. 300 d. semel quotidie (Pius IX).

Digitized by Google

Pro parentibus et consanguineis.

Deus, qui nos parentibus plurimum honoris habere voluisti et pro eorum incolumitate pietatem tuam exorare: da, quaeso, parentibus nostris omnibusque fratribus, sororibus, consanguineis et affinibus salutem et pacem; conserva eos in tuae sanctae religionis amore; ne reminiscaris eorum delicta, neque vindictam de eis sumas; tutos fac illos a corporis et animi perturbationibus, et uberem ipsis largire gratiam et benedictionem, ut, quae tuo inimica sunt Nomini, respuentes propitium te semper experiantur et sentiant, qui omnium supremus es Pater. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Pro amicis et benefactoribus.

Concede, quaesumus Domine, famulis tuis, quibus dedisti in nos caritatem, indulgentiam peccatorum, consolationem vitae gubernationemque perpetuam, qua tibi fideliter servientes, ad tuam iugiter misericordiam pervenire mereantur.

Deus, qui caritatis dona per gratiam Sancti Spiritus fidelium cordibus infudisti: da famulis et famulabus tuis, pro quibus tuam deprecamur clementiam, salutem mentis et corporis, ut te tota virtute diligant, et quae tibi sunt placita, tota dilectione perficiant. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Pro inimicis.

Deus, qui nobis praecepisti pro inimicis orare: dimitte, quaesumus, peccantibus in nos peccata sua, ut tibi reconciliati vera pace et caritate hic et in aeternum perfrui mereantur.

Digitized by Google

Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, da nobis hunc caritatis affectum, ut bona pro malis reddere tuo incitemur exemplo et de inimicorum correctione cupiamus, non de ultione gaudere. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Pro tentatis et tribulatis.

Deus, qui iustificas impium et non vis mortem peccatoris, maiestatem tuam suppliciter deprecamur, ut famulos tuos de tua misericordia confidentes coelesti protegas benignus auxilio et assidua protectione conserves, ut tibi iugiter famulentur et nullis tentationibus a te separentur.

Omnipotens sempiterne Deus, moestorum consolatio et laborantium fortitudo, perveniant ad te preces de quacumque tribulatione clamantium, ut omnes sibi in necessitatibus suis misericordiam tuam gaudeant adfuisse. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Oratio pro infirmis.

Ant. Salus populi ego sum, dicit Dominus: de quacumque tribulatione clamaverint ad me, exaudiam eos: et ero illorum Dominus in perpetuum.

℣. Ad te, Domine, levavi animam meam.

℟. Deus meus, in te confido, non erubescam.

℣. Angelis suis Deus mandavit de te.

℟. Ut custodiant te in omnibus viis tuis.

Oremus. Omnipotens sempiterne Deus, salus aeterna credentium, exaudi nos pro famulis tuis

Digitized by Google

infirmis, pro quibus misericordiae tuae imploramus auxilium, ut reddita sibi sanitate, gratiarum tibi in Ecclesia tua referant actiones. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Pro infirmo morti proximo.

Omnipotens et misericors Deus, qui humano generi et salutis remedia et vitae aeternae munera contulisti: respice propitius famulum tuum infirmitate corporis laborantem, et animam refove, quam creasti, ut in hora exitus illius absque peccati macula tibi Creatori suo per manus sanctorum Angelorum repraesentari mereatur.

Domine Iesu Christe, clementiam tuam humiliter imploramus per illam animae tuae tristitiam usque ad mortem, et per agoniam, quam instante passione pertulisti, quando factus est sudor tuus sicut guttae sanguinis decurrentis in terram: succurre famulo tuo in agone mortis constituto; tuere eum in hac hora contra diabolicos incursus; libera eum a mortis imminentis terroribus, et de peccatorum suorum conscientia formidantem, fac eum de misericordiae tuae immensa largitate securum, qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

Oratio pro quacumque necessitate.

Deus, refugium nostrum et virtus, adesto piis Ecclesiae tuae precibus, auctor ipse pietatis, et praesta, ut quod fideliter petimus, efficaciter consequamur. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Digitized by Google

Pro fidelibus defunctis.

Psalm. 129 „De profundis“ (p. 89).

℣. A porta inferi.

℟. Erue, Domine, animam eius.

℣. Requiescat in pace.

℟. Amen.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Absolve, quaesumus Domine, animam famuli tui N., ut defunctus saeculo tibi vivat, et quae per fragilitatem carnis humana conversatione commisit, tua venia misericordissimae pietatis absterge. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

(In die tertio, septimo et trigesimo depositionis defuncti:)

Quaesumus Domine, ut animae famuli tui N., cuius depositionis diem tertium (vel: septimum, vel: trigesimum) commemoramus, Sanctorum atque electorum tuorum largiri digneris consortium, et rorem misericordiae tuae perennem infundas. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

(Pro defuncto episcopo vel sacerdote:)

Deus, qui inter apostolicos Sacerdotes famulum tuum N. pontificali (seu: sacerdotali) fecisti dignitate vigere: praesta, quaesumus, ut eorum quoque perpetuo aggregetur consortio. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Digitized by Google

(Pro defunctis fratribus, propinquis et benefactoribus:)

Deus, veniae largitor et humanae salutis amator, quaesumus clementiam tuam, ut nostrae congregationis fratres, propinquos et benefactores, qui ex hoc saeculo transierunt, beata Maria semper Virgine intercedente, cum omnibus Sanctis tuis, ad perpetuae beatitudinis consortium pervenire concedas. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

(Pro omnibus fidelibus defunctis:)

Fidelium Deus omnium Conditor et Redemptor, animabus famulorum famularumque tuarum remissionem cunctorum tribue peccatorum, ut indulgentiam, quam semper optaverunt, piis supplicationibus consequantur. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. ℟. Amen.

℣. Requiem aeternam dona eis, Domine.

℟. Et lux perpetua luceat eis.

℣. Requiescant in pace.

℟. Amen.

Digitized by Google

Appendix.

De S. Ordinibus conferendis.

I. De Clerico faciendo.

(Clericus fieri potest etiam extra Missarum sollemnia quocumque die, hora et loco.)

(Quilibet Ordinandorum habere debet suum Superpelliceum super brachium sinistrum, et candelam in manu dextra. Et vocantur omnes Tonsurandi nominatim [1] et singillatim per Notarium, et quilibet respondet: Adsum.)

(Quibus ante altare coram Pontifice in faldistorio sedente genuflexis, Pontifex surgit cum mitra et dicit:)

℣. Sit nomen Domini benedictum.

℟. Ex hoc nunc et usque in saeculum.

℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit coelum et terram.

Oremus, fratres carissimi, Dominum nostrum Iesum Christum, pro his famulis suis, qui ad deponendum comas capitum suorum pro eius amore festinant, ut donet eis Spiritum Sanctum, qui habitum religionis in eis in perpetuum conservet, et

[1] Archidiaconus potest eos invitare dicens: „Accedant, qui promovendi sunt ad tonsuram."

Digitized by Google

a mundi impedimento ac saeculari desiderio corda eorum defendat; ut, sicut immutantur in vultibus, ita dextra manus eius virtutis tribuat eis incrementa, et ab omni caecitate spirituali et humana oculos eorum aperiat, et lumen eis aeternae gratiae concedat. Qui vivit et regnat cum Deo Patre in unitate eiusdem Spiritus Sancti Deus per omnia saecula saeculorum.

(Post haec schola inchoat et prosequitur Antiphonam et Psalmum.)

Ant. Tu es, Domine, qui restitues haereditatem meam mihi.

Psalm. 15.

Conserva me, Domine, quoniam speravi in te; * dixi Domino: Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.

Sanctis, qui sunt in terra eius: * mirificavit omnes voluntates meas in eis.

Multiplicatae sunt infirmitates eorum: * postea acceleraverunt.

Non congregabo conventicula eorum de sanguinibus, * nec memor ero nominum eorum per labia mea.

Ant. rep. Tu es, Domine, qui restitues haereditatem meam mihi.

(Incepto Psalmo, Pontifex sedens cum forficibus incidit unicuique extremitates capillorum in quattuor locis, videlicet in fronte, in occipitio et ad utramque aurem, deinde in medio capitis aliquot crines capillorum, et in bacile deponit; et quilibet, cum tondetur, dicit:)

Digitized by Google

Dominus pars haereditatis meae et calicis mei: tu es, qui restitues haereditatem meam mihi.

(Omnibus tonsis, mitra deposita, surgit Pontifex et stans versus ad illos dicit:)

Oremus. Praesta, quaesumus, omnipotens Deus, ut hi famuli tui, quorum hodie comas capitum pro amore divino deposuimus, in tua dilectione perpetuo maneant, et eos sine macula in sempiternum custodias. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

(Tunc, Pontifice sedente cum mitra, schola inchoat et prosequitur Antiphonam sequentem cum Psalmo.)

Ant. Hi accipient benedictionem a Domino et misericordiam a Deo salutari suo, quia haec est generatio quaerentium Dominum.

Psalm. 23.

Domini est terra et plenitudo eius, * orbis terrarum et universi, qui habitant in eo.

Quia ipse super maria fundavit eum, * et super flumina praeparavit eum.

Quis ascendet in montem Domini? * aut quis stabit in loco sancto eius?

Innocens manibus et mundo corde, * qui non accepit in vano animam suam, nec iuravit in dolo proximo suo.

Hic accipiet benedictionem a Domino * et misericordiam a Deo salutari suo.

Haec est generatio quaerentium eum, * quaerentium faciem Dei Iacob.

Digitized by Google

Attollite portas, principes, vestras et elevamini, portae aeternales, * et introibit rex gloriae.

Quis est iste rex gloriae? * Dominus fortis et potens, Dominus potens in proelio.

Attollite portas, principes, vestras et elevamini, portae aeternales, * et introibit rex gloriae.

Quis est iste rex gloriae? * Dominus virtutum ipse est rex gloriae.

Gloria Patri . . . Sicut erat . . .

Ant. rep. Hi accipient benedictionem a Domino et misericordiam a Deo salutari suo, quia haec est generatio quaerentium Dominum.

(Qua finita surgit sine mitra Pontifex et ad altare conversus dicit: Oremus. Et ministri dicunt: Flectamus genua. ℟. Levate.)

(Et mox ad tonsos genuflexos versus Pontifex dicit:)

Adesto, Domine, supplicationibus nostris, et hos famulos tuos bene † dicere dignare, quibus in tuo sancto nomine habitum sacrae religionis imponimus, ut, te largiente, et devoti in ecclesia tua persistere et vitam percipere mereantur aeternam. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

(Tum Pontifex sedet cum mitra, et accipiens in manu Superpelliceum dicit singulis:)

Induat te Dominus novum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia et sanctitate veritatis.

(Et mox imponit illud cuilibet. Quo expedito, sine mitra surgit Pontifex et versus ad tonsos dicit:)

Digitized by Google

Oremus. Omnipotens sempiterne Deus, propitiare peccatis nostris, et ab omni servitute saecularis habitus hos famulos tuos emunda, ut, dum ignominiam saecularis habitus deponunt, tua semper in aevum gratia perfruantur, ut, sicut similitudinem coronae tuae eos gestare facimus in capitibus, sic tua virtute haereditatem subsequi mereantur aeternam in cordibus. Qui cum Patre et Spiritu Sancto vivis et regnas Deus per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

(Deinde sedet cum mitra Pontifex et alloquitur eos sub his verbis:)

Filii carissimi, animadvertere debetis, quod hodie de foro Ecclesiae facti estis, et privilegia clericalia sortiti estis; cavete igitur, ne propter culpas vestras illa perdatis, et habitu honesto bonisque moribus atque operibus Deo placere studeatis. Quod ipse vobis concedat per Spiritum Sanctum suum. ℟. Amen.

(Tum, suggerente Archidiacono, Ordinati redeunt ad loca sua.)

II. De minoribus Ordinibus.

1. De ordinatione Ostiariorum.

(Archidiaconus vocat Ordinandos dicens: Accedant, qui ordinandi sunt ad officium Ostiariorum. Et mox Notarius singulos nominatim vocat, et quilibet respondet: Adsum.)

(Omnibus in Superpelliceis cum candelis in manibus coram Pontifice in faldistorio cum mitra sedente genuflexis, Pontifex admonet illos dicens:)

Digitized by Google

Suscepturi, filii carissimi, officium Ostiariorum, videte, quae in domo Dei agere debeatis. Ostiarium oportet percutere cymbalum et campanam, aperire Ecclesiam et Sacrarium et librum aperire ei, qui praedicat. Providete igitur, ne per neglegentiam vestram illarum rerum, quae intra Ecclesiam sunt, aliquid depereat, certisque horis domum Dei aperiatis fidelibus et semper claudatis infidelibus. Studete etiam, ut, sicut materialibus clavibus Ecclesiam visibilem aperitis et clauditis, sic et invisibilem Dei domum, corda scilicet fidelium, dictis et exemplis vestris claudatis diabolo et aperiatis Deo, ut divina verba, quae audierint, corde retineant et opere compleant. Quod in vobis Dominus perficiat per misericordiam suam.

(Deinde Pontifex accipit et tradit omnibus claves Ecclesiae, quas successive manu dextra singuli tangunt, Pontifice dicente:)

Sic agite, quasi reddituri Deo rationem pro eis rebus, quae his clavibus recluduntur.

(Post haec Archidiaconus sive alius eius vice fungens ducit eos ad ostium Ecclesiae et facit illos claudere et aperire; tradit etiam eis funem campanarum, faciens eos campanas pulsare; deinde illos reducit ad Pontificem; quibus coram hoc genua flectentibus, stans cum mitra Pontifex versus ad ipsos Ordinatos dicit:)

Deum Patrem omnipotentem, fratres carissimi, suppliciter deprecemur, ut hos famulos suos bene † dicere dignetur, quos in officium Ostiariorum eligere dignatus est; ut sit eis fidelissima cura in domo Dei, diebus ac noctibus, ad distinctionem

Digitized by Google

certarum horarum, ad invocandum nomen Domini: adiuvante Domino nostro Iesu Christo, qui cum eo vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

(Tum mitra deposita, stans Pontifex conversus ad altare dicit: Oremus. Et Ministri subiungunt: Flectamus genua. ℟. Levate. Et statim versus ad illos genuflexos dicit:)

Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, bene † dicere dignare hos famulos tuos in officium Ostiariorum, ut inter ianitores Ecclesiae tuo pareant obsequio, et inter electos tuos partem tuae mereantur habere mercedis. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

(Post haec Ordinati, suggerente Archidiacono, redeunt ad loca sua.)

2. De ordinatione Lectorum.

(Lectores vocantur per Archidiaconum, hoc modo: Accedant, qui ordinandi sunt ad officium Lectorum. Et mox nominantur per Notarium, ut supra dictum est. Quibus coram Pontifice cum mitra in faldistorio sedente cum candelis in manibus genuflexis, Pontifex admonet eos dicens:)

Electi, filii carissimi, ut sitis Lectores in domo Dei nostri, officium vestrum agnoscite et implete. Potens est enim Deus, ut augeat vobis gratiam perfectionis aeternae. Lectorem siquidem oportet legere ei, qui praedicat, et lectiones cantare et

Digitized by Google

benedicere panem et omnes fructus novos. Studete igitur verba Dei, videlicet lectiones sacras, distincte et aperte ad intellegentiam et aedificationem fidelium absque omni mendacio falsitatis proferre, ne veritas divinarum lectionum incuria vestra ad instructionem audientium corrumpatur. Quod autem ore legitis, corde credatis atque opere compleatis, quatenus auditores vestros verbo pariter et exemplo vestro docere possitis. Ideoque, dum legitis, in alto Ecclesiae loco stetis, ut ab omnibus audiamini et videamini, figurantes positione corporali, vos in alto virtutum gradu debere conversari; quatenus cunctis, a quibus audimini et videmini, coelestis vitae formam praebeatis, quod in vobis Deus impleat per gratiam suam.

(Deinde Pontifex accipit et tradit omnibus codicem, de quo lecturi sunt, quem manu dextra tangunt, dicens:)

Accipite et estote verbi Dei relatores habituri, si fideliter et utiliter impleveritis officium vestrum, partem cum eis, qui verbum Dei bene administraverunt ab initio.

(Quibus expeditis et illis genuflexis, Pontifex stans cum mitra versus ad eos dicit:)

Oremus, fratres carissimi, Deum Patrem omnipotentem, ut super hos famulos suos, quos in Ordinem Lectorum dignatus est assumere, bene † dictionem suam clementer effundat; quatenus distincte legant, quae in Ecclesia Dei legenda sunt, et eadem operibus impleant. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium suum, qui cum eo vivit et regnat

Digitized by Google

in unitate Spiritus Sancti Deus per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

(Tum Pontifex, mitra deposita, stans conversus ad altare dicit: Oremus. Et Ministri subiungunt: Flectamus genua. ℟. Levate. Deinde conversus ad Ordinatos genuflexos dicit:)

Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, bene † dicere dignare hos famulos tuos in officium Lectorum, ut assiduitate Lectionum instructi sint atque ordinati, et agenda dicant et dicta opere impleant, ut in utroque sanctae Ecclesiae exemplo sanctitati suae consulant. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

(Postea, suggerente Archidiacono, redeunt Ordinati ad loca sua.)

3. De ordinatione Exorcistarum.

(Exorcistae vocantur per Archidiaconum modo consueto, dicendo: Accedant, qui ordinandi sunt ad officium Exorcistarum. Et ipsi singulatim nominantur per Notarium, ut prius dictum est. Quibus coram Pontifice in faldistorio cum mitra sedente cum candelis in manibus genuflexis, Pontifex admonet eos dicens:)

Ordinandi, filii carissimi, in officium Exorcistarum, debetis noscere, quid suscipiatis. Exorcistam etenim oportet abicere daemones, et dicere populo, ut, qui non communicat, det locum, et aquam in ministerio fundere. Accipitis itaque potestatem

Digitized by Google

imponendi manum super energumenos, et per impositionem manuum vestrarum, gratia Spiritus Sancti, et verbis Exorcismi, pelluntur spiritus immundi a corporibus obsessis. Studete igitur, ut, sicut e corporibus aliorum daemones expellitis, ita a mentibus et corporibus vestris omnem immunditiam et nequitiam eiciatis, ne illis succumbatis, quos ab aliis vestro ministerio effugatis. Discite per officium vestrum vitiis imperare, ne in moribus vestris aliquid sui iuris inimicus valeat vindicare. Tunc etenim recte in aliis daemonibus imperabitis, cum prius in vobis eorum multimodam nequitiam superatis. Quod vobis Dominus agere concedat per Spiritum suum Sanctum.

(Post haec Pontifex accipit et tradit omnibus librum, in quo scripti sunt Exorcismi [cuius loco tradi potest Pontificale vel Missale], quem manu dextra tangunt, Pontifice dicente:)

Accipite, et commendate memoriae, et habete potestatem imponendi manus super energumenos, sive baptizatos, sive catechumenos.

(Postea, omnibus devote genuflexis, Pontifex cum mitra stans dicit:)

Deum Patrem omnipotentem, fratres carissimi, supplices deprecemur, ut hos famulos suos bene † dicere dignetur in officium Exorcistarum, ut sint spirituales imperatores ad abiciendos daemones de corporibus obsessis, cum omni nequitia eorum multiformi. Per unigenitum Filium suum Dominum nostrum Iesum Christum, qui cum eo vivit et

Digitized by Google

regnat in unitate Spiritus Sancti Deus per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

(Tum conversus ad altare, deposita mitra, dicit: Oremus. Et ministri subiungunt: Flectamus genua. ℟. Levate. Et mox conversus ad Ordinatos genuflexos dicit:)

Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, bene † dicere dignare hos famulos tuos in officium Exorcistarum, ut per impositionem manuum et oris officium potestatem et imperium habeant, spiritus immundos coercendi, ut probabiles sint medici Ecclesiae tuae, gratia curationum virtuteque coelesti confirmati. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

(Post haec, suggerente Archidiacono, Ordinati redeunt ad loca sua.)

4. De ordinatione Acolythorum.

(Acolythi vocantur per Archidiaconum: Accedant, qui ordinandi sunt ad officium Acolythorum. Et mox nominantur per Notarium, ut supra. Quibus coram Pontifice in faldistorio cum mitra sedente cum candelis in manibus genuflexis, Pontifex admonet eos dicens:)

Suscepturi, filii carissimi, officium Acolythorum, pensate, quod suscipitis. Acolythum etenim oportet ceroferarium ferre, luminaria Ecclesiae accendere, vinum et aquam ad Eucharistiam ministrare. Studete igitur susceptum officium digne implere. Non

Digitized by Google

enim Deo placere poteritis, si lucem Deo manibus praeferentes operibus tenebrarum inserviatis, et per hoc aliis exempla perfidiae praebeatis. Sed sicut Veritas dicit: Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in coelis est. Et sicut Apostolus Paulus ait: In medio nationis pravae et perversae lucete sicut luminaria in mundo verbum vitae continentes. Sint ergo lumbi vestri praecincti, et lucernae ardentes in manibus vestris, ut filii lucis sitis. Abiciatis opera tenebrarum, et induamini arma lucis. Eratis enim aliquando tenebrae, nunc autem lux in Domino. Ut filii lucis ambulate. Quae sit vero ista lux, quam tantopere inculcat Apostolus, ipse demonstrat, subdens: Fructus enim lucis est in omni bonitate et iustitia et veritate. Estote igitur solliciti in omni iustitia, bonitate et veritate, ut et vos, et alios, et Dei Ecclesiam illuminetis. Tunc etenim in Dei Sacrificio digne vinum suggeretis et aquam, si vos ipsi Deo sacrificium per castam vitam et bona opera oblati fueritis. Quod vobis Dominus concedat per misericordiam suam.

(Post haec Pontifex accipit et tradit omnibus candelabrum cum candela exstincta, quod successive manu dextra singuli tangunt, Pontifice dicente:)

Accipite ceroferarium cum cereo, et sciatis vos ad accendenda Ecclesiae luminaria mancipari, in nomine Domini. ℟. Amen.

(Tunc accipit et tradit eis urceolum vacuum, quem similiter tangere debent, dicens communiter omnibus:)

Digitized by Google

Accipite urceolum, ad suggerendum vinum et aquam in Eucharistiam Sanguinis Christi, in nomine Domini. ℟. Amen.

(Postea, eis genuflexis permanentibus, Pontifex stans cum mitra versus ad eos dicit:)

Deum Patrem omnipotentem, fratres carissimi, suppliciter deprecemur, ut hos famulos suos bene†dicere dignetur in ordinem Acolythorum; quatenus lumen visibile manibus praeferentes, lumen quoque, spirituale moribus praebeant, adiuvante Domino nostro Iesu Christo, qui cum eo et Spiritu Sancto vivit et regnat Deus per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

(Tum Pontifex, ad altare se convertens, deposita mitra, stans dicit: Oremus. Et ministri: Flectamus genua. ℟. Levate. Et mox Pontifex conversus ad eosdem genuflexos dicit:)

Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, qui per Iesum Christum Filium tuum Dominum nostrum et Apostolos eius in hunc mundum lumen claritatis tuae misisti; quique, ut mortis nostrae antiquum aboleres chirographum, gloriosissimae illum crucis vexillo affigi, ac sanguinem et aquam ex latere illius pro salute generis humani effluere voluisti: bene† dicere dignare hos famulos tuos in officium Acolythorum, ut ad accendendum lumen Ecclesiae tuae et ad suggerendum vinum et aquam ad conficiendum Sanguinem Christi Filii tui in offerenda Eucharistia, sanctis altaribus tuis fideliter subministrent. Accende, Domine, mentes eorum

Digitized by Google

et corda ad amorem gratiae tuae, ut illuminati vultu splendoris tui, fideliter tibi in sancta Ecclesia deserviant. Per eundem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Oremus. Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, qui ad Moysen et Aaron locutus es, ut accenderentur lucernae in tabernaculo testimonii: bene † dicere dignare hos famulus tuos, ut sint Acolythi in Ecclesia tua. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Oremus. Omnipotens sempiterne Deus, fons lucis et origo bonitatis, qui per Iesum Christum Filium tuum, lumen verum, mundum illuminasti eiusque passionis mysterio redemisti: bene † dicere dignare hos famulos tuos, quos in officium Acolythorum consecramus, poscentes clementiam tuam, ut eorum mentes et lumine scientiae illustres et pietatis tuae rore irriges, ut ita acceptum ministerium te auxiliante peragant, qualiter ad aeternam remunerationem pervenire mereantur. Per eundem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

(Post haec, suggerente Archidiacono, Ordinati redeunt ad loca sua.)

III. De sacris Ordinibus.

1. De ordinatione Subdiaconi.

(Archidiaconus versus ad Ordinandos dicit:) Accedant, qui ordinandi sunt Subdiaconi.

(Et Notarius unumquemque illorum vocat dicens:) N. ad titulum Ecclesiae N.

Digitized by Google

N. ad titulum patrimonii sui.

Frater N. professus ordinis N. ad titulum paupertatis.

(Et sic de aliis; et quilibet vocatus dicit: Adsum, et accedit versus Episcopum.)

(Debet autem quilibet Ordinandorum in Subdiaconum indutus esse Amictu, non tamen super caput, Alba et Cingulo, habere Manipulum in manu sinistra, Tunicellam super brachio sinistro, et candelam in manu dextra.)

(Omnibus autem in Subdiaconos Ordinandis competenti spatio coram Pontifice stantibus, Pontifex cum mitra sedens admonet eos [nisi omnes sint Religiosi, quia tunc ista admonitio omittitur] dicens:)

Filii dilectissimi, ad sacrum Subdiaconatus Ordinem promovendi, iterum atque iterum considerare debetis attente, quod onus hodie ultro appetitis. Hactenus enim liberi estis, licetque vobis pro arbitrio ad saecularia vota transire. Quodsi hunc Ordinem susceperitis, amplius non licebit a proposito resilire, sed Deo, cui servire regnare est, perpetuo famulari et castitatem, illo adiuvante, servare oportebit, atque in Ecclesiae ministerio semper esse mancipatos. Proinde, dum tempus est, cogitate, et, si in sancto proposito perseverare placet, in nomine Domini huc accedite.

(Pontifex mitram in capite tenens procumbit super faldistorium, et omnes Ordinandi in locis super tapetia prosternunt se; Ministri vero et alii adstantes genuflectunt; et schola inchoat *Litanias maiores* choro respondente, vel, si Officium fiat sine cantu, Pontifex dicit, Ministris et Capellanis respondentibus. Postquam

Digitized by Google

autem dictum fuerit in Litaniis: Ut omnibus fidelibus defunctis requiem aeternam donare digneris. ℟. Te rogamus, audi nos! surgit Pontifex cum mitra ab accubitu, et se ad Ordinandos vertens, et baculum pastoralem in sinistra manu tenens Ordinandis prostratis manentibus dicit:)

Ut hos electos bene † dicere digneris. ℟. Te rogamus, audi nos.

Ut hos electos bene † dicere et sancti † ficare digneris. ℟. Te rogamus, audi nos.

Ut hos electos bene † dicere, sancti † ficare et conse † crare digneris. ℟. Te rogamus, audi nos.

(Tum iterum super faldistorium procumbit, schola perficiente Litanias: Ut nos exaudire digneris, usque ad finem.)

(Quibus finitis, Pontifex surgens cum mitra sedet super faldistorium ante medium altaris. Nunc ad ordinationem Subdiaconorum proceditur. Illis itaque coram Pontifice per ordinem in modum coronae genuflexis, Pontifex admonet eos dicens:)

Adepturi, filii dilectissimi, officium Subdiaconatus, sedulo attendite, quale ministerium vobis traditur. Subdiaconum enim oportet aquam ad ministerium altaris praeparare, Diacono ministrare, pallas altaris et corporalia abluere, Calicem et Patenam in usum Sacrificii eidem offerre. Oblationes, quae veniunt in altare, panes propositionis vocantur. De ipsis oblationibus tantum debet in altare poni, quantum populo possit sufficere, ne aliquid putridum in sacrario remaneat. Pallae, quae sunt in substratorio altaris, in alio vase debent lavari, et in

Digitized by Google

alio corporales pallae. Ubi autem corporales pallae lotae fuerint, nullum aliud linteamen debet lavari, ipsaque lotionis aqua in baptisterium debet vergi. Studete itaque, ut ista visibilia ministeria, quae diximus, nitide et diligentissime complentes, invisibilia horum exemplo perficiatis. Altare quidem sanctae Ecclesiae ipse est Christus, teste Ioanne, qui in Apocalypsi sua altare aureum se vidisse perhibet, stans ante thronum, in quo et per quem oblationes fidelium Deo Patri consecrantur. Cuius altaris pallae et corporalia sunt membra Christi, scilicet fideles Dei, quibus Dominus quasi vestimentis pretiosis circumdatur, ut ait Psalmista: Dominus regnavit, decorem indutus est. Beatus quoque Ioannes in Apocalypsi vidit Filium hominis praecinctum zona aurea, id est, Sanctorum caterva. Si itaque humana fragilitate contingat in aliquo fideles maculari, praebenda est a vobis aqua coelestis doctrinae, qua purificati ad ornamentum altaris et cultum divini Sacrificii redeant. Estote ergo tales, qui Sacrificiis divinis et Ecclesiae Dei, hoc est Corpori Christi, digne servire valeatis, in vera et catholica fide fundati; quoniam, ut ait Apostolus, omne, quod non est ex fide, peccatum est, schismaticum est, et extra unitatem Ecclesiae est. Et ideo, si usque nunc fuistis tardi ad Ecclesiam, amodo debetis esse assidui. Si usque nunc somnolenti, amodo vigiles. Si usque nunc ebriosi, amodo sobrii. Si usque nunc inhonesti, amodo casti. Quod ipse vobis praestare dignetur, qui vivit et regnat Deus in saecula saeculorum. ℟. Amen.

Digitized by Google

(Deinde Pontifex accipit et tradit omnibus Calicem vacuum cum Patena vacua superposita, quem successive manu dextera singuli tangunt Pontifice dicente:)

Videte, cuius ministerium vobis traditur: ideo vos admoneo, ut ita vos exhibeatis, ut Deo placere possitis.

(Et Archidiaconus tradit eis urceolos cum vino et aqua, ac bacile cum manutergio, quae omnia similiter tangere debent.)

(Postea surgit Pontifex, et versus ad populum stans cum mitra dicit:)

Oremus Deum ac Dominum nostrum, fratres carissimi, ut super hos servos suos, quos ad Subdiaconatus officium vocare dignatus est, infundat bene † dictionem suam et gratiam, ut in conspectu eius fideliter servientes, praedestinata Sanctis praemia consequantur: adiuvante Domino nostro Iesu Christo, qui cum eo vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

(Tum deposita mitra, conversus ad altare Pontifex dicit: Oremus. Et ministri: Flectamus genua. ℟. Levate. Et mox Pontifex versus ad Ordinandos genuflexos dicit sine mitra:)

Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, bene † dicere dignare hos famulos tuos, quos ad Subdiaconatus officium eligere dignatus es: ut eos in sacrario tuo sancto strenuos sollicitosque coelestis militiae instituas excubitores, sanctisque altaribus tuis fideliter subministrent; et requiescat

Digitized by Google

super eos Spiritus sapientiae et intellectus, Spiritus consilii et fortitudinis, Spiritus scientiae et pietatis; et repleas eos Spiritu timoris tui, et eos in ministerio divino confirmes, ut oboedientes facto ac dicto parentes tuam gratiam consequantur. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate eiusdem Spiritus Sancti Deus per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

(Tum Pontifex sedens, accepta mitra, Amictum, qui in collo Ordinandorum iacet, imponit super caput singulis dicens:)

Accipe amictum, per quem designatur castigatio vocis. In nomine Pa † tris et Fi † lii et Spiritus † Sancti. ℟. Amen.

(Tum immittit Manipulum in sinistrum brachium cuilibet dicens:)

Accipe manipulum, per quem designatur fructus bonorum operum. In nomine Pa † tris et Fi † lii et Spiritus † Sancti. ℟. Amen.

(Post haec induit quemlibet Tunica, et si tantum unica sit, immittit illam cuilibet solum usque ad scapulas, ac retrahens postremum totaliter induit dicens cuilibet:)

Tunica iucunditatis et indumento laetitiae induat te Dominus. In nomine Pa † tris et Fi † lii et Spiritus † Sancti. ℟. Amen.

(Postea accipit et tradit omnibus librum Epistolarum, manu dextra ipsum simul tangentibus, dicens:)

Accipite librum Epistolarum, et habete potestatem legendi eas in Ecclesia sancta Dei, tam pro

Digitized by Google

vivis quam pro defunctis. In nomine Pa†tris et Fi†lii et Spiritus † Sancti. ℟. Amen.

(Omnibus expeditis, suggerente Archidiacono, Ordinati redeunt ad loca sua; *unus* tamen de noviter Ordinatis, Tunica indutus, *dicit Epistolam* suo tempore.)

2. De ordinatione Diaconi.

(Finita Epistola sedet Pontifex ad faldistorium ante altare cum mitra. Promovendi vero ad Ordinem Diaconatus per Archidiaconum vocantur, dicendo: Accedant, qui ordinandi sunt ad Diaconatum. Et mox singulatim nominantur per Notarium. Eis igitur Amictu, Alba, Cingulo et Manipulo paratis, ac Stolam in sinistra manu, et candelam in dextra, ac Dalmaticam super brachium sinistrum tenentibus et in modum coronae coram Pontifice genuflexis, Archidiaconus offerens illos Pontifici dicit:)

Reverendissime Pater, postulat sancta Mater Ecclesia Catholica, ut hos praesentes Subdiaconos ad onus Diaconii ordinetis.

(Pontifex interrogat dicens:) Scis illos dignos esse?

(Respondet Archidiaconus:) Quantum humana fragilitas nosse sinit, et scio et testificor ipsos dignos esse ad huius onus officii.

(Et Pontifex dicit: Deo gratias. Et ad eorum Ordinationem procedit. Imprimis Pontifex cum mitra sedens, Clero et populo annuntiat dicens:)

Auxiliante Domino Deo et Salvatore nostro Iesu Christo eligimus hos praesentes Subdiaconos ad ordinem Diaconii. Si quis habet aliquid contra illos,

Digitized by Google

pro Deo et propter Deum cum fiducia exeat, et dicat; verumtamen memor sit condicionis suae.

(Et facta aliquali mora, Pontifex convertens sermonem suum ad Ordinandos, admonet eos dicens:)

Promovendi, filii dilectissimi, ad Leviticum Ordinem, cogitate magnopere, ad quantum gradum Ecclesiae ascenditis. Diaconum enim oportet ministrare ad altare, baptizare et praedicare. Sane in Veteri Lege ex duodecim una tribus Levi electa est, quae speciali devotione tabernaculo Dei eiusque sacrificiis ritu perpetuo deserviret. Tantaque dignitas ipsi concessa est, quod nullus, nisi ex eius stirpe, ad divinum illum cultum atque officium ministraturus assurgeret, adeo, ut grandi quodam privilegio haereditatis et tribus Domini esse mereatur et dici. Quorum hodie, filii dilectissimi, et nomen et officium tenetis, quia in ministerium tabernaculi testimonii, id est Ecclesiae Dei, eligimini in Levitico officio, quae semper in procinctu posita, incessabili pugna contra inimicos dimicat. Unde ait Apostolus: Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiae in coelestibus. Quam Ecclesiam Dei veluti tabernaculum portare et munire debetis ornatu sancto, praedicatu divino, exemplo perfecto. Levi quippe interpretatur additus sive assumptus. Et vos, filii dilectissimi, qui ab haereditate paterna nomen accipitis, estote assumpti a carnalibus desideriis, a terrenis concupiscentiis,

Digitized by Google

quae militant adversus animam; estote nitidi, mundi, puri, casti, sicut decet ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei, ut digne addamini ad numerum ecclesiastici gradus, ut haereditas et tribus amabilis Domini esse mereamini. Et quia comministri et cooperatores estis Corporis et Sanguinis Domini, estote ab omni illecebra carnis alieni, sicut ait Scriptura: Mundamini, qui fertis vasa Domini. Cogitate beatum Stephanum, merito praecipuae castitatis ab Apostolis ad officium istud electum. Curate, ut, quibus Evangelium ore annuntiatis, vivis operibus exponatis, ut de vobis dicatur: Beati pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona. Habete pedes vestros calceatos Sanctorum exemplis, in praeparatione Evangelii pacis. Quod vobis Dominus concedat per gratiam suam. ℟. Amen.

(Deinde Ordinandi omnes prosternunt se, ubi genuflectebant, et Pontifice ante faldistorium suum genuflectente dicuntur *Litaniae,* et Ordinandi per Pontificem benedicuntur, prout supra p. 480 in Ordinatione Subdiaconi dictum est. Post haec Ordinandis ab accubitu surgentibus, genuflexis tamen manentibus, Pontifex, sedens in faldistorio cum mitra, intellegibili voce alloquitur Clerum et populum dicens:)

Commune votum communis oratio prosequatur, ut hi totius Ecclesiae prece, qui ad Diaconatus ministerium praeparantur, Leviticae bene † dictionis ordine clarescant, et spirituali conversatione praefulgentes, gratia sanctificationis eluceant; praestante Domino nostro Iesu Christo, qui cum Patre et Spiritu Sancto vivit et regnat in saecula saeculorum.

Digitized by Google

(Deinde surgens cum mitra Pontifex, stans versus ad Ordinandos, dicit alta voce legendo:)

Oremus, fratres carissimi, Deum Patrem omnipotentem, ut super hos famulos suos, quos ad officium Diaconatus dignatur assumere, benedictionis suae gratiam clementer effundat, eisque consecrationis indultae propitius dona conservet, et preces nostras clementer exaudiat; ut, quae nostro gerenda sunt ministerio, suo benignus prosequatur auxilio, et, quos sacris mysteriis exsequendis pro nostra intellegentia credimus offerendos, sua bene † dictione sanctificet et confirmet. Per unigenitum Filium suum Dominum nostrum Iesum Christum, qui cum eo et Spiritu Sancto vivit et regnat Deus.

(Deinde, deposita mitra, extensis manibus ante pectus dicit:)

℣. Per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

℣. Sursum corda. ℟. Habemus ad Dominum.

℣. Gratias agamus Domino Deo nostro. ℟. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, aequum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, honorum dator ordinumque distributor atque officiorum dispositor: qui in te manens innovas omnia, et cuncta disponis, per Verbum, Virtutem Sapientiamque tuam, Iesum Christum Filium tuum Dominum nostrum, sempiterna providentia praeparas, et singulis quibusque temporibus aptanda dispensas. Cuius corpus,

Digitized by Google

Ecclesiam videlicet tuam, coelestium gratiarum varietate distinctam suorumque conexam distinctione membrorum, per legem mirabilem totius compaginis unitam, in augmentum templi tui crescere dilatarique largiris, sacri muneris servitutem trinis gradibus ministrorum nomini tuo militare constituens, electis ab initio Levi filiis, qui in mysticis operationibus domus tuae fidelibus excubiis permanentes, haereditatem benedictionis aeternae sorte perpetua possiderent. Super hos quoque famulos tuos, quaesumus, Domine, placatus intende, quos tuis sacris altaribus servituros in officium Diaconatus suppliciter dedicamus. Et nos quidem tamquam homines divini sensus et summae rationis ignari, horum vitam, quantum possumus, aestimamus. Te autem, Domine, quae nobis sunt ignota, non transeunt, te occulta non fallunt. Tu cognitor es secretorum; tu scrutator es cordium. Tu horum vitam coelesti poteris examinare iudicio, quo semper praevales, et admissa purgare, et ea, quae sunt agenda, concedere.

(Hic solus Pontifex manum dextram extendens, ponit super caput cuilibet Ordinando, et nullus alius, quia non ad Sacerdotium, sed ad ministerium consecrantur, dicens singulis:)

Accipe Spiritum Sanctum ad robur et ad resistendum diabolo et tentationibus eius. In nomine Domini.

(Postea prosequitur, extensam tenens manum dextram, usque in finem Praefationis:)

Emitte in eos, quaesumus, Domine, Spiritum Sanctum, quo in opus ministerii tui fideliter exse-

Digitized by Google

quendi septiformis gratiae tuae munere roborentur. Abundet in eis totius forma virtutis, auctoritas modesta, pudor constans, innocentiae puritas et spiritualis observantia disciplinae. In moribus eorum praecepta tua fulgeant, ut suae castitatis exemplo imitationem sanctam plebs acquirat; et bonum conscientiae testimonium praeferentes, in Christo firmi et stabiles perseverent, dignisque successibus de inferiori gradu per gratiam tuam capere potiora mereantur.

Per eundem Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

(Post haec Pontifex sedens cum mitra cuilibet Ordinando ante se genuflexo Stolam, quam singuli in manu habent, imponit successive super humerum sinistrum, dicens singulis:)

Accipe stolam † candidam de manu Dei: adimple ministerium tuum; potens enim est Deus, ut augeat tibi gratiam suam. Qui vivit et regnat in saecula saeculorum. ℟. Amen.

(Et Ministri reflectunt capita Stolae et alligant sub brachio dextro.)

(Post haec Pontifex accipiens Dalmaticam, induit ea quemlibet successive, dicens cuilibet:)

Induat te Dominus indumento salutis et vestimento laetitiae, et dalmatica iustitiae circumdet te semper. In nomine Domini. ℟. Amen.

Digitized by Google

(Postremo Pontifex accipit et tradit omnibus librum Evangeliorum, quem manu dextra tangunt, dicens:)

Accipe potestatem legendi Evangelium in Ecclesia Dei, tam pro vivis quam pro defunctis. In nomine Domini. ℟. Amen.

(Quo facto Pontifex stans ad altare conversus, dicit sine mitra: Oremus. Et Ministri: Flectamus genua. ℟. Levate. Et vertens se ad Ordinatos dicit:)

Exaudi, Domine, preces nostras, et super hos famulos tuos Spiritum tuae bene † dictionis emitte, ut coelesti munere ditati, et tuae maiestatis gratiam possint acquirere et bene vivendi aliis exemplum praebere. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

Oremus. Domine sancte, Pater fidei, spei et gratiae, et profectuum remunerator, qui in coelestibus et terrenis Angelorum ministeriis ubique dispositis per omnia elementa voluntatis tuae diffundis effectum: hos quoque famulos tuos spirituali dignare illustrare affectu, ut tuis obsequiis expediti, sanctis altaribus tuis ministri puri accrescant; et indulgentia tua puriores, eorum gradu, quos Apostoli tui in septenarium numerum, beato Stephano duce ac praevio, Spiritu Sancto auctore, elegerunt, digni exsistant, et virtutibus universis, quibus tibi servire oportet, instructi tibi complaceant. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate eiusdem Spiritus Sancti Deus per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

Digitized by Google

(Deinde, cum tempus fuerit, *aliquis* de noviter Ordinatis, Dalmatica indutus, *Evangelium dicit.* Ordinati autem statim, suggerente Archidiacono, redeunt ad loca sua.)

3. De ordinatione Presbyteri.

(Dicto Tractu [vel Sequentia] usque ad ultimum versum exclusive, Archidiaconus vocat Ordinandos dicens:) Accedant, qui ordinandi sunt ad Ordinem Presbyteratus.

(Et mox nominatim leguntur per Notarium. Tunc illi more Diaconorum parati Amictu, Alba, Cingulo, Stola et Manipulo, tenentes Planetas super brachium sinistrum complicatas, et in manu dextra candelas ac mappulas albas pro ligandis et lavandis manibus, ad Pontificem accedunt et coram eo in modum coronae se disponunt. Tunc Archidiaconus praesentat Ordinandos Pontifici dicens:)

Reverendissime Pater, postulat sancta Mater Ecclesia Catholica, ut hos praesentes Diaconos ad onus Presbyterii ordinetis.

(Et Pontifex interrogat dicens:) Scis illos esse dignos?

(Respondet Archidiaconus:) Quantum humana fragilitas nosse sinit, et scio et testificor ipsos dignos esse ad huius onus officii.

(Pontifex dicit: Deo gratias. Et annuntiat Clero et populo dicens:)

Quoniam, fratres carissimi, rectori navis et navigio deferendis eadem est vel securitatis ratio vel communis timoris: par eorum debet esse sententia, quorum causa communis existit. Neque enim fuit

Digitized by Google

frustra a Patribus institutum, ut de electione illorum, qui ad regimen altaris adhibendi sunt, consulatur etiam populus; quia de vita et conversatione praestandi, quod nonnunquam ignoratur a pluribus, scitur a paucis, et necesse est, ut facilius ei quis oboedientiam exhibeat ordinato, cui assensum praebuerit ordinando. Horum siquidem Diaconorum in Presbyteros, auxiliante Domino, ordinandorum conversatio (quantum mihi videtur) probata et Deo placita existit, et digna (ut arbitror) Ecclesiastici honoris augmento. Sed ne unum fortasse vel paucos aut decipiat assensio, vel fallat affectio, sententia est expetenda multorum. Itaque, quid de eorum actibus aut moribus noveritis, quid de merito sentiatis, libera voce pandatis, et his testimonium Sacerdotii magis pro merito, quam affectione aliqua tribuatis. Si quis igitur habet aliquid contra illos, pro Deo et propter Deum cum fiducia exeat et dicat: verumtamen memor sit condicionis suae.

(Postea Pontifex, facta aliqua mora, convertens sermonem suum ad Ordinandos admonet eos dicens:)

Consecrandi, filii dilectissimi, in Presbyteratus officium, illud digne suscipere ac susceptum laudabiliter exequi studeatis. Sacerdotem etenim oportet offerre, benedicere, praeesse, praedicare et baptizare. Cum magno quippe timore ad tantum gradum ascendendum est, ac providendum, ut coelestis sapientia, probi mores et diuturna iustitiae observatio ad id electos commendet. Unde Dominus praecipiens Moysi, ut septuaginta viros de universo Israel in adiutorium suum eligeret, quibus Spiritus

Digitized by Google

Sancti dona divideret, suggessit: Quos tu nosti, quod senes populi sunt. Vos siquidem in septuaginta viris et senibus signati estis, si per Spiritum septiformem, Decalogum legis custodientes, probi et maturi in scientia similiter et opere eritis. Sub eodem quoque mysterio et eadem figura in Novo Testamento Dominus septuaginta duos elegit, ac binos ante se in praedicationem misit; ut doceret verbo simul et facto, ministros Ecclesiae suae fide et opere debere esse perfectos, seu geminae dilectionis, Dei scilicet et proximi, virtute fundatos. Tales itaque esse studeatis, ut in adiutorium Moysis et duodecim Apostolorum, Episcoporum videlicet catholicorum, qui per Moysen et Apostolos figurantur, digne per gratiam Dei eligi valeatis. Hac certe mira varietate Ecclesia sancta circumdatur, ornatur et regitur, cum alii in ea Pontificis, alii minoris ordinis Sacerdotes, Diaconi et Subdiaconi, diversorum ordinum viri consecrantur, et ex multis et alternae dignitatis membris unum corpus Christi efficitur. Itaque, filii dilectissimi, quos ad nostrum adiutorium fratrum nostrorum arbitrium consecrandos elegit, servate in moribus vestris castae et sanctae vitae integritatem. Agnoscite, quod agitis; imitamini, quod tractatis: quatenus mortis Dominicae mysterium celebrantes, mortificare membra vestra a vitiis et concupiscentiis omnibus procuretis. Sit doctrina vestra spiritualis medicina populo Dei; sit odor vitae vestrae delectamentum Ecclesiae Christi: ut praedicatione atque exemplo aedificetis domum, id est familiam Dei; quatenus nec nos de

Digitized by Google

vestra provectione, nec vos de tanti officii susceptione damnari a Domino, sed remunerari potius mereamur. Quod ipse nobis concedat per gratiam suam. ℟. Amen.

(Si non sint factae ordinationes Subdiaconorum vel Diaconorum, dicuntur *Litaniae,* ut supra in ordinatione Subdiaconorum dictum est p. 480.)

(Post haec surgunt omnes, et Ordinandis coram Pontifice binis et binis successive genuflectentibus, Pontifex stans ante faldistorium suum cum mitra, imponit simul utramque manum super caput cuiuslibet Ordinandi successive, nihil dicens. Idemque faciunt post eum omnes Sacerdotes, qui adsunt. Quo facto, tam Pontifex quam Sacerdotes tenent manus dextras extensas super illos. Et Pontifex stans cum mitra dicit:)

Oremus, fratres carissimi, Deum Patrem omnipotentem, ut super hos famulos suos, quos ad Presbyterii munus elegit, coelestia dona multiplicet; et quod eius dignatione suscipiunt, ipsius consequantur auxilio. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

(Pontifex, deposita mitra, conversus ad altare dicit: Oremus. Et Ministri: Flectamus genua. ℟. Levate. Et mox conversus ad Ordinandos dicit:)

Exaudi nos, quaesumus, Domine Deus noster, et super hos famulos tuos bene † dictionem Sancti Spiritus et gratiae Sacerdotalis infunde virtutem, ut, quos tuae pietatis aspectibus offerimus consecrandos, perpetua muneris tui largitate prosequaris. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate eiusdem Spiritus Sancti Deus.

Digitized by Google

(Tum extensis manibus ante pectus dicit:)

℣. Per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

℣. Sursum corda. ℟. Habemus ad Dominum.

℣. Gratias agamus Domino Deo nostro. ℟. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, aequum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, honorum auctor et distributor omnium dignitatum; per quem proficiunt universa; per quem cuncta firmantur, amplificatis semper in melius naturae rationalis incrementis, per ordinem congrua ratione dispositum. Unde et Sacerdotales gradus atque officia Levitarum Sacramentis mysticis instituta creverunt: ut, cum Pontifices summos regendis populis praefecisses, ad eorum societatis et operis adiumentum sequentis ordinis viros et secundae dignitatis eligeres. Sic in eremo per septuaginta virorum prudentium mentes Moysi spiritum propagasti, quibus ille adiutoribus usus, in populo innumeras multitudines facile gubernavit. Sic et in Eleazarum et Ithamarum filios Aaron paternae plenitudinis abundantiam transfudisti, ut ad hostias salutares et frequentioris officii Sacramenta ministerium sufficeret Sacerdotum. Hac providentia, Domine, Apostolis Filii tui Doctores fidei comites addidisti, quibus illi orbem totum secundis praedicationibus impleverunt. Quapropter infirmitati quoque nostrae, Domine, quaesumus, haec adiumenta largire; qui, quanto fragiliores sumus,

Digitized by Google

tanto his pluribus indigemus. Da, quaesumus, omnipotens Pater, in hos famulos tuos Presbyterii dignitatem, innova in visceribus eorum Spiritum sanctitatis, ut acceptum a te, Deus, secundi meriti munus obtineant, censuramque morum exemplo suae conversationis insinuent. Sint providi cooperatores ordinis nostri; eluceat in eis totius forma iustitiae, ut bonam rationem dispensationis sibi creditae reddituri, aeternae beatitudinis praemia consequantur.

Per eundem Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate eiusdem Spiritus Sancti Deus per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

(Pontifex sedet, accepta mitra, et reflectit Orarium sive Stolam ab humero sinistro cuiuslibet, capiens partem, quae retro pendet, et imponens super dextrum humerum aptat eam ante pectus in modum Crucis, singulis dicens:)

Accipe iugum Domini: iugum enim eius suave est et onus eius leve.

(Postea imponit cuilibet successive Casulam usque ad scapulas, quam quilibet teneat super humeros complicatam, a parte anteriori deorsum dependentem, singulis dicens:)

Accipe vestem Sacerdotalem, per quam caritas intellegitur; potens est enim Deus, ut augeat tibi caritatem et opus perfectum. ℟. Deo gratias.

(Surgit Pontifex sine mitra et omnibus genua flectentibus dicit:)

Deus sanctificationum omnium auctor, cuius vera consecratio plenaque benedictio est, tu Domine super

Digitized by Google

hos famulos tuos, quos ad Presbyterii honorem dedicamus, munus tuae bene † dictionis infunde, ut gravitate actuum et censura vivendi probent se seniores, his instituti disciplinis, quas Tito et Timotheo Paulus exposuit, ut in lege tua die ac nocte meditantes, quod legerint credant, quod crediderint doceant, quod docuerint imitentur; iustitiam, constantiam, misericordiam, fortitudinem ceterasque virtutes in se ostendant, exemplo praebeant, admonitione confirment; ac purum et immaculatum ministerii sui donum custodiant, et in obsequium plebis tuae panem et vinum in Corpus et Sanguinem Filii tui immaculata benedictione transforment; et inviolabili caritate in virum perfectum, in mensuram aetatis plenitudinis Christi, in die iusti et aeterni iudicii Dei, conscientia pura, fide vera, Spiritu Sancto pleni resurgant. Per eundem Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate eiusdem Spiritus Sancti Deus per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

(Tunc Pontifex sine mitra ante altare conversus, flexis genibus incipit, schola prosequente, hymnum:)

Veni Creator Spiritus (ut supra p. 322).

(Dicto primo versu, surgit Pontifex, et sedet in faldistorio cum mitra, et ponitur ei gremiale sive mappula super gremium; et singuli Ordinandi successive coram eo genua flectunt; et Pontifex cum oleo Catechumenorum inungit unicuique ambas manus simul iunctas in modum crucis, producendo cum pollice suo dextro in dictum oleum intincto duas lineas, videlicet a pollice dextrae manus usque ad indicem sinistrae, et a pollice

Digitized by Google

sinistrae usque ad indicem dextrae; ungendo mox totaliter palmas, dicens, dum quemlibet inungit:)

Consecrare et sanctificare digneris, Domine, manus istas per istam unctionem et nostram bene†dictionem. ℟. Amen.

Ut, quaecumque benedixerint, benedicantur, et quaecumque consecraverint, consecrentur et sanctificentur. In nomine Domini nostri Iesu Christi.

(Et quilibet Ordinandus respondet:) Amen.

(Tum Pontifex claudit seu iungit manus cuilibet successive, quas sic consecratas aliquis Ministrorum Pontificis albo panniculo lineo simul, videlicet dextram super sinistram, alligat; et mox unusquisque ad ordinem suum redit, et sic clausas et alligatas manus tenet. Omnium manibus unctis et consecratis, Pontifex pollicem mica panis tergit; tum tradit cuilibet successive Calicem cum vino et aqua, et Patenam superpositam cum Hostia, et ipsi illam accipiunt inter indices et medios digitos, et cuppam Calicis et Patenam simul tangunt, Pontifice singulis dicente:)

Accipe potestatem offerre sacrificium Deo Missasque celebrare tam pro vivis quam pro defunctis. In nomine Domini. ℟. Amen.

(His peractis Pontifex lavat manus et legit ultimum versum Tractus vel Sequentiae atque Evangelium.)

(Dum Offertorium cantatur, vel etiam prius, ordinati Sacerdotes poterunt lavare manus suas cum medulla panis, et aqua bene mundare, atque extergere mappulis illis, quibus ligatae erant; et aqua ablutionis huiusmodi proiciatur in sacrarium.)

(Pontifex vero, Offertorio lecto, accepta mitra, sedens, accipit Offertorium *ab omnibus Ordinatis*, qui omnes

Digitized by Google

accedunt bini et bini ad Pontificem, coram quo genuflexi offerunt illi singulas candelas accensas, et osculantur eius manum. Accepto singulorum Offertorio, Pontifex lavat manus, surgit et prosequitur Missam.)

(Presbyteri vero ordinati post Pontificem, vel hinc et inde, ubi magis commodum erit, in terra genuflexi, habeant libros coram se, dicentes: Suscipe, sancte Pater etc. et omnia alia de Missa, prout dicit Pontifex, qui omnia morose dicit et aliquantulum alte, ita, ut ordinati Sacerdotes possint secum omnia dicere, et praesertim verba consecrationis, quae dici debent eodem momento per Ordinatos, quo dicuntur per Pontificem:)

Suscipe, sancte Pater, - omnipotens aeterne Deus, - hanc immaculatam hostiam, - quam ego - indignus famulus tuus - offero tibi, - Deo meo - vivo et vero, - pro innumerabilibus peccatis - et offensionibus - et neglegentiis meis - et pro omnibus circumstantibus, - sed et pro omnibus - fidelibus christianis - vivis atque defunctis, - ut mihi et illis - proficiat ad salutem - in vitam aeternam. Amen.

Commixtio vini et aquae.

Deus, - qui humanae substantiae dignitatem - mirabiliter condidisti - et mirabilius reformasti, - da nobis per huius aquae - et vini mysterium - eius divinitatis - esse consortes, - qui humanitatis nostrae - fieri dignatus est particeps, - Iesus Christus, Filius tuus, - Dominus noster, - qui tecum vivit et regnat - in unitate Spiritus Sancti Deus - per omnia saecula saeculorum. Amen.

Digitized by Google

Oblatio calicis.

Offerimus tibi, Domine, - calicem salutaris - tuam deprecantes clementiam, - ut in conspectu - divinae maiestatis tuae - pro nostra - et totius mundi salute - cum odore suavitatis - ascendat. Amen.

In spiritu humilitatis - et in animo contrito - suscipiamur a te, Domine, - et sic fiat sacrificium nostrum - in conspectu tuo hodie, - ut placeat tibi, - Domine Deus.

Veni, sanctificator, - omnipotens aeterne Deus, - et benedic - hoc sacrificium - tuo sancto nomini - praeparatum.

Ad lotionem manuum.

Psalm. 25. Lavabo inter innocentes manus meas, * et circumdabo altare tuum, Domine.

Ut audiam vocem laudis * et enarrem universa mirabilia tua.

Domine, dilexi decorem domus tuae * et locum habitationis gloriae tuae.

Ne perdas cum impiis, Deus, animam meam * et cum viris sanguinum vitam meam.

In quorum manibus iniquitates sunt: * dextera eorum repleta est muneribus.

Ego autem in innocentia mea ingressus sum: * redime me, et miserere mei.

Pes meus stetit in directo: * in ecclesiis benedicam te, Domine.

Gloria Patri etc. Sicut erat etc.

Digitized by Google

(Sacerdos in medio altaris dicit profunde inclinatus:)

Suscipe, sancta Trinitas, - hanc oblationem, - quam tibi offerimus - ob memoriam passionis, - resurrectionis - et ascensionis - Iesu Christi, Domini nostri, - et in honorem - beatae Mariae semper Virginis, - et beati Ioannis Baptistae, - et sanctorum Apostolorum - Petri et Pauli, - et istorum - et omnium Sanctorum: - ut illis proficiat ad honorem, - nobis autem ad salutem, - et illi pro nobis - intercedere dignentur in coelis, - quorum memoriam - agimus in terris. - Per eundem Christum - Dominum nostrum. Amen.

(Conversus ad populum dicit:)

Orate, fratres, - ut meum - ac vestrum sacrificium - acceptabile fiat - apud Deum, - Patrem - omnipotentem.

(*M.* Suscipiat . . . suae sanctae.) ℟. Amen.

Secreta pro ordinatis

(dicenda sub unica conclusione cum Secreta diei).

Tuis, quaesumus Domine, — operare mysteriis, - ut haec tibi munera - dignis mentibus offeramus. - Per Dominum nostrum - Iesum Christum Filium tuum, - qui tecum vivit et regnat - in unitate Spiritus Sancti Deus.

℣. Per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

℣. Sursum corda. ℟. Habemus ad Dominum.

℣. Gratias agamus Domino Deo nostro. ℟. Dignum et iustum est.

Digitized by Google

Praefatio communis

(vel alia, prout requirit tempos vel festum).

Vere dignum et iustum est, — aequum et salutare, - nos tibi semper - et ubique gratias agere, - Domine sancte - Pater omnipotens, - aeterne Deus; - per Christum Dominum nostrum. - Per quem maiestatem tuam - laudant Angeli, - adorant Dominationes, - tremunt Potestates. - Coeli coelorumque Virtutes - ac beata Seraphim - socia exsultatione concelebrant. - Cum quibus et nostras voces, - ut admitti iubeas deprecamur, - supplici confessione dicentes:

Sanctus, - Sanctus, - Sanctus - Dominus Deus Sabaoth. - Pleni sunt coeli et terra - gloria tua: - Hosanna in excelsis! - Benedictus, - qui venit - in nomine Domini! - Hosanna in excelsis!

Canon Missae.

Te igitur, - clementissime Pater, - per Iesum Christum - Filium tuum, - Dominum nostrum, - supplices rogamus ac petimus, - uti accepta habeas - et benedicas - haec † dona, - haec † munera, - haec † sancta - sacrificia illibata, - imprimis quae tibi offerimus - pro Ecclesia tua - sancta catholica, - quam pacificare, - custodire, - adunare - et regere digneris - toto orbe terrarum, - una cum famulo tuo - Papa nostro N. - et Antistite nostro N. - et omnibus orthodoxis - atque catholicae et apostolicae fidei cultoribus.

Memento, Domine, - famulorum famularumque tuarum NN. - et omnium circumstantium, - quo-

Digitized by Google

rum tibi fides cognita est, - et nota devotio, - pro quibus tibi offerimus, - vel qui tibi offerunt - hoc sacrificium laudis - pro se suisque omnibus, - pro redemptione animarum suarum, - pro spe salutis - et incolumitatis suae, - tibique reddunt vota sua - aeterno Deo, - vivo et vero.

Communicantes - et memoriam venerantes - imprimis gloriosae - semper Virginis Mariae, - Genitricis Dei - et Domini nostri Iesu Christi, - sed et beatorum Apostolorum - ac Martyrum tuorum: - Petri et Pauli, - Andreae, - Iacobi, - Ioannis, - Thomae, - Iacobi, - Philippi, - Bartholomaei, - Matthaei, - Simonis et Thaddaei, - Lini, - Cleti, - Clementis, - Xysti, - Cornelii, - Cypriani, - Laurentii, - Chrysogoni, - Ioannis et Pauli, - Cosmae et Damiani - et omnium Sanctorum tuorum, - quorum meritis - precibusque concedas, - ut in omnibus - protectionis tuae - muniamur auxilio. - Per eundem Christum - Dominum nostrum. Amen.

Hanc igitur oblationem - servitutis nostrae, - sed et cunctae familiae tuae, - quaesumus, Domine, - ut placatus accipias, - diesque nostros - in tua pace disponas, - atque ab aeterna damnatione - nos eripi - et in electorum tuorum - iubeas grege numerari. - Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Quam oblationem tu, Deus, - in omnibus, quaesumus, - bene†dictam, - adscri†ptam, - ra†tam, - rationabilem - acceptabilemque - facere digneris, ut nobis Cor†pus - et San†guis - fiat dilectissimi Filii tui, - Domini nostri - Iesu Christi.

Digitized by Google

Consecratio.

Qui pridie, - quam pateretur, - accepit panem - in sanctas - ac venerabiles manus suas, - et elevatis oculis - in coelum - ad te, Deum, - Patrem suum - omnipotentem, - tibi gratias agens, , bene † dixit, - fregit, - deditque discipulis suis - dicens: - Accipite - et manducate - ex hoc omnes:

Hoc - est - enim - Corpus - meum.

Simili modo, - postquam coenatum est, - accipiens - et hunc praeclarum calicem - in sanctas - ac venerabiles manus suas, - item tibi gratias agens, - bene † dixit - deditque discipulis suis - dicens: - Accipite - et bibite - ex eo omnes:

Hic - est - enim - Calix - Sanguinis - mei, - novi - et aeterni - testamenti: - mysterium fidei, - qui pro vobis - et pro multis - effundetur - in remissionem - peccatorum.

Haec quotiescumque feceritis, - in mei memoriam facietis.

Unde et memores, - Domine, - nos servi tui, - sed et plebs tua sancta, - eiusdem Christi - Filii tui, - Domini nostri, - tam beatae passionis, - nec non et ab inferis - resurrectionis, - sed et in coelos - gloriosae ascensionis: - offerimus praeclarae - maiestati tuae - de tuis donis - ac datis - hostiam † puram, - hostiam † sanctam, - hostiam † immaculatam, - Panem † sanctum - vitae aeternae - et Calicem † salutis perpetuae.

Supra quae propitio - ac sereno vultu - respicere digneris - et accepta habere, - sicuti accepta

Digitized by Google

habere - dignatus es munera - pueri tui iusti Abel, - et sacrificium - Patriarchae nostri Abrahae, - et quod tibi obtulit - summus sacerdos tuus - Melchisedech, - sanctum sacrificium, - immaculatam hostiam.

Supplices te rogamus, - omnipotens Deus: - iube haec perferri - per manus sancti Angeli tui - in sublime altare tuum, - in conspectu - divinae maiestatis tuae: ut - quotquot - ex hac altaris - participatione - sacrosanctum Filii tui - Cor † pus et San † guinem sumpserimus, - omni benedictione coelesti - et gratia repleamur. - Per eundem Christum - Dominum nostrum. Amen.

Memento etiam, Domine, - famulorum - famularumque tuarum - N. et N., - qui nos praecesserunt - cum signo fidei - et dormiunt - in somno pacis. - Ipsis, Domine, - et omnibus - in Christo quiescentibus - locum refrigerii, - lucis et pacis, - ut indulgeas, - deprecamur. - Per eundem Christum - Dominum nostrum. Amen.

Nobis quoque peccatoribus, - famulis tuis, - de multitudine - miserationum tuarum sperantibus, - partem aliquam - et societatem - donare digneris - cum tuis sanctis Apostolis - et Martyribus: - cum Ioanne, - Stephano, - Matthia, - Barnaba, - Ignatio, - Alexandro, - Marcellino, - Petro, - Felicitate, Perpetua, - Agatha, - Lucia, - Agnete, - Caecilia, - Anastasia - et omnibus Sanctis tuis: - intra quorum nos consortium, - non aestimator meriti, - sed veniae, quaesumus, - largitor admitte. - Per Christum Dominum nostrum. - Per quem haec omnia, Domine, - semper bona creas, - sancti † ficas, -

Digitized by Google

vivi†ficas, bene†dicis, - et praestas nobis. - Per ip†sum - et cum ip†so - et in ip†so - est tibi Deo Patri † omnipotenti - in unitate - Spiritus † Sancti - omnis honor et gloria.

℣. Per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

Oremus. Praeceptis salutaribus moniti, - et divina institutione formati, - audemus dicere:

Pater noster, - qui es in coelis: - sanctificetur nomen tuum: - adveniat regnum tuum: - fiat voluntas tua - sicut in coelo - et in terra. - Panem nostrum quotidianum - da nobis hodie: - et dimitte nobis - debita nostra, - sicut et nos dimittimus - debitoribus nostris: - et ne nos inducas - in tentationem.

M. Sed libera nos a malo.

S. Amen. Libera nos, - quaesumus, Domine, - ab omnibus malis - praeteritis, - praesentibus - et futuris, - et intercedente beata - et gloriosa semper Virgine, - Dei Genitrice Maria, - cum beatis Apostolis tuis - Petro et Paulo - atque Andrea - et omnibus Sanctis, - da propitius pacem - in diebus nostris, - ut ope misericordiae tuae adiuti - et a peccato - simus semper liberi - et ab omni - perturbatione securi. - Per eundem Dominum nostrum - Iesum Christum - Filium tuum, - qui tecum vivit et regnat - in unitate Spiritus Sancti Deus. - Per omnia saecula saeculorum. *M.* Amen.

S. Pax Domini - sit semper - vobiscum.

M. Et cum spiritu tuo.

Digitized by Google

S. Haec commixtio - et consecratio - Corporis et Sanguinis - Domini nostri Iesu Christi - fiat accipientibus nobis - in vitam aeternam. Amen.

Agnus Dei, - qui tollis peccata mundi, - miserere nobis.

Agnus Dei, - qui tollis peccata mundi, - miserere nobis.

Agnus Dei, - qui tollis peccata mundi, - dona nobis pacem.

Domine Iesu Christe, - qui dixisti - Apostolis tuis: - Pacem relinquo vobis, - pacem meam do vobis: - ne respicias - peccata mea, - sed fidem Ecclesiae tuae, - eamque secundum voluntatem tuam - pacificare - et coadunare digneris: - qui vivis et regnas Deus - per omnia saecula saeculorum. Amen. (Et datur pax.)

Domine Iesu Christe, - Fili Dei vivi, - qui ex voluntate Patris, - cooperante Spiritu Sancto, - per mortem tuam - mundum vivificasti: - libera me - per hoc sacrosanctum Corpus - et Sanguinem tuum - ab omnibus iniquitatibus meis - et universis malis, - et fac me tuis semper - inhaerere mandatis, - et a te nunquam - separari permittas: - qui cum eodem Deo Patre - et Spiritu Sancto - vivis et regnas - Deus in saecula saeculorum. Amen.

Perceptio Corporis tui, - Domine Iesu Christe, - quod ego indignus - sumere praesumo, - non mihi proveniat - in iudicium - et condemnationem, - sed pro tua pietate - prosit mihi - ad tutamentum mentis - et corporis - et ad medelam percipiendam: -

Digitized by Google

qui vivis et regnas - cum Deo Patre - in unitate Spiritus Sancti Deus - per omnia saecula saeculorum. Amen.

Panem coelestem accipiam - et nomen Domini invocabo.

Domine, - non sum dignus, - ut intres sub tectum meum: - sed tantum dic verbo, - et sanabitur anima mea.

Domine, - non sum dignus, - ut intres sub tectum meum: - sed tantum dic verbo, - et sanabitur anima mea.

Domine, - non sum dignus, - ut intres sub tectum meum: - sed tantum dic verbo, - et sanabitur anima mea.

(Post sumptionem Calicis Pontifex, omissis *„Confiteor"*, *„Misereatur"*, *„Indulgentiam"*, Ordinatos communicat, cuilibet dicens:)

Corpus Domini nostri Iesu Christi custodiat te in vitam aeternam. (Et quilibet respondet:) Amen.

(Et priusquam Communionem sumat, manum Pontificis Hostiam tenentem osculatur.)

(Unus Ministrorum Pontificis stat iuxta cornu Epistolae altaris, Calicem habens cum vino et mappulam mundam in manibus, ad quem singuli communicati accedunt, et se purificant, os extergunt, et ad partem se locant.)

(Pontifex lotis manibus, sine mitra stans in cornu Epistolae altaris, versus ad illud inchoat, schola prosequente, Responsorium, quod a Septuagesima usque ad Pascha dicitur sine *Alleluia*.)

Digitized by Google

Iam non dicam vos servos, sed amicos meos, qui omnia cognovistis, quae operatus sum in medio vestri, Alleluia. Accipite Spiritum Sanctum in vobis Paraclitum. Ille est, quem Pater mittet vobis, Alleluia.

℣. Vos amici mei estis, si feceritis, quae ego praecipio vobis. Accipite.

℣. Gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto. Ille est.

(Incepto Responsorio, Pontifex, accepta mitra, vertit se ad Presbyteros ordinatos, qui ante altare coram ipso stantes profitentur Fidem, quam praedicaturi sunt, dicentes:)

Credo in Deum, - Patrem omnipotentem, - Creatorem coeli et terrae. - Et in Iesum Christum, - Filium eius unicum, - Dominum nostrum. - Qui conceptus est de Spiritu Sancto, - natus ex Maria Virgine. - Passus sub Pontio Pilato, - crucifixus, mortuus et sepultus. - Descendit ad inferos, - tertia die resurrexit a mortuis. - Ascendit ad coelos, - sedet ad dexteram Dei - Patris omnipotentis. - Inde venturus est - iudicare vivos et mortuos. - Credo in Spiritum Sanctum. - Sanctam Ecclesiam catholicam. - Sanctorum Communionem. - Remissionem peccatorum. - Carnis resurrectionem. - Vitam aeternam. Amen.

(Quo finito, Pontifex cum mitra sedens super faldistorium, imponit ambas manus super capita singulorum coram eo genuflectentium, dicens cuilibet:)

Digitized by Google

Accipe Spiritum Sanctum: quorum remiseris peccata, remittuntur eis: et quorum retinueris, retenta sunt.

(Deinde explicans Casulam, quam unusquisque habet super humeros complicatam, induit illa quemlibet, singulis dicens:)

Stola innocentiae induat te Dominus.

(Et mox unusquisque iterum ad Pontificem accedit, et genuflexus ponit manus suas iunctas inter manus Pontificis dicentis cuilibet, si suus est Ordinarius:)

Promittis mihi et successoribus meis reverentiam et oboedientiam?

(Et ille respondet:) Promitto.

(Tunc Pontifex tenens manus illius inter suas, osculatur unumquemque, dicens:)

Pax Domini sit semper tecum.

(Et ille respondet:) Amen.

(His expletis, et eis ad ordinem suum reversis, Pontifex sedens cum mitra et baculo, admonet eos, dicens:)

Quia res, quam tractaturi estis, satis periculosa est, filii dilectissimi, moneo vos, ut diligenter totius Missae ordinem atque Hostiae consecrationem ac fractionem et communionem ab aliis iam doctis Sacerdotibus discatis, priusquam ad celebrandum Missam accedatis.

(Pontifex surgit cum mitra et baculo, et Presbyteris coram eo adhuc genuflexis benedicit, dicens:)

Benedictio Dei omnipotentis, Pa†tris et Fi†lii et Spiritus † Sancti descendat super vos, ut sitis

Digitized by Google

benedicti in ordine Sacerdotali, et offeratis placabiles Hostias pro peccatis atque offensionibus populi omnipotenti Deo, cui est honor et gloria per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

(Post haec Pontifex, deposita mitra, prosequitur Missam; et dicitur haec Postcommunio pro Ordinatis sub uno *„Per Dominum“*, cum Postcommunione Missae diei:)

Quos tuis, Domine, reficis Sacramentis, continuis attolle benignus auxiliis, ut tuae redemptionis effectum et mysteriis capiamus et moribus. Qui vivis et regnas cum Deo Patre etc.

(Deinde dicitur *„Benedicamus Domino“* vel *„Ite Missa est“*, prout tempus requirit, et per Pontificem *„Placeat tibi, sancta. . . .“* Quo dicto Pontifex accepta mitra et baculo pastorali dat benedictionem solitam, dicens: Sit nomen Domini benedictum etc. Data benedictione, Pontifex sedet cum mitra et baculo, et alloquitur Ordinatos sub his verbis:)

Filii dilectissimi, diligenter considerate Ordinem per vos susceptum ac onus humeris vestris impositum. Studete sancte et religiose vivere atque omnipotenti Deo placere, ut gratiam suam possitis acquirere, quam ipse vobis per suam misericordiam concedere dignetur.

Singuli ad primam Tonsuram, vel ad quattuor minores Ordines promoti, dicite semel septem Psalmos poenitentiales cum Litaniis, Versiculis et Orationibus.

Ad Subdiaconatum vel Diaconatum, Nocturnum talis diei.

Digitized by Google

Ad Presbyteratum vero Ordinati, post primam vestram Missam tres alias Missas, videlicet unam de Spiritu Sancto, aliam de beata Maria semper Virgine, tertiam pro fidelibus defunctis dicite.

Et omnipotentem Deum etiam pro me orate.

(Quod illi devote suscipiunt, et respondent se facturos.)

(Tum Pontifex legit Evangelium ultimum, et revertitur ad sedem, ubi exuitur sacris vestibus. Ordinati etiam ad Presbyteratum dicunt idem Evangelium, et in loco convenienti sacras vestes deponunt.)

U. I. O. G. D.

Digitized by Google